


INTERPRETATIO
SACRAE
SCRIPTVRAE
PER
OMNES VETERIS
ET
NOVI TESTAMENTI
LIBROS

AB

JOANNE NEP. ALBER

Clerico regvlari e scholis piis, s. theologiae doctore, lingvarvm orientalivm, et sacrae scriptvrae in archi-episcopali lyceo colocensi professore.

IN TOMO XIV.

ACTVS APOSTOLORVM. EPIST. S. PAVLI AD ROM. ET. I. AD CORINTH.

Cvm facvltate svperiorvm, et adprobatione [illegible]m.

PESTHINI,
Typis Matthiae Trattner.
M. DCCC. IV.

ACTA APOSTOLORUM.

PRAEFATIO.

Huius libri, qui Acta, vel actus Apostolorum inscribitur, Lucas Evangelista est auctor, quod ipse in principio illius statim de se indicat, in eiusdemque Theophili gratiam etiam hunc librum edidit, cui Evangelium quoque suum inscripserat. Est autem rerum in hocce libro, quae in Evangelio expositae sunt, quaedam continuatio, dum post Christi adscensionem in caelum, et Spiritus sancti missionem super Apostolos, describit, deinde quomodo propagata sit per eosdem Apostolos Christi fides, et Ecclesia. Quamobrem S. Hieronymus in Prologo Galeato dicit Lucam in hoc libro infantiam texere nascentis Ecclesiae. Ab adscensione autem Christi in caelum cum narrationem esset exorsus, ac deinde, quomodo die Pentecostes Spiritus sanctus venerit, donaque sua effuderit super discipulos, cum exposuisset, primum per partem aliquam libri generatim memorat, et tractat, quae a Petro, aliisque Apostolis, et Christi discipulis acta sint; dein-

de vero se tenet tantum in solis iam Pauli actionibus, et laboribus Evangelicis explicandis, et recensendis, cuius in peregrinationibus, Evangeliique praedicatione, quemadmodum in Epistola secunda cap. 8. v. 19. Paulus testatur, fuerat comes, atque socius. Perducit autem narrationem de eo usque ad illud biennium, quo fuit in vinculis Romae sub Nerone. Ac proinde totum spatium temporis, quod complectitur hic liber, est annorum triginta ab anno Christi trigesimo quarto usque ad sexagesimum quartum. Liber ratione argumenti est historicus, scriptus Graece, quemadmodum ceteri omnes novi Testamenti excepto Evangelio Matthaei, et Epistola Pauli ad Hebraeos, de quibus num Graece, vel Hebraice potius scripti sint, controvertitur, et inter Criticos disputatur, et de qua disputatione partim iam est dictum, partim adhuc suo loco dicetur.

SYNOPSIS.

CAP. 1. Christus, cum admonuisset discipulos, ne ante Jerosolyma discederent, quam Spiritus sanctus super eos venisset; ex monte Oliveti in eorum oculis adscendit in caelum. Quem cum adhuc euntem oculis suis prosequerentur; duo angeli, qui repente illis adstiterant, docent eadem ratione Christum iterum esse venturum, qua ipsum vidissent abeuntem in caelum. In Judae proditoris locum ad Apostolorum collegium assumitur, et cooptatur Mathias. *Cap.* 2. Spiritus sanctus die Pentecostes venit

super Apostolos. In admiratione omnium, dum Apostolos cernerent novis, variisque lingvis instructos, Petrus verba faciens ad fidem perducit Judaeorum millia fere tria. Credentes perseverant in Apostolorum doctrina, et fractione panis, omniaque inter se habent communia. *Cap.* 3. Ad horam orationis nonam cum Petrus cum Joanne pergeret ad templum, hominem a nativitate claudum, ad fores sedentem, et mendicantem, invocato nomine Jesu repente incolumitati restituit. Ad concurrentem deinde multitudinem propter admirationem prodigii Petrus verba facit, ad fidemque in Christum eos hortatur. *Cap.* 4. Petrum, et Joannem idcirco sacerdotes, et magistratus comprehendunt, et in iudicium trahunt, iisque interdicunt, ne ultra de Jesu loqui aliquid audeant. Ad illam vero concionem Petri fidem susceperunt hominum millia quinque. Apostoli, et discipuli eorum eo maiore confidentia Dei verbum annunciant, et inter se vivunt communiter. *Cap.* 5. Fidelibus ad Apostolorum pedes deponentibus rerum suarum pretia, idemque hoc Ananias quoque cum uxore Saphira sed cum mendacio partem celans fecisset, subita morte plectitur, itemque eius uxor. Aegros Jerosolymae ad plateas exponunt, ut transeunte Petro ab umbra eius attingerentur, atque undique ex aliis etiam civitatibus hi afferuntur curationis gratia Jerosolymam ad Apostolos. Coniiciuntur in vincula a sacerdotibus et magistratu. Noctu vero ab angelo ex carcere dimittuntur, iterumque in templo altera die docent. Reducuntur ad iudicium, de-

hortatur ceteros Gamaliel, ne quid gravius in eos statuant. Caesis nihilominus denunciatur, ne ulterius Evangelium annunciarent. *Cap.* 6. Propter Graecorum murmur adversus Hebraeos, quod eorum viduae despicerentur in ministerio; creantur ab Apostolis septem diaconi. Stephanum, unum ex hoc numero, cum superare disputando non potuissent Judaei; falsis criminibus appetitum rapiunt, et ad suum ducunt concilium. *Cap.* 7. Rationem ibi suae doctrinae reddit Judaeis in concilio, ipsisque eamdem, qua eorum maiores semper fuerint, exprobrat pervicaciam, et animi duritiem adversus Deum: cumque aperto caelo Jesum a dextris Dei stantem vidisset, istudque suum visum illis exposuisset; illi eum rapuerunt, extra urbemque raptatum lapidaverunt. *Cap.* 8. Fit deinde Judaeorum impetus in ceteros, qui Jerosolymae erant fideles. Diffugiunt reliqui praeter Apostolos; iidem dispersi quacumque ibant per Judaeae, et Samariae civitates, praedicant Evangelium. Philippus eo tempore venit Samariam, ad eiusque praedicationem, et prodigia Samaritani fidem suscipiunt. Cuius rei fama Jerosolymam perlata mittuntur Petrus, et Joannes ad imponendas baptizatis manus. Simon magus, qui praedicante Philippo etiam crediderat, vult hanc ab Apostolis potestatem mercari pecunia. Philippus instruit, et baptizat Candacis reginae Aethiopum eunuchum. *Cap.* 9. Saulus acceptis literis a principibus sacerdotum Damascum proficiscitur, ut quos ibi reperisset Christo nomen dedisse, vin-

stos duceret Jerosolymam. Is vero, cum Damasco appropinquasset, Christi voce prosternitur, et convertitur, manibusque Damascum perductus, nam lumen etiam oculorum amiserat, dum prosterneretur, ab Anania baptizatur, illicoque ibi in synagogis Christum praedicat. At vero dum Judaei ei insidiarentur, occidereque eum voluissent; in sporta e muro demissus redit Jerosolymam, et cum illic pariter periculum subiisset, confert se in Ciliciae urbem Tarsum. Petrus peragrat omnia Judaeae loca, et invisit omnes discipulos. Lyddae Aeneam quemdam paralyticum sanat, et in Joppe Tabitham, piam feminam, a morte suscitat. *Cap.* 10. Inde Caesaream a Cornelio centurione accersitus pergit, per visum prius admonitus lintei, quod e caelo viderat demitti, quodque plenum erat immundis animantibus, quaeque iussus fuerat manducare, ne dubitaret ad hominem gentilem ire, Evangeliumque ei annunciare; Corneliumque cum tota domo baptizat. *Cap.* 11. Jerosolymam Petrus cum rediisset, et adversum se disceptatum fuisset, quod ad Cornelium, hominem gentilem ivisset, cum eoque Evangelii gratiam communicasset, sedat, et componit hanc disceptationem, visum suum exponendo, Divinique Spiritus iussionem, qua illud egerit. Discipuli per eam persecutionem, in qua lapidatus fuit Stephanus, dispersi, Evangelium propagant inter Judaeos in Phoenicia, Cypro, et Antiochiae. Barnabas Antiochiam Jerosolyma missus, eo Tarso Saulum quoque adducit, atque ibi docent eo successu,

ut fideles ibi primum adpellarentur Christiani. Agabus Antiochiae famem, quae afflictura sit totum orbem, praedicit. Christianis in Judaea per Barnabam, et Saulum alii mittunt subsidia. *Cap.* 12. Herodes interficit Jacobum, fratrem Joannis: cumque etiam Petrum parasset supplicio afficere; hunc angelus noctu ex vinculis liberat. Petrus se deinde subducit Jerosolyma. Herodes, cum Caesareae Divinae ei laudes fuissent tributae per adulationem a eopulo, hisque esset captus, ab Angelo subito perputitur, et a vermibus comsumptus, perit. *Cap.* 13. Antiochiae iubente Spiritu sancto Paulus, et Barnabas segregantur, manuumque impositione ordinantur Apostoli. In insula Cypro Paulus Sergium Paulum proconsulem ad fidem convertit, et Elymam magum, quod proconsulem a fide conatus esset avertere, caecitate plectit. Antiochiae Pisidiae in synagoga praedicat Paulus. Cui, cum contradictum fuisset ab Judaeis, ipse et Barnabas excusso pulvere pedum in eos, vertunt se ad praedicandum Evangelium gentibus, et pergunt Iconium. *Cap.* 14. Iconii Pauli, et Barnabae praedicatione multi tam Judaeorum, quam gentilium convertuntur ad fidem: Iconiensium vero animos, ubi Judaei increduli concitassent adversum Apostolos, lapidibusque insectati essent; hi ad Lycaoniae civitates, Lystram et Derbem se recipiunt. Lystris cum Paulus claudum sanasset; Lystrenses in eorum admirationem rapti, Divinis etiam honoribus affecissent, nisi ipsi prohibuissent. Iidem Lystrenses, ab Judaeis

Antiochia, et Iconio supervenientibus, in contrariam partem adversus Apostolos acti, Paulum ita lapidibus petunt, ut pro mortuo relinqueretur. Confirmatis discipulorum animis, et constitutis presbyteris per civitates, Antiochiam revertuntur. *Cap.* 15. Ibi a quibusdam, qui Jerosolyma advenerant, quique eos, qui ex gentilibus ad fidem erant conversi, voluissent circumcidi, cum disceptatio adversus Paulum, et Barnabam, obsistentes illi conatui, excitata fuisset: Paulus, et Barnabas hac de causa mittuntur Jerosolymam ad Apostolos, et seniores. Ibi celebrato concilio ab Apostolis, et senioribus decretum fit de gentilibus per circumcisionem, reliquosque Mosaicos ritus non inquietandis, sed tantum, ut ab immolatis simulacrorum, fornicatione, sangvine, et suffocato abstinerent, iis imponitur. Paulus, et Barnabas Antiochiam cum essent reversi, separatim deinde ad ea loca, et civitates, in quibus antea praedicaverant, discedunt, cum dissensio quaedam inter ipsos propter Joannem Marcum, quem Barnabas assumere ad iter volebat, Paulus vero, quod ab eo antea essent deserti, nolebat, exorta fuisset. *Cap.* 16. Lystris Timotheum sibi Paulus associat. Per Asiae provincias cum iter faceret, Evangelicae praedicationis gratia, in ea provincia, quae Asia minor vocabatur, et Bithynia, prohibuit eum Spiritus sanctus loqui. Vocatur per visum in Macedoniam. Philippis Lydiam purpurariam ad fidem convertit, et puellam quamdam, a pythone obsessam, liberat. Cum Sila, socio suo

flagellis caesus in carcerem coniicitur. Solutis vinculis, et aperto carcere Divinitus, convertitur carceris custos ad fidem, et baptizatur cum tota sua domo. *Cap.* 17. Civitates Macedoniae, Amphipolim, deinde Apolloniam, Thessalonicam, et Beroeam, cum peragrasset, Athenas venit, et cum philosophis disputans, ab hisque in Areopagum deductus, fidem etiam ibi praedicat. Qua praedicatione Dionysius Areopagita, mulier nomine Damaris, pluresque alii fidem suscipiunt. *Cap.* 18. Athenis Corinthum se confert, et apud Aquilam, et Priscillam commoratus, atque in Synagoga disputans, cum sese ei Judaei opposuissent, excussis suis vestibus in eos, vertit se ad gentes. Crispus vero archisynagogus, multique alii fidem amplectuntur. Paulum cum ad Gallionis proconsulis tribunal Judaei raptassent; is in eum renuit exercere iudicium in controversia de eorum religione. Redit Paulus in Syriam, ac inde venit Ephesum, tum Phrygiam peragrat, et Galaticam regionem. Apollo Alexandrinus Judaeus Ephesi, et in Achaja Judaeos ex Scripturis convincit Jesum esse Messiam. *Cap.* 19. Paulus Ephesum reversus, cum discipulos quosdam reperisset solo Joannis baptismate tinctos, hos baptizat, baptizatisque per manuum suarum impositionem Spiritum sanctum tribuit. Docet in synagoga tres menses. Sed cum Judaeos expertus esset refractarios, docendi causa transfert se in scholam cuiusdam Tyranni, atque ibi biennium docet. Scevae principis sacerdotum filii tentantes exorcismum

in nomine Jesu, male mulctantur a daemone. Fideles Ephesii confitentur, et annunciant actus suos, librosque suos comburunt. Demetrius artifex aerarius civitatem adversus Paulum concitat, quem scriba civitatis tumultum sedat. *Cap.* 20. In Macedoniam, et Graeciam Paulus proficiscitur. Troade Eutychum adolescentem e coenaculi fenestra, quo fideles ad frangendum panem una sabbati convenerant, Paulusque ad eos in profundam noctem verba fecerat, delapsum, atque ex casu mortuum, ad vitam revocat. Multis peragratis civitatibus cum Miletum venisset, hucque Epheso maiores natu Ecclesiae ad se convocavisset; his commendat gregum, quibus a Spiritu sancto erant praepositi, curam. Demonstrat se iam ad eos amplius non esse reversurum. *Cap.* 21. Iter deinde ingreditur Jerosolymam, cumque Tyri, et Caesareae substitisset, tum ab aliis, tum ab Agabo propheta ipsi praedicuntur incommoda, atque vincula, in quae Jerosolymae coniiciendus sit. Ubi Jerosolymam venerat, Jacobumque Apostolum adierat, huius svasu cum quibusdam se in purificatione, et sacrificatione coniungit, qui votum suum, quo erant obstricti, erant exsoluturi. At vero Judaei illum in templo apprehendunt, forasque protractum, et verberibus mulctatum etiam interfecissent, nisi tribunus cum manu militum accurrens, ex illorum manibus eripuisset. *Cap.* 22. Permittente deinde tribuno Judaeos allocutus docet, qua ratione ipse Christum agnoverit, baptizatusque sit. Qua oratione ipsius offensi sublato clamore ad mortem

ipsum deposcunt. Tribunus sciendi causa, cur adversus Paulum iterum tantopere exarsissent; loris adstringi, atque flagellis caedi eum iubet. Ex quo cruciatu ille se, civem Romanum esse professus, liberat. Altera die tribunus, Judaeis ad concilium coactis, quaestionem de Paulo instituit. *Cap.* 23. Paulus in concilio conscientiam suam bonam in testimonium allegans, atque proferens, cum mandante principe sacerdotum percussus in faciem esset, Percutiet te, inquiebat illi, Deus, paries dealbate. Cum vero advertisset Judaeos praesentes in concilio, alios esse Pharisaeos, alios Sadducaeos, quorum alteri resurrectionem admitterent, alteri negarent; de resurrectione ex industria orsus est sermonem, questus ista de causa, quodque resurrectionem ipse quoque crederet, et praedicaret, se se in crimen vocari. Tum vero inter ipsos Judaeos orta est disputatio, atque contentio. Paulus iussu tribuni reducitur in castra. Quadraginta Judaei se se devovent non ante comesuros, vel bibituros aliquid, quam Paulum interficerent. Quibus insidiis proditis tribunus Paulum stipatum militibus Caesaream ad Felicem Judaeae praesidem mittit. *Cap.* 24. Ananias princeps sacerdotum cum pluribus Judaeis, et Tertullo oratore Caesaream veniunt ad accusandum Paulum. Diluit obiecta sibi crimina Paulus. Praeses iudicium suspendit ad adventum Lysiae tribuni. De Fide, et Religione disserentem saepius audit Felix, et Drusilla eius uxor. Cui cum in provincia successisset Portius Festus, huic Felix vinctum Paulum

relinquit in gratiam Judaeorum. *Cap.* 25. Coram Festo, accusantibus Judaeis, iterum in iudicium producitur Paulus. Qui interrogatus a praeside, num iudicium de se vellet fieri Jerosolymae, appellat caesarem. Negotium praeses confert cum rege Agrippa, cum hic ad eum salutandum venisset. *Cap.* 26. Paulus vero a Festo praeside coram Agrippa productus, fidei suae rationem exponit, demonstrans, qua ratione in via, dum Damascum iret ad comprehendendos Christianos, Christus ei apparuerit, fidemque in illum susceperit. Insaniae, in quam ob multas literas inciderit, arguit eum Festus. Agrippam vero Paulus iam ad cedendum impulerat sua disputatione. Is eum Festo declarat insontem esse, et dimitti potuisse, si caesarem non appellasset. *Cap.* 27. Romam mittitur Paulus. In via gravi, et diuturna tempestate iactati naufragium faciunt ad Melitam insulam. *Cap.* 28. In Melita insula Paulus a vipera morsus nullum incommodum patitur. Publii, qui princeps illius insulae erat, patrem a febri, multosque alios ab infirmitatibus diversis curat. Peracta hieme, et navigatione resumpta Romam venit, cum ei obviam inde prodiissent Christiani. Triduo post ad suum conductum, et ad se primores Judaeorum convocat; causam, cur Romam ductus sit, illis exponit, e Moyseque, et ex Prophetis ipsis fidem svadet in Jesum Christum. Biennium manet in suo conducto, et libere omnes ad se accedentes docet.

CAPVT I.

Christus admonitis discipulis, ne ante quam Spiritus sanctus super eos venisset, Jerosolyma discederent, in eorum oculis adscendit in caelum. In Judae proditoris locum ad Apostolorum collegium Mathias cooptatur.

1. *PRIMUM quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae coepit Jesus facere, et docere* 2. *usque in diem, qua praecipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est.* De omnibus, quae Christus egit, ac docuit, sermonem Lucas in suo Evangelio instituit, quorum documentis Theophilus, ad quem Evangelium suum miserat, instrueretur, non vero omnia quae egit, et dixit, etiam in eodem suo Evangelio explicuit: siquidem de solis miraculis S. Joannes in fine sui Evangelii testis sit, omnia si scriberentur, ne mundum quidem capturum esse omnes illos libros. „Quomodo hic, ait S. Chrysostomus „homilia 1. in Acta Apost. de omnibus loquitur? „At non dixit omnia, sed de omnibus: ac si quis „dicat summatim, et in genere; aut de omnibus, „quae competunt, et urgent." Theophilum hunc, ad quem Acta etiam haec scripserat, illustrem fuisse aliquem virum, iam in Lucae Evangelio demonstratum est. Praecepit autem Apostolis per Spiritum sanctum, quibus scilicet illa etiam adhuc die, qua in caelos abiit, documenta dederit per Spiri-

tum sanctum, et quae documenta edita ipsius erga eos Spiritu sint. Sic de verbis, quae Christus fecerat etiam Ioannis cap. 6. v. 64. est: „Verba, quae „ego locutus sum vobis, Spiritus, et vita sunt." Tamquam ergo per Spiritum sanctum, qui in Christo erat, ut vis, et auctoritas ipsorum Divina fuisse, eo magis intelligeretur, praecepta esse illa data ab eo Apostolis dicuntur. „Etenim, inquit S. Chry„sostomus homilia eadem 1. Spiritus sanctus in „illo templo operabatur." 3. *Quibus et praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.* 4. *Et convescens, praecepit eis, ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum:* 5. *quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* 6. *Igitur, qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Graece est in tertio inflexionis casu: τῷ Ἰσραήλ, *Israeli.* Nempe suis adhuc opinionibus detinebantur de terreni regni Israelitici instautatione per Christum. 7. *Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae pater posuit in sua potestate.* 8. *Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* 9. *Et cum haec dixisset, videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab*

oculis eorum. 10. *Cumque intuerentur in caelum euntem illum; ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis,* 11. *qui et dixerunt: Viri Galilaei, quid statis adspicientes in caelum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.* 12. *Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui est iuxta Jerusalem, sabbati habens iter.* Lucas Evangelii cap. 24. v. 50. dicit Christum adscensurum in caelum discipulos suos eduxisse in Bethaniam. Nempe hac via per Bethaniam illos duxit ad montem Oliveti, unde deinde in caelum conscendit. Ad radices enim montis Oliveti fuit Bethania. Sabbati iter tantumdem intelligitur spatii, quantum Judaeis licebat itineris facere sabbato. Illius vero quantitas cum definita in Scriptura non reperiatur; Hebraeorum doctores tradunt tantum hoc fuisse spatii, et intervalli, quantum a Dei tabernaculo in circuitu castrorum, dum peregrinabantur sub Moyse, reliqua tabernacula distabant, utpote unde etiam sabbatis ad Dei tabernaculum Religionis causa itum esset in castris: cumque Josue capite 3. v. 4. dum arca praeunte tota populi multitudo traducebatur per Jordanem, aquis a suo cursu suspensis, bis mille cubitorum intervallum Dei iussu observatum sit, quo populi agmen tum seiungebatur ab arca, tantumdem hinc infertur fuisse quoque in castris spatii, et quod proinde sabbatis etiam, dum ad Dei tabernaculum conveniendum esset, conficere licitum esset. Josephus

lib. 6. de Bello cap. 3. docet Jerosolymam a monte Oliveti abfuisse spatio stadiorum quinque. Stadium continet passus centum, et viginti quinque. Quae mensurae stadiorum quinque, et bis mille cubitorum fere inter se conveniunt. 13. *Et cum introissent in coenaculum, adscenderunt, ubi manebant Petrus, et Joannes, Jacobus, et Andreas, Philippus, et Thomas, Bartholomaeus, et Matthaeus, Jacobus Alphaei* (videlicet filius) *et Simon Zelotes, et Judas Jacobi* (scilicet frater.) 14. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus eius.* 15. *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit, erat autem turba hominum simul, fere centum viginti.* 16. *Viri fratres oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum:* 17. *qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii huius.* 18. *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera eius.* Pecuniam tantum possedit, qua deinde emptus fuit ager, quaeque pecunia merces fuit iniquitatis. Est igitur figurata locutio, id, quod comparatum illa pecunia est, ponendo pro ipsa pecunia, veluti causam pro effectu. Istud, quod Latine versum est: *Suspensus* in Graeco est: πρηνὴς γενόμενος, *praeceps factus:* actus videlicet exprimitur seipsum suspendentis. Sic enim, qui se suspendio perdere

vult, se appendit, ut se deinde in casum det, quantum funis permittit, unaque praefocetur; qui secus ne quidem strangularetur. Hac igitur ratione Judas crepuit medius, inter caelum videlicet, et terram, ubi pendebat. Cumque putrefactum fuisset eius cadaver, rupto ventre, effluxerunt viscera. 19. *Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager lingva eorum Haceldama, hoc est, ager sangvinis.* 20. *Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit, qui inhabitet in ea, et episcopatum eius accipiat alter.* Prior istius testimonii pars est ex Psalmi 68. versu 8, altera ex Psalmi 108. versu 8. In priore Psalmo praedicitur Judaeorum reprobatio. In quo populo cum ipse quoque Judas comprehenderetur; recte infertur, dum periit, fuisse in eo tum hoc vaticinium impletum. In altero autem loco pro episcopatu in Hebraeo vocabulum est *Pekúdah* (פְּקֻדָּה) quod praefecturam significat: et quemadmodum ibi demonstratum est, insectatus est illo Psalmo David hostes suos, qui in coniuratione cum Absalomo fuerunt, atque inter hos praecipue Achitophelem, antea familiarem, atque consiliarium suum, qui isti factioni propter auctoritatem sui consilii, qua pollebat, pondus maximum sua defectione a Davide, et conspiratione cum factiosis addiderat. Cum ergo periisset, nam suspendendo seipsum etiam suo hocce interitu praeluserat Judae, cuius typum gesserat; quod David in illum in hoc psalmo coniecerat; idem per figuram, et adum-

adumbrationem referebatur ad Judam quoque, sed sensu typico. Secundum quem sensum proinde hoc, quod de conferendo episcopatu alteri in hoc Psalmo positum est, impletum est, cum in locum Judae, postquam interiisset, constitutus fuisset Mathias, quemadmodum Achitophel quoque, dum periret, dignitatis suae locum, quem tenebat apud Davidem, alteri aperuerat. 21. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit, et exivit inter nos Dominus Jesus,* 22. *incipiens a baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis.* Intrare, et exire, secundum morem Hebraice loquendi, cuius indolem Apostoli, et Evangelistae retinuerunt, etiam dum Graece loquerentur, vel scriberent, significat omnia, quae quis ultro, citroque agit. Quod fit perspicuum ex illo Psalmi 120. versu 8. „Dominus custodiat introitum tuum, „et exitum tuum, ex hoc nunc, et usque in se„culum.“ Latine igitur, et planius diceretur: In omni tempore, quo inter nos egit, et nobiscum versabatur Dominus Jesus. 23. *Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Mathiam;* 24. *et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum,* 25. *accipere locum ministerii huius, et apostolatus, de quo praevaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.* 26. *Et dederunt sortes eis, et cecidit*

sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis. Non caecis sortibus commiserunt hoc negotium, qui Deum ita precati sunt: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum.* Legibus Ecclesiasticis postea cautum fuit, ne electiones clericorum ad clericalia munia, et dignitates per sortes instituerentur, quod praeferri dignior semper debeat, neque vero hunc sortes semper designent, nisi extraordinaria Dei providentia assistat, sortesque regat, ad quam temere recurrere, Deum tentare esset. Quod ergo Apostoli ad sortes confugerint, id eos fecisse, nonnisi Divino monitu, credendum est. Cum igitur ex omni sua multitudine, omnium consensu, statuissent duos in medio, quorum alteruter succederet in locum Judae, nec uter ex his duobus anteferendus alteri esset, per seipsos possent discernere, quod virtute pares haberentur; ad orationem erga Deum confugerunt, utque is, quem ex his duobus elegisset, demonstraret; eum suppliciter rogaverunt, ac demum sortes de ipsis miserunt. Qui Dei Spiritus instinctum hunc illis dedit, ut hanc electionem novi Apostoli in locum Judae instituerent; idem profecto huc illos etiam movit; ut ad Divinam voluntatem explorandam sortium conditione uterentur.

CAPVT II.

Spiritus sanctus die Pentecostes venit super Apostolos. In admiratione omnium, dum Apostolos cernerent novis lingvis instructos, Petrus verba faciens convertit ad fidem hominum millia fere tria. Credentes perseverant in Apostolorum doctrina, et fractione panis, omniaque inter se habent communia.

1. *ET cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.* Sic vocabatur apud Judaeos quoque haec solennitas, quaeque sic dicta est, quod a die altera Paschatis, in qua manipulus primitiarum offerebatur, quinquagesimus iste dies esset, quo haec solennitas fiebat. Hebdomadarum etiam festivitas dicebatur Levit. 23. v. 15. Deut. 16. v. 10. Hac die quinquagesima post celebratum Pascha, et exitum ex Aegypto fuit lex Israelitis data in monte Sinai: Exod. 19. v. 1, 11. et quemadmodum Judaeorum Pascha, et immolatio illius agni, quem tum mactarunt, typum gessit nostri Paschatis, et immolati Christi; ita lex quoque figuram gessit Evangelii. Quemadmodum ergo in Judaeorum paschate expleturus typum, mortuus est Christus, resurrexitque; rursus cum primitiarum manipulus oblatus esset in templo, veluti primitiae dormientium, sicut ille unus manipulus erat primitiarum nomine Deo oblatus ex novo frumento post semen terrae mandatum, et putrefactum; ita hac die etiam, qua lex fuit data, Spiritus san-

ctus venit, et gratiam, cuius promissionem habet Evangelium, in corde discipulorum dedit. Sed sicut immolatio Christi accidit non eadem, qua immolatus fuit agnus pachalis, sed postera die; iterumque nonnisi altera etiam resurrexit, postquam primitiarum manipulus fuisset oblatus in templo; ita peraeque non eadem, qua Judaei Pentecosten celebrarunt, sed altera subsequente, Spiritus sanctus super Apostolos venit: siquidem quinquagesima dies, computata ab altera die paschatis, quae inciderat in diem sabbati, similiter fuerit eodem illo anno in die sabbati: die vero Dominica ex vetustissima traditione celebret Ecclesia festivam memoriam adventus Spiritus sancti. Iam ad Matthaei 26. versum. 20. a me demonstratum est, sic rem omnem in illis Christi mysteriis esse gestam, et observatam eo anno quoad typos, qui illa in veteri lege figuraverant, et adumbraverant, ut illi antitypi per Christum non in idem punctum temporis cum typis inciderent, et convenirent; sed ubi typi una die praecurrissent, statim altera successisse antitypum, illudque esse impletum, quod per typum repraesentabatur.

2. *Et factus est repente de caelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Adventus Spiritus sancti videlicet factus est ad sonitum flantis venti, et cum impetu venientis e caelo, et quo quasi ministerio usus est ad illum indicandum Spiritus sanctus. 3. *Et apparuerunt illis dispertitae lingvae*

tamquam ignis, seditque supra singulos eorum. 4. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et coeperunt loqui variis lingvis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* 5. *Erant autem in Jerusalem habitantes Judaei, viri religiosi ex omni natione, quae sub caelo est.* Iidem hi et Judaei, et ex omni natione dicuntur fuisse: qui scilicet cum generis origine essent Judaei, tamen nati, atque educati essent alibi in extera aliqua regione, et civitate, ubi Judaei multi habitabant dispersi: et qua ratione Paulus ipse quoque dictus est Tarsensis a Tarso Ciliciae urbe, ubi natus, et educatus est. Hi ergo intelliguntur Judaei, qui cum alibi essent nati, atque educati; Jerosolymae habitaverint, quoque suum domicilium contulerint reversi ex alienigenis nationibus. 6. *Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingva sua illos loquentes.* Verbum, vox, more Hebraeorum usurpari etiam solet pro re, quae accidit. Qua ratione etiam hic vox est posita, quae facta esse dicitur. Intelligitur enim res, quae accidit per Spiritum sanctum venientem super Apostolos. Fuit versu quarto: „Et „coeperunt loqui variis lingvis.“ Quod ergo nunc isto versu est, unumquemque audivisse lingva sua illos loquentes, non sic sumendum est; quasi Apostolos sua pristina lingva loquentes, alii tantum etiam aliarum lingvarum homines intellexissent; sed ipsos Apostolos esse locutos novis, variisque lingvis.

7. *Stupebant autem omnes, et mirabantur,*

dicentes: Nonne, ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilaei sunt? 8. *Et quomodo nos audivimus unusquisque lingvam nostram, in qua nati sumus?* 9. *Parthi, et Medi, et Aelamitae* (hi iidem sunt, qui Persae, Genes. 14. v. 2.) *et qui habitant Mesopotamiam, Judaeam, et Cappadociam, Pontum, et Asiam,* 10. *Phrygiam, et Pamphiliam, Aegyptum, et partes Lybiae, quae est circa Cyrenen, et advenae Romani,* 11. *Judaei quoque, et Proselyti, Cretes, et Arabes, audivimus eos loquentes nostris lingvis magnalia Dei.* Proselyti intelliguntur, qui ex aliena natione originem ducentes Religionem assumpserunt Judaeorum. Iam vero commemoraverat versu nono, Judaeam incolentes fuisse in eadem hac admiratione, dum Apostoli diversissimis lingvis loquerentur. Dum ergo rursus hic Judaeos memorat, latius sumit vocabulum pro Judaeis etiam iis, qui in Judaea non essent nati, et in opposita ratione ad Proselytos: quorum alteris avita, etiamsi extra Judaeam essent nati, alteris non avita esset Israelitica Religio. 12. *Stupebant autem omnes, et mirabantur, ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc esse?* 13. *Alii autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti.* 14. *Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis: Viri Judaei, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea.* 15. *Non enim sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia.* Haec diei hora tertia non nostro more

numerandi horas debet sumi, sed prout apud illos usus erat, ab ortu videlicet diei: cumque in duodecim horas divisum habuerint diem, Joan. 11. v. 9. hora diei tertia cadit in id tempus, quod est medium inter diei ortum, et meridiem. Illo autem diei tempore etiam ii, qui ebriosi sunt, diluerunt vinum. Ex quo Petrus inferebat, tanto minus in suos socios Apostolos temulentiae suspicionem posse conferri. Deinde, quamvis vinum lingvam multis ad garrulitatem, et effutienda quaevis solvat; nemini tamen adhuc ignotarum antea lingvarum notitiam conciliavit. 16. *Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Joel:* 17. *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae, et iuvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt.* 18. *Et quidem super servos meos, dabo prodigia in caelo sursum, et signa in terra deorsum, sangvinem, et ignem, et vaporem fumi.* 20. *Sol convertetur in tenebras, et luna in sangvinem, antequam veniat dies Domini magnus, et manifestus.* 21. *Et erit: Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Joel. 2. v. 28. Novissimum mundi tempus coepit cum adventu Christi in mundum, et praedicatione Evangelii. Nam et Joannes Apostolus Epistola 1. cap. 2. v. 18. novissimam horam tempus illud vocavit, quo hanc epistolam scribebat. Paulus quoque 1. Cor. 10. v. 11 se et eos, qui tum cum eo viverent, dixit esse, in

quos fines seculorum devenerint. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* „ Hoc est, in omnes „ gentes " ait S. Chrysostomus homilia 5. Nempe Spiritus sancti donum et parcius olim dabatur, et fere inde a temporibus legis datae solis tantum Judaeis communicabatur. Nunc igitur flumen Spiritus sancti aperiendum esse largissime erga omnes nationes, et ad totum mundum prophetico isto oraculo praedicabatur. *Et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae, et iuvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt.* Visiones, et somnia ad eumdem propheticum Spiritum pertinent, tamquam quibus omnibus modis Deus usus sit ad Spiritum suum indendum prophetis. Non autem omnes, qui crediderunt, et nunc, qui credunt, Spiritu prophetico a Deo exornantur. „ Numquid omnes Prophetae?" 1. Cor. 12. v. 29. Sed illa infusio prophetis facta Spiritus sancti ad prophetandum, tamquam una species doni ipsius posita est pro genere: siquidem omnes, qui credunt, in baptismo Spiritu sancto baptizantur, Joan. 3. v. 5. et donum ipsius percipiunt. *Et dabo prodigia in caelo sursum, et signa in terra deorsum, sangvinem, et ignem, et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sangvinem.* Haec signa nondum sunt facta. Advertendum autem est, quid post haec verba sequatur: *Antequam inquit, veniat dies Domini magnus, et manifestus.* Haec igitur signa adhuc sequentur, praecedentque diem iudicii, quemadmodum et in Lu-

ca est capite 21. v. 25. „Erunt signa in sole, et „luna, et stellis." Joel ergo propheta non tantum initium illud novae legis, quando Spiritus sanctus primum est datus, attigit; sed spatium omne complexus est, et prophetico oculo ad novissimum usque mundi tempus excurrit, et quid futurum esset, ostendit. Quod iam etiam ibi in Joele declaratum est. *Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Dicit S. Paulus ad Romanos 10. v. 14. „Quomodo invocabunt, in quem non „crediderunt?" Intelligitur ergo invocatio per fidem. „Qui enim crediderit, et baptizatus fuerit, „salvus erit." Marc. 16. v. 16. Est igitur invocatio haec posita tamquam effectus Spiritus sancti in iis, qui illum acciperent, cuiusque dono fideles credituri essent, et salvi fierent.

22. *Viri Israelitae, audite verba haec: Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis virtutibus, et prodigiis, et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis,* 23. *hunc definito consilio, et praescientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes, interemistis.* 24. *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Graece: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus mortis*, τȣ̃ θανάτȣ. Dolores, qui in morte sentiuntur, ne in aliis quidem hominibus remanent, postquam mortui sunt. Neque ergo in Christo etiam aliquid doloris ex morte superfuit, ubi spiritum efflasset. Quia tamen morti tamdiu

subiectus mansit, quamdiu iacuit in sepulchro, atque eousque mortis spiculum, quo occisus est, in eo haesit, quousque illud resurgendo non fuisset ab eo excussum, illaque separatio animae a corpore ipsius contra naturalem propensionem humanae naturae fuit; ista ratione dolores mortis tantum in resurrectione ipsius dicuntur esse soluti. Quibus impossibile erat ipsum teneri. Nam cum stipendium peccati mors sit, Rom. 6. v. 23. Christus autem liber omni peccato fuerit; ne mors quidem illum, cui se sponte subiecit, ultra quam ipse vellet, tenere sub se potuit. 25. *David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* 26. *Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingva mea, insuper et caro mea requiescet in spe.* 27. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* 28. *Notas mihi fecisti vias vitae, et replebis me iucunditate cum facie tua.* Psal. 15. v. 8. 29. *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, et sepultus: et sepulchrum eius est apud nos usque in hodiernum diem.* 30. *Propheta igitur cum esset, et sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius;* 31. *providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.* 32. *Hunc Jesum resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes*

sumus. 33. *Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, et auditis.* 34. *Non enim David adscendit in caelum. Dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis,* 35. *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Psal. 109. v. 1. 36. *Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* In Christo quemadmodum Deus factus est homo; ita vicissim homo factus est Deus per Divinae personae unitatem, quae fuit in Christo. Hac igitur ratione Petrus dixit, hunc Jesum Nazarenum, quem Judaei crucifixerant, factum esse a Deo Dominum, et Christum: quod is homo, quem crucifixerunt, vere etiam fuerit Deus. Deus autem illum fecit Dominum, et Christum. Vi enim Divina incarnatio peracta est, in qua Dei Filius homo factus est, humanamque naturam hypostatice sibi coniunxit.

37. *His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres?* 38. *Petrus vero ad illos: Poenitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti.* S. Paulus cum Ephesum venisset, et incidisset in quosdam discipulos, quos iam esse baptizatos credebat, atque ex ipsis quaesivisset, num Spiritum sanctum accepissent credentes, illique se, an vel Spiritus esset, negassent

audivisse; cum admiratione iterum eos interrogavit, in quonam ergo baptizati essent: cumque respondissent in Joannis baptismate se baptizatos esse, baptizati dicuntur deinde in nomine Domini Jesu. Act. 19. v. 1. Ex quo vero illud perspicuum fit, quod quamvis hi discipuli, quos Paulus reperit Ephesi, dicantur esse baptizati in nomine Domini Jesu; tamen in eo baptismo Personarum Divinarum distincta invocatio facta sit. Nam, cum Paulus putans illos esse baptizatos Christi baptismate, hinc intulerit ipsos audire debuisse aliquid de Spiritu sancto: consequens est, et Spiritus sancti invocationem debuisse fieri semper in baptismo, quod secus admirandi causam, cur de Spiritu sancto nihil audiverint, nullam Paulus habuisset; et deinde Paulum, dum istos Ephesios, sive per seipsum, sive per alium baptizavit, hanc invocationem etiam Spiritus sancti non praetermisisse: qui certe diversum ab ea ratione in baptizando non fecerit, quam in illis Ephesiis requisierat; et de quibus, si baptismo Christi baptizati fuissent, quomodo baptizari potuerint, ne de Spiritu sancto aliquid audirent, admiratus fuerat. Est deinde Apostolis Matth. 28. v. 19. a Christo diserte forma proposita, atque praescripta baptizandi cum trium Divinarum Personarum distincta enunciatione, et invocatione: „Euntes docete, inquit, omnes gentes, baptizantes eos, „in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.“ Quam proinde formam proculdubio observarunt Apostoli. Dum ergo sive hic, sive postea etiam

alibi, aliqui baptizati dicuntur in nomine Jesu; non invocatio intelligitur, quae facta sit nominis Jesu; sed baptizatio ipsa intelligitur, quam Apostoli exercerent nomine, et auctoritate Jesu. Qua ratione nomen pro eo, cuius auctoritate, et potestate aliquid fit, alibi quoque in Scriptura saepe sumitur. Sic Christus de se dicit: „Ego veni in nomine Patris „mei, et non accipitis me: si alius venerit in no-„mine suo, illum accipietis.“ Joan. 5. v. 43. Et rursus: „Pater sancte, serva eos in nomine tuo, „quos dedisti mihi. Cum essem cum eis, ego ser-„vabam eos in nomine tuo.“ 39. *Vobis enim est repromissio, et filiis vestris, et omnibus, qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.* Gentiles intelliguntur, qui longe fuerunt. Sic enim de istis loquitur etiam S. Paulus: „Vos „qui eratis longe, facti estis prope in sangvine „Christi.“ Eph. 2. v. 13. Eosdem vero gentiles idem Apostolus ibidem hospites vocat testamentorum, et promissionis spem non habentes. Nempe gentiles vi foederis, quod cum illis fecisset Deus de mittendo illis Christo, nullam de eo promissionem habuerunt, et quam e contrario Israelitae habuerant. Habuerunt tamen ea ratione promissionem, quatenus Deus de illorum etiam conversione, et vocatione ad fidem praedicationes fecit. Cum ergo Deus fidelis sit in omnibus verbis suis, Psal. 144. v. 13. vi Divinae istius fidelitatis tamen tenebant Deum promissorem de vocatione sua. 40. *Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, et exhorta-*

batur eos dicens: Salvamini a generatione ista prava. Quae haec intelligitur generatio prava? Homines illi, qui nomine mundi veniunt. Mundus enim totus in maligno positus est. 1. Joan. 5. v. 19. quemque damnatum iri S. Paulus dicit: ,, Dum iu- ,, dicamur autem, inquit, a Domino corripimur, ut ,, non cum hoc mundo damnemur." 1. Cor. 11. v. 32. Itaque Servator ipsos etiam Apostolos de mundo se se elegisse dixit Joan. 15. v. 19. Quemadmodum ergo ipsi electi erant de mundo, ita Petrus istos, qui eum audiebant, hortatus est; ut amplectendo fidem erga Jesum Christum seipsos etiam a mundo secernerent, ne cum mundo pereant.

41. *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia.* 42. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* Dicit S. Paulus 1. Cor. 10. v. 16. ,, Panis, quem frangimus, non- ,, ne participatio corporis Domini est?" Ex quo perspicuum fit, quaenam etiam in primis illis fidelibus hic laudetur perseverantia in communicatione fractionis panis. Nam constantiam exhibuisse in comedendo, nisi iste Divinus cibus fuisset, nulla laus fuisset. Syrus pro pane aperte in versione sua posuit Eucharistiam: *Et perseverabant in doctrina Apostolorum, et communicabant in oratione, et in fractione Eucharistiae.* 43. *Fiebat autem omni animae timor: multa quoque prodigia, et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat*

magnus in universis. Haec extrema pars istius versus: *Et metus erat magnus in universis*, non existunt in Graeco, nec in aliqua Orientali versione. Itaque Latinus Interpres hoc tantum posuit alia verborum forma repetendo illud: *Fiebat omni animae timor*, quod in anteriore parte versus iam antecessit. S. Chrisostomus homil. 7. legit: *Fiebat autem omni animae credentium timor.* Et omnino hi novi credentes, et fideles istum timorem conceperant erga Deum, Spiritus sancti igne in ipsis accensum, quo caverent, ne quid adversus Dei voluntatem, atque amorem committerent, quemadmodum Jeremiam cap. 32. v. 40. etiam de hoc timoris Domini Spiritu in cordibus fidelium praedictum est: „Feriam eis pactum sempiternum, et „non desinam eis benefacere, et timorem meum „dabo in corde eorum, ut non recedant a me.“ 44. *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter*, Graece: ἐπὶ τὸ αὐτὸ *in idem* Syrus vertit: *Una commorabantur.* Atque sic de eodem loco, in quo discipuli fuerint, cum super eos venisset in die Pentecostes Spiritus sanctus, etiam supra huius capitis versu 1. istud Latinus vertit: *et habebant omnia communia.* 45. *Possessiones, et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* 46. *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis,* 47. *collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat, qui*

salvi fierent quotidie in id ipsum. Coenam Eucharisticam eo more primi fideles sumebant, quo eam celebravit ipse etiam Servator post alios cibos. Hanc ergo utramque rationem coenandi nunc Evangelista complexus esse videtur, dum rursus et fractionem panis commemoravit, et ciborum cum exultatione, et simplicitate cordis sumptionem.

CAPVT III.

Petrus, et Joannes hominem claudum ex utero matris, invocato nomine Jesu, repente integritati restituit. Ad concurrentem multitudinem propter admirationem prodigii Petrus iterum verba facit.

1. *PETRUS autem, et Joannes adscendebant in templum ad horam orationis nonam.* Tempus hoc erat, quo dum advesperasceret, sacrificium offerebatur, quod iuge dicebatur, quodque singulis diebus fiebat mane, et vesperi. 2. *Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suae, baiulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quae dicitur speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.* 3. *Is cum vidisset Petrum, et Joannem incipientes introire in templum, rogabat, ut eleemosynam acciperet.* 4. *Intuens autem in eum Petrus cum Joanne dixit: Respice in nos.* 5. *At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.* 6. *Petrus autem dixit: Argentum, et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula.* 7. *Et apprehensa*

hensa manu eius dextera, allevavit eum, et protinus consolidatae sunt bases eius, et plantae. 8. *Et exsiliens stetit, et ambulabat, et intravit cum illis in templum ambulans, et exsiliens, et laudans Deum.* 9. *Et vidit omnis populus eum ambulantem, et laudantem Deum.* 10. *Cognoscebant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad speciosam portam templi et impleti sunt stupore, et extasi in eo, quod contigerat illi.* 11. *Cum teneret autem Petrum, et Joannem,* Graece: *Cum teneret autem is, qui sanatus fuerat claudus Petrum, et Joannem,* κρατοῦντος δὲ τοῦ ἰαθέντος χωλοῦ τὸν Πέτρον, καὶ Ἰωάννην: cum Graeco textu etiam Syriaca, et Arabica versio congruit: *cucurrit omnis populus ad eos, ad porticum, quae appellatur Salomonis, stupentes.* Josephus lib 20. Antiq. cap. 14. hanc extimam templi porticum dicit fuisse, nec ipse eam alio, quam Salomonis nomine vocat. Quid porticus sit, iam alias declaratum est, fuisse ambulacrum in publico loco, superne tantummodo habens planum lapideum tectum, quod columnis undique sustentaretur. Videtur etiam, ubi ex ruderibus excitatum templum est ab iis, qui redierunt ex captivitate, retinuisse Salomonis nomen, a quo totum erat templum aedificatum, fortasse, quod haec porticus diruta per Chaldaeos penitus non sit, et in ea forma, in qua a Salomone fuit exstructa, inter ceteras parietinas templi maiorem suam partem conservata sit, ideoque denominatio ei a Salomone etiam postea relicta sit.

12. *Videns autem Petrus respondit ad populum: Viri Israelitae, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare?* 13. *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti.* Quomodo illum negarunt coram Pilato? Cum Judaeis instantibus, uti Christus crucifigeretur, Pilatus dixisset: „Regem vestrum cruci „figam? responderunt pontifices: Non habemus re„gem, nisi caesarem.“ Joan. 19. v. 15. Abnegarunt illum videlicet suum esse Regem, et Messiam, et tamquam sibi usurpasset nomen Messiae, illudque invasisset, quod ei proprium non esset, ad supplicium eum depoposcerunt. 14. *Vos autem sanctum, et iustum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis.* 15. *Auctorem vero vitae interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cuius nos testes sumus.* 16. *Et in fide nominis eius, hunc quem vos vidistis, et nostis, confirmavit nomen eius: et fides, quae per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* Per repetitionem pronominis obscuratus est nonnihil iste versiculus. Iste autem est sensus: Per fidem nominis Christi, quem ipsi viderint, atque noverint, Deum confirmasse nomen eiusdem Christi, et fidem, quae per illum est, dedisse integram sanitatem istam in conspectu omnium ipsorum. Quam vero prius fidem nominis Christi, hoc est, de no-

mine Christi, et de ipso Christo vocavit; hanc deinde vocat fidem per Christum: quam scilicet fidem ipse etiam Christus praedicaverit, declarans se esse Messiam, et Filium Dei: vel vero praepositio *per*, Graece, διὰ, est posita loco praepositionis *in* istiusque significationis hic vim habet.

17. *Et nunc fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.* 18. *Deus autem, quae pronunciavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.* 19. *Poenitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* 20. *Ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum, qui praedicatus est vobis, Jesum Christum,* 21. *quem oportet quidem caelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a seculo Prophetarum.* Est hic quaedam ellipsis, nec satis secundum verba completa oratio. Sic autem plenius istud diceretur: Poenitemini, et convertimini, ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum, qui praedicatus est vobis, Jesum Christum, refrigerii istius participes fiatis. Diem vero extremi iudicii refrigerii nomine vocat, tamquam quo iustis publice, ac plene etiam secundum corpus praemia per Christum tribuenda sint. Dicitur enim Christus adhuc esse mittendus a Deo, atque adeo hocce refrigerium non de primo eius adventu, qui iam tum peractus erat, sed de secundo intelligendum est. Ad quod usque tempus alterius sui adventus Chri-

stum oportet caelum suscipere, hoc est, esse in caelo, et quo tempore restitutio fiet omnium. Tunc enim genus humanum per peccatum primi hominis in mortem praeceps actum; primae suae integritati, et immortalitati restituetur, revocatis etiam corporibus ad vitam, plenaque, ac perfecta fiet humani generis per Christum reparatio. 22. *Moyses quidem dicit:* Graece: Μωσῆς μὲν γὰρ πρὸς τοὺς πατέρας εἶπεν: *Nam Moyses quidem ad patres dixit:*) *Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tamquam me: ipsum audietis iuxta omnia, quaecumque locutus fuerit vobis.* 23. *Erit autem: Omnis anima, quae non audierit Prophetam illum, exterminabitur, de plebe.* Ex Deuteronomii cap. 18. v. 15. est hoc a Petro citatum testimonium. Ubi demonstratum est, Christum esse designatum istius Prophetae nomine, qui promittebatur. Secus enim Petrus non recte usurpasset hoc testimonium. Exterminari de plebe, deleri de populo, quod exclusionem significet ex illis bonis, quae Deus spopondit Abrahae, et eius posteris, quaeque bona in caelo exhibenda sint electo Dei populo, est iam demonstratum ad Genesis cap. 17. versum 14. aliasque iam saepius memoratum.

24. *Et omnes prophetae a Samuel, et deinceps, qui locuti sunt, annunciaverunt dies istos.* 25. *Vos estis filii prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes*

familiae terrae. In hac phrasi: *Vos estis filii prophetarum, et foederis*, est idiotismus lingvae Hebraeae pro eo, quod more nostro loquendi diceretur: Ad vos pertinent prophetae, et foedus. Per prophetas vero rursus intelliguntur ea, quae praedicta per eos sunt. Sensus ergo est, eas promissiones, quae factae sunt per prophetas a Deo, quasque spopondit vi foederis, quod cum eorum maioribus fecit, pertinere ad ipsos, esseque illarum promissionum haeredes. Illud, quod Deus Abrahamo dixit, existit Genesis 22. v. 18. 26. *Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque a nequitia sua.* Pro Christo legatione functi sunt Apostoli. 2. Cor. 5. v. 20. Dum ergo hi Judaeis primum annunciarent Evangelium; hac ratione Christus ad eos venit omnium primum, postquam Deus illum suscitasset a morte. Benedixit autem illis, bene se se illis affectum ostendens, offerendo gratiam, qua converterentur a nequitia sua.

CAPVT IV.

Petrus, et Joannes comprehensi ducuntur ad Judaeorum concilium: iisque ulterior Evangelii praedicatio interdicitur. Petri priore concione fidem suscipiunt rursus hominum millia quinque. Fideles collatis in unum facultatibus suis, omnia inter se habent communia.

1. *LOQUENTIBUS autem illis ad populum, supervenerunt sacerdotes, et magistratus templi,*

et Sadducaei, 2. *dolentes, quod docerent populum, et annunciarent in Jesu resurrectionem ex mortuis.* 3. *Et iniecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam in crastinum. Erat enim iam vespera.* 4. *Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia.* De universone numero fidelium dicitur, crevisse illum ad quinque virorum millia, vel vero iste numerus tantum eorum fuit, qui modo ad hanc concionem Petri fidem iterum susceperunt? De istis tantum alteris est iste numerus intelligendus. Praecesserat enim proxime de his, qui nunc audito Dei verbo crediderint. Cum ergo deinde e vestigio subiiciatur, factum esse numerum virorum quinque millium; iste numerus omnino de his, qui nunc crediderint, est accipiendus. Natura enim orationis, et narrationis est, ut quae in una aliqua re dicuntur; ad hanc ipsam etiam referantur, si nulla admonitio aliunde accedat. Quae vero hic, esse hunc numerum de tota Ecclesia, et grege fidelium, qui iam fidem susceperint, accipiendum, nulla existit. Sicque istud etiam S. Augustinus accepit Tract. 39. in Joannem: „Post-„eaquam, inquit, Dominus noster Jesus Christus „resurrexit, et cum voluit, adscendit in caelum; „decem diebus illic impletis, misit inde Spiritum „sanctum. Quo impleti, qui aderant in conclavi „uno, omnium gentium lingvis coeperunt loqui. Mi-„raculo exterriti Domini interfectores compuncti „doluerunt, dolentes mutati sunt, mutati credide-

„ runt corpori Domini, id est, numero fidelium „ tria millia hominum. Item alio facto quodam mira- „ culo accesserunt alia quinque millia. " S. Hieronymus in cap. 14. Isaiae pariter ad hunc modum istud intellexit.

5. *Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum, et seniores, et scribae in Jerusalem,* 6. *et Annas princeps sacerdotum, et Caiphas, et Joannes, et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali.* 7. *Et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* 8. *Tunc repletus Spiritu sancto Petrus dixit ad eos: Principes populi, et seniores audite.* 9. *Si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est* (Syrus, et Arabs: *Si nos hodie in ius vocamur a vobis propter beneficium, quod collatum est in hominem aegrotum, per quid iste sit sanitati restitutus*,) 10. *notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus.* 11. *Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli.* Illi Christum tamquam sibi, et suae nationi exitiosum, occiderunt. Dicebant: „ Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum lo- „ cum, et gentem. " Joan. 11. v. 48. Hunc ergo, quem ipsi ex Israelitica gente submotum habere vo-

luerúnt, quemque reprobaverunt; Deus in novi Israelitici populi aedificio caput anguli, hoc est primum, angularemque lapidem constituit. In angulo, ubi duo latera coeunt aedificii, maxima vis debet esse fundamenti, quod secus latera ab se invicem recedant, nec domus firmitatem aliquam habeat. Testimonium hoc est desumptum ex Psalmi 117. versu 22. 12. *Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

13. *Videntes autem Petri constantiam, et Joannis, comperto, quod homines essent sine literis, et idiotae, admirabantur, et cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant.* 14. *Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.* 15. *Iusserunt autem eos foras extra concilium secedere: et conferebant ad invicem,* 16. *dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, et non possumus negare.* 17. *Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum.* 18. *Et vocantes eos, denunciaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu.* 19. *Petrus vero, et Joannes respondentes, dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, iudicate.* 20. *Non enim possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui.* 21. *At illi comminantes, dimiserunt eos,*

non invenientes, quomodo punirent eos propter populum, quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo, quod acciderat. 22. *Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.*

23. *Dimissi autem venerunt ad suos, et annunciaverunt eis, quanta ad eos principes sacerdotum, et seniores dixissent.* 24. *Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt: Domine, tu es, qui fecisti caelum, et terram, mare, et omnia, quae in eis sunt.* 25. *Qui Spiritu sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* 26. *Adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius.* 27. *Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus cum gentibus, et populis Israel.* 28. *facere quae manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri.* Christum Deus unxit Spiritu sancto. Sic enim est infra capitis 10. versu 38. „Quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute." Quo Spiritu sancto unctus est, dum humana ipsius natura ad unionem hypostaticam assumpta est cum Divina natura in eius conceptione, et incarnatione. Factum enim est, ut in ipso plenitudo Divinitatis habitaret corporaliter, quemadmodum hoc iam demonstratum est ad Psalmi 44. v. 8. 29. *Et nunc, Domine, respice in*

minas eorum, et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. 30. In eo, quod manum tuam extendas ad sanitates, et signa, et prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Jesu. 31. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia. 32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una: nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. 33. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, et gratia magna erat in omnibus illis. Graece: *Gratia magna erat super omnes illos*, ἐπὶ πάντας αὐτούς. Tametsi vero Dei gratia procul dubio fuerint pleni, qui, ut superiore versu est, Spiritu sancto erant repleti; tamen hoc de favore ceterorum erga unumquemque illorum, illud svadet, quod iam etiam supra cap. 2. v. 47. fuerit de iisdem primis fidelibus, habuisse ipsos gratiam ad omnem plebem; deinde, quod nunc instar causae istius, quod de gratia hac est, sequente versu dicatur, neque enim quemquam fuisse inter eos egentem. Hinc enim consequens est, illud quoque de hominum erga se gratia fuisse: siquidem hoc, quod manifeste de mutuo inter se iuvandi studio est, ad illud probandum aptum non fuisset. 34. *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant,* 35. *et*

ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. 36. *Joseph autem*, (in Graeco est *Joses*) *qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod est interpretatum, Filius consolationis, Levites, Cyprius genere,* 27. *cum haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium, et posuit ante pedes Apostolorum.*

CAPVT V.

Ananias, et Saphira subita morte plectuntur ob mendacium de pecunia fideliter consignata Apostolis ex vendito agro. Undique aegri afferuntur Jerosolymam ad Apostolos curationis gratia. Coniiciuntur in vincula. Inde emissi ab Angelo rursus reducuntur ad iudicium, caesisque denunciatur, ne ultra audeant praedicare.

1. *VIR autem quidam nomine Ananias cum Saphira uxore sua vendidit agrum,* 2. *et fraudavit de pretio agri conscia uxore sua, et afferens partem quamdam ad pedes Apostolorum posuit.* 3. *Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit satanas cor tuum*, Graece: *Cur implevit satanas cor tuum* διατί ἐπλήρωσεν ὁ σατανᾶς τὴν καρδίαν σȢ: *mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri?* 4. *Nonne manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Priore versu verbum *mentiri* cum accusativo casu est constructum, ac quasi sic esset:

Cur mentitus es te Spiritum sanctum, altero autem, cum casu dativo, prout est in Latina versione. Nempe verbum *mentiri*, ψεύσασθαι, alterutrum casum apud Graecos recipit. At vero hinc nihilominus, quod priore loco verbum hocce constructum sit cum accusativo casu, huic: *Cur tentavit satauanrco tm's ,u mentiri t Spiritui sancto*, volunt hunc Sociniani subesse sensum: Cur tentavit satanas cor tuum mentiri, et simulare te Spiritum sanctum, intelligendo per Spiritum sanctum Spiritum sanctitatis, et probitatis, quemque prae se Ananias tulerit, et ob quam fictionem reprehensus a Petro sit. Huc vero torquent istud ideo, ne, cum postea sequatur: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*, consequens sit, Spiritum sanctum esse Divinam Personam, quod illi negant, a quibus una tantum persona in Deo esse creditur. Istius vero ementitae interpretationis falsitas, quo magis appareat, advertendum est, illud quod prius fuit: *Cur satanas tentavit te mentiri Spiritui sancto*, dum declarandi causa rursus repetitur, ac explicatur, cu; Ananias mentitus est, Deum fuisse, non homines, profecto vocabulum mentiri in eadem significatione sumitur, siquidem illud idem sit, et tantummodo declaretur, quis sit, cui mentitus sit. Atqui altero hoc loco, mentiri, omnino pro eo est positum, quod aliter dicitur, dictis suis aliquem fallere. Ergo eumdem huncce sensum habet etiam in anteriore loco. Quodsi ergo ibi per Spiritum sanctum probitatis spiritus intelligeretur, cuius speciem Ana-

nias simulaverit, esset ibi iste sensus: Cur tentavit, vel pressius secundum Graecum, Cur subiit te satanas, ut fallere, decipere velles tuum probitatis spiritum. Qui sensus ineptus prodit, atque hiulcus est. Sed etiamsi mentiri illa altera ratione secundum Socinianos sumeretur pro simulare; adhuc ineptior iste prodiret sensus in inferiore loco, ubi anterius illud explicatur: Non simulasti te esse hominem, sed Deum. Nam hocne Ananiae in mente fuit, ut se simularet Deum esse? Deinde nec dici potest, quod suo probitatis spiritui mentitus sit: quod ipsum lepidum est etiam vel dicere. Sequeretur enim, quod Petrus ipse ex hoc Ananiae probitatis spiritu Deum fecerit, cum dixit, non esse hominibus, sed Deo mentitum. Quid igitur? repererunt aliam viam hinc, ne agnoscere cogantur Spiritum sanctum esse Deum, evadendi. Dicunt, per Spiritum sanctum intelligi ipsum Petrum, quatenus is Dei Spiritu instructus fuit, et Spiritus sancti donum in se habuit. Atqui si Petrus seipsum per Spiritum sanctum intellexisset, quomodo deinde dicere potuisset, non esse Ananiam mentitum hominibus, sed Deo? Ergo Petrus seipsum non hominem sed Deum esse dixisset. Urgent vero p r-inde hoc esse, atque illud Exodi 16. v. 8. a Moyse ad Israelitas est dictum, cum hi murmuravissent contra eumdem Moysem, et Aaronem: „Nec con„tra nos est murmur vestrum, sed contra Domi„num.“ Praecesserat vero ibi proxime ante istud, quod idem Moyses tunc etiam ad eosdem Israeli-

tas dixit: „Dabit vobit Dominus vespere carnes „edere, et mane panes in saturitate, eo quod au- „dierit murmurationes vestras, quibus murmurati „estis contra eum, nos enim quid sumus?" Intelligebat ergo Moyses ipsos, cum murmuravissent, ista sua murmuratione appetiisse non tantum se, et Aaronem, sed multo magis ipsum Deum, siquidem id, adversus quod murmuraverunt, se esse ex Aegypto eductos per Moysem, et Aaronem, hi iussu Dei fecerint, atque totius istius negotii tantum ministri fuerint. Cum vero Moysis, et Aaronis auctoritas propria nulla fuisset in hoc eorum facto, sed tota Dei, nec indignitas admissa a plebe adversus eorum personas in comparationem posset venire cum auctoritate Dei, quae erat per murmurationem illam laesa; utraque hac ratione recte poterat dici a Moyse murmur illud populi non esse contra se, et Aaronem, sed contra Dominum. Quid vero inter illum Moysis locum cum isto Petri commune est? Nam Petrus, postquam dixerat, *Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto*, sic etiam deinde subiicere debuisset: Non es mentitus Spiritui sancto, sed Deo. Atque tum omnino Sociniani habuissent, unde concludere id, quod volunt, ut efficere suum propositum potuissent. Verum non sic dixit, sed ita potius, ut quem prius Spiritum sanctum appellaverat; hunc deinde ipsum declararet esse Deum. Nam cum prius posuisset, ad cuinam mentiendum, Ananiam satanas tentavisset; explicuit deinde, quis iste fuerit, cui sit mentitus.

Affirmat vero hunc esse Deum. Ergo per Spiritum sanctum quoque intellexit Deum. Ubi deinde in tota Scriptura alicubi est, ut homo vocetur Spiritus sanctus? Qua ratione ergo istud nomen pro Petro, nisi ineptissime, atque insulsissime substituere possunt? Quod si ideo putent Ananiam dici mentitum esse Spiritui sancto, quia Spiritus sanctus fuit in Petro; cum deinde affirmatur, non hominibus esse Ananiam mentitum, sed Deo; cum etiam ista ratione mendacium referatur ad Spiritum sanctum, erga quem commissum ab Anania sit, tamen etiam sic consequens iterum est Spiritum sanctum, qui in Petro fuerit, fuisse Deum. Ita quomodocumque se versent, ne ipsi etiam mentiantur Spiritum sanctum non esse Deum; laqueos istius sui mendacii effugere non possunt. Cur ergo Petrus dixit, Ananiam non esse hominibus mentitum? Fideles pecunias ex venditis suis rebus ad pedes Apostolorum deponebant. Ananias cogitabat fallere Apostolos. Cum ergo Petrus docuisset Ananiam suo mendacio appetiisse Spiritum sanctum; consequens erat, ut hocce mendacium diceretur esse admissum erga Deum, non erga homines. Spiritus sanctus est Spiritus veritatis. Joan. 16. v. 13. Idcirco mendacium, quod est veritati contrarium, dicitur esse admissum contra Spiritum sanctum. Ex eo vero, quod a Petro Ananiae dictum sit: *Nonne manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate*, intelligitur agrum illum, Graece est, κτῆμα, quod proprie significat *possessionem*, ac proinde etiam aliam

rem significare potest, retinere potuisse, quin illum cogeretur vendere, qui manens ipsi mansisset, hoc est, quem si servaret, nemo illum in possessione turbasset, itemque pretium sibi integre retinere potuisse, siquidem in eius potestate dicitur fuisse venumdatum. Quod ergo deliquerit, illud unum fuit, quod cum ultro et possessionem suam vendidisset, et eius pretium attulisset; illud sic exhibuerit, quasi totum fuisset, istaque ratione mentitus sit.

5. *Audiens autem Ananias haec verba, cecidit, et exspiravit. Et factus est timor magnus super omnes, qui audierunt.* 6. *Surgentes autem iuvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt.* 7. *Factum est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens, quod factum fuerat, introivit.* 8. *Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: etiam tanti.* 9. *Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, et efferent te.* 10. *Confestim cecidit ad pedes eius, et exspiravit. Intrantes autem iuvenes invenerunt illam mortuam, et extulerunt, et sepelierunt ad virum suum.* 11. *Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, et in omnes, qui audierunt haec.*

12. *Per manus autem Apostolorum fiebant signa, et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.* 13. *Ceterorum*

rum autem nemo audebat se coniungere illis: sed magnificabat illos populus. 14. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum,* 15. *ita ut in plateas eiicerent infirmos, et ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis.* 16. *Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes aegros, et vexatos a spiritibus immundis: qui curabantur omnes.* 17. *Exsurgens autem princeps sacerdotum, et omnes, qui cum illo erant, quae est haeresis Sadducaeorum, repleti sunt zelo.* Haeresis est Graecum vocabulum, quod sectam significat, et hominum certam aliquam societatem, quae se opinione aliqua, atque disciplina ab aliis discernit, ac distingvit. Quamobrem ipsi etiam philosophi habebantur in plures sectas divisi. Jam vero inter Judaeos alios fuisse Pharisaeos, alios Epicuraeos, alios Essenos, alios Herodianos, qui in ipsa Religione non omnes idem sentirent, ac Sadducaeos inficiatos esse existentiam spirituum, et resurrectionem mortuorum et infra huius libri cap. 23. v. 8. est, et iam etiam ad Matthaei 3. versum 7. demonstratum est. 18. *Et iniecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica.* 19. *Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, et educens eos, dixit:* 20. *Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitae huius:* Quam scilicet vitam, institutumque vivendi in fide,

et Religione erga Christum ipsi sequerentur, et profiterentur.

21. *Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, et docebant. Adveniens autem princeps sacerdotum, et qui cum eo erant, convocaverunt concilium, et omnes seniores filiorum Israel, et miserunt ad carcerem, ut adducerentur.* 22. *Cum autem venissent ministri, et aperto carcere non invenissent illos, reversi nunciaverunt,* 23. *dicentes: Carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, et custodes stantes ante ianuas: aperientes autem neminem intus invenimus.* 24. *Ut autem audierunt hos sermones magistratus templi, et principes sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret.* Syrus: *Cogitabant, quid hoc esset.* Arabs: *quid factum esset.* 25. *Adveniens autem quidam nunciavit eis: Quia ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes, et docentes populum.* 26. *Tunc abiit magistratus cum ministris, et adduxit illos sine vi. Timebant enim populum, ne lapidarentur.* 27. *Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio. Et interrogavit eos princeps sacerdotum,* 28. *dicens: Praecipiendo praecipimus vobis, ne doceretis in nomine isto: et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, et vultis inducere super nos sangvinem hominis istius.* Hominis istius, de quo videlicet ipsis praeceperant, ne in eius nomine docerent. Nam si docendo persvaderent, Deum ipsum, et Messiam fuisse; consequens erat, ut in ipsos, qui illum occiderant,

caedis istius crimen recideret. 29. *Respondens autem Petrus, et Apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* 30. *Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno.* 31. *Hunc principem, et Salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam poenitentiam Israeli, et remissionem peccatorum.* Pro principe in Graeco est: ἀρχηγὸς, quod significat et principem, et in re aliqua etiam ducem, atque auctorem. Pro salutis igitur auctore positum hic istud vocabulum est. 32. *Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.* Spiritus sanctus testimonium praebuit Jesu Christo, dum per Apostolos prodigia deinde produxit ad confirmandum eius Evangelium, illosque, qui fidem susciperent, suis donis luculentissime exornavit. Quod ab ipso etiam Christo fuit promissum, atque praedictum. „Cum autem venerit Paraclitus, quem „ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui „a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de „me, et vos testimonium perhibebitis, quia ab ini„tio mecum estis." Joan. 15. v. 26.

33. *Haec cum audissent, dissecabantur, et cogitabant interficere illos.* 34. *Surgens autem quidam in concilio Pharisaeus nomine Gamaliel, legisdoctor honorabilis universae plebi, iussit foras ad breve homines fieri.* Magister erat iste ipsius etiam S. Pauli, quemadmodum infra est capite 22. v. 3. Fidem deinde ipsum etiam suscepisse intelli-

gitur ex narratione Luciani de inventione S. Stephani Martyris, eiusque memoria celebratur in Martyrologio die tertia Augusti. 35. *Dixitque ad illos: Viri Israelitae attendite vobis super hominibus istis, quid acturi sitis.* 36. *Ante hos enim dies exstitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est, et omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, et redacti ad nihilum.* De Theoda quodam etiam Josephus Antiq. lib. 10. cap. 2. mentionem facit, vulgum ad se sequendum, induxisse, pollicendo ei, se se illum siccis vestigiis per Jordanem traducturum. Adversus quam multitudinem Fadus Judaeae praefectus cum militum manum misisset, esse dissipatam totam, atque disiectam, ipsumque Theodam interfectum. Accidisse autem istud docet imperante Claudio. Gamaliel vero istam modo orationem in concilio Judaeorum habuit adhuc sub Tyberio proxime videlicet post Christi adscensionem in caelum. Non igitur idem iste Theodas, de quo locutus Gamaliel est, cum illo est, de quo mentionem fecit Josephus. Non existit autem alicubi clarius aliquod vestigium de isto, de quo Gamaliel meminit, Theoda, unde homo iste magis innotesceret. 37. *Post hunc exstitit Judas Galilaeus in diebus professionis, et avertit populum post se, et ipse periit: et omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.* Dies professionis isti erant, cuius mentio fit etiam Lucae cap. 2. v. 1. „Exiit, inquit, edictum a Caesare Augusto, ut describere-

„tur universus orbis. Haec descriptio prima facta „est a praeside Syriae Cyrino: et ibant omnes, ut „profiterentur singuli in suam civitatem.“ Facultates nimirum quisque suas, secundum morem censum agendi apud Romanos, profiteri tenebatur, unde cognoscerentur vires provinciarum; et numerus hominum conscribebatur, et census nomine singulis certa pecunia, quam solverent, imperabatur. Ea vero occasione Judas Galilaeus, adversus hunc censum consurrexit, ceterosque, quemadmodum apud Josephum etiam est lib. 18. Ant. cap. 1. et 2. concitavit: Galilaeique vel Herodiani isti, qui se cum Juda coniunxerunt, dicti sunt, et de quibus apud Lucam cap. 13. v. 1. est, quod eorum sangvinem Pilatus miscuerit cum eorum sacrificiis. 38. *Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, et sinite illos: quoniam, si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur.* 39. *Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi.* 40. *Et convocantes Apostolos, caesis denunciaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Jesu, et dimiserunt eos.* 41. *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* 42. *Omni autem die non cessabant in templo, et circa domos docentes, et evangelizantes Christum Jesum.*

CAPVT VI.

Constituuntur septem diaconi ab Apostolis. Stephanum ex hoc numero cum superare disputando non possent, falsis criminibus appetitum in suum concilium rapiunt Judaei.

1. *IN diebus autem illis crescente numero discipulorum factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum.* Factum est murmur Graecorum, Graece: τῶν Ἑλληνιςῶν, *Graecizantium*. Nempe erant hi etiam genere Hebraei, sed qui alibi nati, atque educati Graeco sermone inter loquendum uterentur, quae tum lingva per totam Asiam, pluresque Europae provincias erat vulgaris. Neque enim ad hoc tempus gentilium aliquis erat baptizatus, et ad Ecclesiam receptus. Nam si hoc factum fuisset, non deinde novum illud omnibus visum fuisset, et adversus Petrum disceptavissent, quod praedicandi Evangelii causa apud Cornelium centurionem fuisset: sed nec ipse Petrus, ne dubitaret ad hunc Cornelium vocatus venire, caelesti visione instrui debuisset. Quod utrumque deinde narratur infra capite nono, et decimo. Hi ergo Graceizantes adversus Hebraeos murmurarunt, quod ipsorum viduae despicerentur in quotidiano ministerio. Fideles in unum facultatibus suis collatis, quemadmodum supra fuit cap. 4. v. 34. communiter inter se vivebant, atque cibum una capiebant: non omnes simul,

neque enim unus locus ipsos cepisset, sed per plures domos, et quasi collegia. Victus igitur, et ciborum praeparatio, commissa erat viduis, et cum in huius negotii administratione Hebraeae antelatae fuissent Graecis, enatum est istud murmur. Quae vero res occasionem praebuit constituendis diaconis.

2. *Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est aequum, nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* 3. *Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, et sapientia, quos constituamus super hoc opus.* 4. *Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus.* De seipsis Apostoli dicunt, aequum non esse, ut verbum Dei derelinquentes ministrent mensis; et septem viros boni testimonii, plenosque Spiritu sancto petunt sibi a multitudine exhiberi, quos super hoc negotium constituant. Ergo hos non in viduarum, sed in suum locum substituerunt: ergo hi deinde septem viri, non etiam officium, quod viduarum antea fuit, in se receperunt, sed curam erga mensam eam, quae per ipsos Apostolos antea gerebatur, susceperunt. Nempe, quamvis ad parandos cibos, et victum viduae essent adhibitae; tamen administratio facultatum Ecclesiae erat penes Apostolos, atque hanc in istos septem a se nunc transtulerunt. Neque vero in hac administratione officium diaconorum, sic enim hi deinde in Ecclesia vocabantur, et vocantur, quaeque vox ministros significat, constitisse illud indicio est; quod singu-

lari studio eiusmodi viri deligerentur, qui pleni essent Spiritu sancto, atque sapientia, per orationemque, et manuum impositionem consecrati ad munus suum sint, et quod Stephanus, itemque Philippus ex hoc diaconorum numero alter Jerosolymae, alter Samariae praedicandi officio reperiatur esse functus. Nam certe ad ministerium, quod viduae obirent, quod sacrum non esset, praeciseque ad victum pertineret; non cernitur aliqua eiusmodi cura delectus esse adhibita, nec aliqua consecratio instituta. Intelligitur ergo esse hos diaconos in adiutorium Apostolici muneris ab Apostolis assumptos, ac constitutos, qui praeter administrationem facultatum in sacra etiam, et Eucharistica, mensa, quae tum post vulgare epulum celebrari consveverat, ministrarent, et in praedicationis officio, baptismoque ministrando eos adiuvarent. 5. *Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, et Spiritu sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nocolaum advenam Antiochenum.* 6. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.*

7. *Et verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde. Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.* 8. *Stephanus autem plenus gratia, et fortitudine, faciebat prodigia, et signa magna in populo.* 9. *Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quae appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrino-*

rum, et eorum, qui erant a Cilicia, et Asia, disputantes cum Stephano. Libertinorum nomen, quod vocabulum Latinum est, existit etiam in Graeco. Libertini autem ii apud Romanos dicebantur, qui ex eiusmodi parentibus sunt nati, qui cum antea fuissent servi, postea libertate sunt donati. Quare videntur hi Judaei fuisse, qui in variis Romanorum provinciis, ac civitatibus e servitute, in qua prius erant, consecuti libertatem sint. „Libertini, „ait S. Chrysostomus homil. 15. Romanorum li„berti erant, et sic adpellabantur.“ Tam ergo hi libertini, quam Cyrenenses, Alexandrini, itemque ceteri e diversis ragionibus orti, et Jerosolymam convenientes separatim ibi alii ab aliis synagogas suas habebant. 10. *Et non poterant resistere sapientiae, et spiritui, qui loquebatur.* 11. *Tunc submiserunt viros, qui dicerent, se audivisse eum dicentem verba blasphemiae in Moysen, et in Deum.* 12. *Commoverunt itaque plebem, et seniores, et scribas, et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium,* 13. *et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus sanctum locum, et legem.* 14. *Audivimus enim eum dicentem: quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.* Umbras nimirum legis esse cessaturas per Evangelium, et sacrificia, omnemque illum cultum, qui ritu veteris legis in templo exhibebatur, finem habiturum, docebat. Hinc itaque ansam accusandi ipsum, et in cri-

men vocandi arripuerunt. 15. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tamquam faciem Angeli.*

CAPVT VII.

Rationem suae doctrinae Stephanus reddit in concilio, atque Judaeis eamdem, quam eorum maiores semper erga Deum exhibuerunt, duritiem, et inflexibilem obstinationem exprobrat. Videt Jesum stantem a dextris Dei. Judaei eum lapidant.

1. *DIXIT autem princeps sacerdotum, si haec ita se habent?* 2. *Qui ait: Viri fratres, et patres, audite: Deus gloriae apparuit patri nostro Abrahae, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan,* 3. *et dixit ad illum: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi.* 4. *Tunc exiit de terra Chaldaeorum, et habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.* 5. *Et non dedit illi haereditatem in ea, nec passum pedis; sed repromisit dare illi eam in possessionem, et semini eius post ipsum, cum non haberet filium.* 6. *Locutus est autem ei Deus: Quia erit semen eius accola in terra aliena, et servituti eos subiicient, et male tractabunt eos annis quadringentis.* De Aegyptiaca servitute est hoc. Non nutem toto isto spatio premebantur ser-

vitute, sed ne quidem per omnes istos annos fuerunt in Aegypto. Qua de re, deque tota ratione horum annorum iam est dictum ad Genesis capitis 15. v. 13. 7. *Et gentem, cui servierint, iudicabo ego, dixit Dominus, et post haec exibunt, et servient mihi in loco isto.* 8. *Et dedit illi testamentum circumcisionis, et sic genuit Isaac, et circumcidit eum die octavo; et Isaac Jacob; et Jacob duodecim patriarchas.* 9. *Et patriarchae aemulantes Joseph* (Syrus: *invidia moti sunt in Joseph*) *vendiderunt in Aegyptum, et erat Deus cum eo.* 10. *Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius, et dedit ei gratiam, et sapientiam in conspectu Pharaonis Aegypti, et constituit eum praepositum super Aegyptum, et super omnem domum suam.* 11. *Venit autem fames in universam Aegyptum, et Chanaan, et tribulatio magna: et non inveniebant cibos patres nostri.* 12. *Cum audisset autem Jacob esse frumentum in Aegypto, misit patres nostros primum.* 13. *Et in secundo cognitus est Joseph a fratribus suis, et manifestatum est Pharaoni genus eius.* 14. *Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem suum, et omnem cognationem suam in animabus septvaginta quinque.* Erant universe animae tantum septvaginta, quemadmodum est Genesis 46. v. 27. Sed Lucas secutus est versionem Interpretum Septvaginta, qui ad hunc numerum adiecerunt quinque insuper nepotes Josephi. Qua de re iam est etiam dictum ad hunc, quem modo memoravi, Geneseos locum. Neque enim

Interpretes Septvaginta semper stricte versionem faciunt, sed agunt saepe Paraphrastas. 15. *Et descendit Jacob in Aegyptum, et defunctus est ipse, et patres nostri.* 16. *Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem.* A filiis Hemor agrum non Abraham, verum Jacob emit. Abraham vero etiam agrum cum spelunca duplici, ubi sepeliret uxorem suam Saram, emerat. Sed is, a quo emerat, fuit Hebron Hethaeus, quemadmodum est Genesis 23. v. 18. et cap. 33. v. 19. de utraque hac emptione. Quae ratio sit istius discrepantiae in hac Stephani enarratione, cum illo Geneseos loco; est ad hunc ipsum Geneseos locum iam pertractatum, atque demonstratum. Hemor autem, ut Genesis cap. 33. v. 19. est, non filius, sed pater fuit Sichem. Est in Graeco sic: παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ: Quod etiam sic verti potest: *A. Filiis Hemor Sichimitae.* Atque ita haec altera lectionis disconvenientia tollitur. Erat enim Hemor rex in civitate Sichem.

17. *Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat* (Graece: ἧς ὤμοσεν, *quam iuraverat*) *Deus Abrahae, crevit populus, et multiplicatus est in Aegypto*, 18. *quoadusque surrexit alius rex in Aegypto, qui non sciebat Joseph.* 19. *Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos, ne vivificarentur.* 20. *Eodem tempore natus est Moyses, et fuit gratus Deo, qui nutritus est tri-*

bus mensibus in domo patris sui. 21. *Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, et nutrivit eum sibi in filium.* 22. *Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum, et erat potens in verbis, et in operibus suis.* 23. *Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, adscendit in cor eius, ut visitaret fratres suos filios Israel.* 24. *Et cum vidisset quemdam iniuriam patientem, vindicavit illum, et fecit ultionem ei, qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio.* 25. *Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis. At illi non intellexerunt.* 26. *Sequenti vero die apparuit illis litigantibus, et reconciliabat eos in pace dicens: Viri fratres estis, ut quid nocetis alterutrum?* 27. *Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem, et iudicem super nos?* 28. *Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium?* 29. *Fugit autem Moyses in verbo isto, et factus est advena in terra Madian, ubi generavit duos filios.* 30. *Et expletis annis quadraginta apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammae rubi.* 31. *Moyses autem videns admiratus est visum, et accedente illo, ut consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens:* 32. *Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses non audebat considerare.* 33. *Dixit autem illi Dominus: solve calceamentum pedum tuorum. Locus enim, in quo*

stas, terra sancta est. 34. *Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto, et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eos. Et nunc veni, et mittam te in Aegyptum.*

35. *Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes: Quis te constituit principem, et iudicem? hunc Deus principem, et redemptorem misit cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.* 36. *Hic eduxit illos faciens prodigia, et signa in terra Aegypti, et in Rubro mari, et in deserto annis quadraginta.* 37. *Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam meipsum audietis.* 38. *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus nostris, qui accepit verba vitae dare nobis.* 39. *Cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis in Aegyptum,* 40. *dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui praecedant nos. Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus, quid factum sit ei.* 41. *Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, et laetabantur in operibus manuum suarum.* 42. *Convertit autem Deus, et tradidit eos servire militiae caeli, sicut scriptum est in libro Prophetarum: Numquid victimas, et hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israel?* Eo illos convertit, quo tradidit. Tradidit vero illos servire militiae caeli. Ergo ipsos etiam eo convertit. Eadem ergo etiam ratione intelligendus est

Deus ipsos ad serviendum militiae, et ad colenda astra convertisse, et a se in alteram hanc idololatriae partem vertisse, qua tradidit. Tradit autem Deus, cum aliquem suo pruritui, et libidini relinquit. Sic enim est Psalmo 80. v. 12. „Non audi„vit populus meus vocem meam, et Israel non „intendit mihi: et dimisi eos secundum desideria „cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis." Similis locus iam etiam fuit Psalmo 104. v. 25. Apud Amos autem prophetam cap. 5. v. 25. est hoc testimonium, quod hic a Stephano productum est. 43. *Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis advocare eas: et transferam vos trans Babylonem.* Etiam hoc est ex eodem Amos prophetae testimonio. Quae in citatione huius testimonii a Stephano cum illo loco, in Amos, unde desumptum est, verborum aliqua diversitas est, ibi iam in Amoso, fuit in consideratione. 44. *Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam, quam viderat.* 45. *Quod et induxerunt suscipientes patres nostri cum Jesu in possessionem gentium, quas expulit Deus a facie patrum nostrorum usque in diebus David.* Quod tabernaculum, cum suscepissent patres nostri cum Jesu, (Josua) induxerunt, intulerunt in possessionem gentium, hoc est, in eam terram, et regionem, quam prius possederunt gentes, quasque gentes Deus expulit a facie patrum nostrorum usque

in diebus David: quousque scilicet ad Davidis usque aetatem illud idem tabernaculum perstitit, quique, ut subsequitur, de templo aedificando cogitationem susceperit, quodque eius propositum Salomon perfecerit. 46. *Qui invenit gratiam ante Deum, et petiit, ut inveniret tabernaculum Deo Jacob.* Non illud tabernaculum, quod iam fuit, sed novum, idemque iam stabile, cum id, quod prius erat, identidem de loco ad locum hactenus translatum fuisset. Intelligitur ergo templum. Petiit autem David, ut inveniret hocce tabernaculum, cum voluntatem istius aedificandi declarasset Nathani prophetae. 2. Reg. 7. v. 2. 47. *Salomon autem aedificavit illi domum.* 48. *Sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit:* 49. *Caelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum aedificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meae est?* 50. *Nonne manus mea fecit haec omnia?* Ex Isaiae capite 66. v. 1. est hocce testimonium. Tam vero hoc, quam reliqua, quae Stephanus adduxit testimonia, et documenta eo spectabant, ut doceret, et istos, ad quos in concilio verba faciebat, esse maiorum suorum in pervicacia similes, et legem veterem, quam per Moysem acceperant, esse abrogandam, ipsumque etiam templum a Deo reprobatum iri, quibus nominibus, quod per Jesum Nazarenum destruendum esset templum, mutandaeque traditiones, quemadmodum fuit superioris capitis versu 13. est accusatus, et ad concilium productus.

57. *Dura*

51. *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos.* Eos, qui dura cervice, incircumcisisque cordibus, atque auribus essent, dicit Spiritui sancto resistere, et restitisse. Ex quo perspicuum fit, incircumcisas esse aures, quae a veritate averterentur, et clauderentur; cor vero incircumcisum, esse voluntatem, quae se obstinate adversus idem lumen gereret, quod ipsis ad credendum per Spiritus sancti gratiam praeberetur, et accenderetur. Ad aures autem, atque cor haec circumcisio ab alio membro per metaphoram translata est, cum in ipso illo membro etiam significaret vitiorum compressionem, et puram, quemadmodum S. Augustinus dicit in libro de Spir. et lit. cap. 8. ab omni illicita concupiscentia voluntatem. Qua de re iam fuit Genesis capite 17. v. 11. 52. *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui praenunciabant de adventu Iusti, cuius vos nunc proditores, et homicidae fuistis.* 53. *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, et non custodistis.* In dispositione Angelorum Graece est: εἰς διαταγὰς ἀγγέλων: *in dispositiones angelorum.* Quaenam vero haec angelorum dispositio fuerit, perspicuum fit ex Deuteronomii cap. 33. v. 2. ubi sic Moyses inquit: „Dominus de „Sinai venit, et de Seir ortus est nobis, apparuit „de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia: „in dextera eius ignea lex.“ Intelligitur ergo lex esse data in dispositiones angelorum, quos Deus

angelos disposuerit, ut assisterent, dum lex daretur, et quorum etiam ministerio Deus usus sit ad dandam legem. Nam angelum fuisse, qui ex Dei persona, quam sibi habuerit impositam, locutus sit, cum lex daretur, cum iam alias a me demonstratum est; tum intelligitur ex S. Pauli Epistolae ad Galatas cap. 3. v. 19. ubi haec ordinata dicitur per angelos, et ex Epistolae ad Hebraeos cap. 2. v. 2. ubi eadem lex dicitur promulgata per angelos. „Si enim, inquit, qui per angelos dictus est ser„mo, factus est firmus.“ Fuit nimirum Angelus unus aliquis, qui Dei personam gereret, illiusque nomine et ageret, et loqueretur, et cui alia multitudo angelorum obsequii causa assisteret. Atque hae angelorum erant dispositiones, in quas, veluti in militares turmas exercitus angelorum erat dispositus, dum lex daretur.

54. *Audientes autem haec dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum.* 55. *Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in caelum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei. Et ait: Ecce video caelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.* Jam superioris capitis versu ultimo fuit Stephani vultum instar angelici vultus resplenduisse in concilio ad omnium, qui ibi essent obtutum, et oculos. Quod ergo haec nunc ei visio exhibita sit, pertinebat eo, ut hac erga Judaeos uteretur, et unde Jesum Nazarenum, quem illi crucifixerant, vere esse Messiam, oculorum etiam suo testimonio ipsis probaret: quod-

que testimonium non esse ab eo confictum, et fide dignum, qui hoc testificaretur, vultus ipsius angelico fulgore Divinitus collustratus, certum ipsis posset facere. Nam, si ad ipsum tantum Stephanum confirmandum haec visio pertinuisset, ut mortem, quae ei instabat, non debitaret subire Christi causa intrepide, quid attinuisset illam etiam exponere Judaeis? Marci vero ultimo capite versu 19. Christus in caelum abiens dicitur ibi a dextris Dei sedere. Nempe ibi per sessionem aequalitas Divinae ipsius gloriae cum Patre demonstrabatur; per stationem vero exhibebatur, ut Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus. „Introivit enim in „ipsum caelum, ait S. Paulus ad Hebraeos cap. 9. „v. 24. ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.“ Itaque in stantis habitu visus est, tamquam Mediator, interveniens pro nobis. Hoc enim adcommodatum fuit illi scopo disputationis, quam tum habebat Stephanus. Messiam enim esse Jesum Nazarenum, demonstrare Judaeis propositum sibi habebat. Quem vero stantem, quoniam una etiam ad dexteram Dei viderat, idemque hoc deinde Judaeis exponebatur; profecto sic Jesus Nazarenus homo, quem ipsi crucifixerant, depingebatur; ut Divinae gloriae aequalitas, atque adeo ipsius etiam Divinitas illis demonstraretur.

56. *Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum.* Continuerunt aures suas, ad id videlicet, quod a Stephano modo est dictum de Christi gloria stan-

tis ad dextram Dei, ad hancque veluti manifestam blasphemiam, quam exhorrescerent vel audire, aures sibi clauserunt, nec exspectata eius condemnatione, atque iudicii sententia impetum in eum fecerunt, ad suppliciumque rapuerunt. 57. *Et eiicientes eum extra civitatem lapidabant. Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* 58. *Et lapidabant Stephanum invocantem, et dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* 59. *Positis autem genibus clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci eius.* Judaei ipsi coram Pilato Joannis 18. v. 31. professi sunt sibi non licere occidere quemquam. Nam Judaeae illa parte in provinciae formam redacta, cui Pilatus praeerat, ius capitalia supplicia irrogandi apud Romanos erat, quod sibi in provinciis vindicabant. Quaeri ergo hic potest, qua ratione sine praesidis potestate supplicio Stephanum afficere potuerint. Non fecerunt hoc via iuris, sed per iudicium zeli. Nam similiter in ipsum Christum etiam aliquoties fecerunt impetum, et iam eum praecipitem e monte dare, iam lapidare volebant. Luc. 4. v. 29. Joan. 8. v. 59. cap. 10. v. 31. Item sic postea Paulum aggressi sunt, Act. cap. 21. v. 30. et per tumultum eum occidissent; nisi tribunus militum accurrisset, atque ipsum ex illorum manibus eripuisset. Ex quo una perspicitur, eiusmodi supplicia, et caedes non fuisse probatas Romanis,

et quantum provideri posset, impeditas, sin minus, ne qua gravior irritatio populi fieret, esse saltem eiusmodi audaciam dissimulatam, et non vindicatam. Nam Judaeos eiusmodi iudicia per zelum, impune exercuisse; sunt etiam apud Josephum lib. 15. Antiq. cap. 8. et apud Philonem documenta. De visione hac, quam S. Stephanus tum in concilio habuit, non desunt plures, qui putent sic ab eo Deum visum esse, quemadmodum eum intuentur in caelo sancti, qui iam beatitate donati sunt. At vero, cum Joannes Apostolus et Evangelii sui cap. 1. v. 18. et Epistolae 1. cap. 4. v. 12. dicat diserte: „Deum nemo vidit unquam" qui utique serius et Evangelium, et Epistolam hanc suam scripsit, quam Stephanus martyrio coronatus sit, consequens est, hanc Stephani visionem non aliter etiam accidisse, quam Isaias cap. 6. et Ezechiel cap. 1. Dei gloriam per quamdam speciem viderit sive menti tantum, sive oculis etiam cor poris exhibitam, quemadmodum ista altera ratione Moyses quoque, et septvaginta seniores Israel Deum suis oculis, etiam corporeis, conspexerunt. Exod. 24. v. 10.

CAPVT VIII.

Propter excitatam in se persecutionem ab Judaeis Jerosolyma omnes diffugiunt praeter Apostolos. Philippus venit Samariam, atque Christum ibi praedicat. Eodem Jerosolyma mittuntur ab Apostolis Petrus, et Joannes ad Spiritum sanctum iis tribuendum, qui erant baptizati. Simon magus potestatem hanc pecunia vult mercari ab Apostolis. Philippus baptizat Candacis reginae Aethiopum eunuchum.

1. FACTA est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quae erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judaeae, et Samariae praeter Apostolos. 2. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum. 3. Saulus autem devastabat Ecclesiam, per domos intrans, et trahens viros, ac mulieres, tradebat in custodiam. 4. Igitur, qui dispersi erant, pertransibant evangelizantes verbum Dei. 5. Philippus autem descendens in civitatem Samariae, praedicabat illis Christum. 6. Intendebant autem turbae his, quae a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa, quae faciebat. 7. Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos clamantes voce magna exibant. 8. Multi autem paralytici, et claudi curati sunt. 9. Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam, nomine Simon, qui an-

te fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariae, dicens se esse aliquem magnum. 10. *Cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quae vocatur magna.* 11. *Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos.* 12. *Cum vero credidissent Philippo, evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.* 13. *Tunc Simon et ipse credidit, et cum baptizatus esset, adhaerebat Philippo. Videns etiam signa, et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.* 14. *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, et Joannem.* Hinc vero Pontificiae dignitatis oppugnatores argumentum etiam sumunt, Petrum ceteris Apostolis non fuisse maiorem auctoritate, in quem ius mittendi alii exercuerint. Sed hoc argumentum probaret Petrum, et Joannem nequidem pares in auctoritate fuisse reliquis Apostolis. Quemadmodum enim inferior superiori non habet ius mandandi, ita neque par pari. Ergo Petrus ne par quidem auctoritate fuisset reliquis Apostolis. Quomodo ergo etiam ista ratione aequalitas manebit inter Apostolos, quam hinc volunt probare? Eo ipso ergo sequitur illud, quod contra ipsorum intentionem est, aequalitatem auctoritatis non fuisse inter Apostolos. Non ergo hinc recta, ne pro aequalitate quidem est illatio. Non enim missio semper fit cum auctoritate mittentis in eum, qui mitti-

tur, sed quemadmodum alterius negotii susceptio, ita itio etiam a maiore aliquo suscipi potest per inferiorem voluntatem, non eam praecipiendo, sed svadendo, consilium dando, rogando. Num Paulus, et Barnabas Apostoli ceteris in Antiochena Ecclesia recenter ad fidem conversis non erant auctoritate maiores? Attamen illi de his duobus Jerosolymam mittendis statutum fecerunt: Act. 15. v. 2. Sicut ergo hic dubium esse non potest, quin in huius negotii deliberatione Paulus, et Barnabas praesentes fuerint, et quod statutum est, illorum voluntate, atque ductu statutum sit, non quasi ceteri sibi in hos mandandi aliquam auctoritatem sumpsissent; ita de missione etiam Petri, ac Joannis ab reliquorum Apostolorum collegio existimandum est. Paulus Jacobum, Cepham, et Joannem dicit inter Apostolos habitos esse pro columnis. Gal. 2. v. 9. Ergo ipsius Pauli testimonio Apostolorum auctoritatis non eadem omnium fuit existimatio. Samaritanorum ad fidem conversio spectabatur ab ipsis Apostolis veluti gravius, atque dignius aliquod in Ecclesia negotium. Actum igitur, et communi consensu constitutum ab ipsis est, ut Petrus, et Joannes, veluti praecipuae Apostolici collegii columnae, ad eos proficiscerentur, ut ipsos in fide confirmarent. Negotium sibi Petrus, et Joannes a ceteris delatum sua etiam voluntate susceperunt, et ad illud perficiendum iverunt. Haec fuit tota missionis ratio. Quod si in missionis vocabulo tantam vim esse putant, num, quia Spiritus sanctus

est missus a Patre, et Filio, etiam hunc depriment infra Patris, et Filii dignitatem?

15. *Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum.* 16. *Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* 17. *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Isti iam erant baptizati, nondum tamen in quemquam illorum Spiritus sanctus venerat. Igitur id, quod iis, qui iam baptizati erant, adhuc per manuum impositionem dabatur, et conferebatur; non mera caerimonia fuit, sed eos sanctificans, gratiam illis conferens, et dans Spiritum sanctum. Cuius quidem rei dignitas etiam inde profecto perspici potest; quod cum Samaritanos aqua baptismatis abluisset Philippus; ad impositionem hanc manuum ipsis praestandam, Petrus, et Joannes apostoli Jerosolyma se se Samariam contulerint. Si mera haec caerimonia fuisset, ergo postquam Philippus id iam omne Samaritanis praestitisset, atque contulisset, quod vim habebat Sacramenti; ad puram putamque caerimoniam deinde superaddendam Apostolos venire oportuisset. Huiusne ergo rei gratia, Apostoli, et Apostolorum duae columnae, qui negabant sibi aequum esse derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis, et cum Paulus confessus esset se se a Christo missum esse non baptizare, sed evangelizare 1. Cor. 1. v. 17. tantum iter Jerosolyma Samariam ne ad baptizandum quidem, sed nudam caerimoniam baptismo

superaddendam inivissent, tempusque inaniter prodegissent? Neque enim, ut in fide per eos instruerentur, quod per Philippum iam consecuti erant, ipsorum adventu, atque praesentia Samaritanis opus erat. Non ergo caerimonia tantum fuit, sed singulare Sacramentum, quod non a quolibet ministro conferri posset, quemadmodum baptismus; sed ab ipsis Apostolis esset administrandum. Augustani, et Helvetae reformatores cum ritus omnes, atque caerimonias eliminatas e Religione voluissent habere; tamen ex Spiritus sancti datione per Apostolicarum manuum impositionem, et precationem, sibi caerimoniam sua opinione fecerunt, et quod Sacramentum Spiritus sancti gratiam conferens esset, quam ne baptismus quidem conferret, siquidem de his Samaritanis baptizatis sit, in neminem eorum, antequam manus ipsis per Apostolos imponerentur, venisse Spiritum sanctum, hoc, ut caerimonia tantum quaedam esset, sibi reformaverunt. Quamvis vero per se intelligatur, Philippum hunc non fuisse Apostolum, sed unum tantum e diaconis, siquidem per manuum suarum impositionem Spiritum sanctum dare non potuerit, sed Apostolis huius rei gratia Jerosolyma Samariam veniendum fuerit; tamen hoc perspicuum fit etiam ex ipsa hac naratione. Dicuntur enim persecutione facta omnes Jerosolyma esse dispersi praeter Apostolos, et per civitates Judaeae, atque Samariae, transivisse, atque evangelizavisse, eodemque tempore Philippum venisse in Samariam civitatem.

Ergo iste apostolus non fuit: quandoquidem Apostoli in fuga aliorum Jerosolymae perstiterint. Fuit esgo is Philippus, de quo non multo ante, cum de electione diaconorum sermo institueretur, mentio facta est, quique unus etiam ex illis, qui ex Jerosolymitana persecutione per fugam se eripuerunt, fuerit, Samariamque venerit, atque ibi praedicaverit.

18. *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam,* 19. *dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum:* 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* 21. *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo.* Sors, haereditas est aliquid optabile, bonumque afferens. Hinc translatione facta vocabuli sortis, atque partis, quod alterum rursus pro haereditate positum est, siquidem in divisione huius cuique haeredi sua pars obvenire soleat, sensus iste existit: nihil illi boni eventurum ex hac ipsius postulatione, pecuniaeque oblatione. 22. *Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui.* 23. *In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse.* Animi malignitatem ipsius fel vocat amaritudinis. In obligatione iniquitatis Graece est: *in vinculis iniquitatis*, ἐις σύνδεσμων ἀδικίας. Mentis nimirum, et voluntatis

applicatio ad iniquitatem hanc, quam gerebat, significatur. Cur vero dicit, *si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui*, cum Deus peccatori poenitentiam agenti promiserit veniam inquiens: „Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die „conversus fuerit ab impietate sua.“ Ezech. 33. v. 12. Omnino indubitata est peccatorum qualiumcumque remissio; si vera a peccatore exhibita sit poenitentia. Non tantum enim poenitentiam, sed dignos fructus poenitentiae requisiverat Joannes Christi praecursor ab iis, qui ad eius baptismum venerant. Matth. 3. v. 8. Cum ergo Simonem magum Petrus in felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis cerneret esse, et ob prave affectum illius animum vix speraret sinceram acturum poenitentiam; dubitanter etiam de venia, utpote, quae nonnisi certa sequeretur, si vera esset poenitentia, loquitur. 24. *Respondens autem Simon dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quae dixistis.* 25. *Et illi quidem testificati, at locuti verbum Domini, redibant Jerosolymam, et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant.*

26. *Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, et vade contra Meridianum ad viam, quae descendit ab Jerusalem in Gazam: haec est deserta.* Contra Meridianum, Graece: κατά μεσημβρίαν, *contra Meridiem.* Samaria, ubi modo erat Philippus, altius Septemtriones versus erat sita. Iter igitur facturus versus Gazam Meridiem versus debebat procedere. Gaza no-

bilis fuit urbs in ea regione, quam prius incoluerant Philisthaei, nam aetate Christi iam istius nationis nullum supererat vestigium. Hanc vero urbem everterat Alexander M. teste Curtio. Cum vero iterum esset aedificata, sed non in eodem loco, ubi antea steterat, sed magis ad mare; illa vetus in suis ruinis iacens vocabatur Gaza deserta. Huc igitur, et ad hanc viam, qua Jerosolyma iter esset versus hanc Gazam, iussus est Philippus ire. 27. *Et surgens abiit. Et ecce vir Aethiops, eunuchus, potens Candacis reginae Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Jerusalem.* Aethiopia duplex erat: altera in Arabia, altera ab Aegypto spectans Meridiem rursus. Atque haec altera hic intelligitur Aethiopia. Versus mare enim eunuchus iste iter tenebat proculdubio, ut navi reliquum deinde iter perficeret. Quod si in alteram Aethiopiam iter habuisset, in oppositam mari partem se vertere debuisset, ubi est Arabia. Fuit vero insula quaepiam nomine Meroes, et ad Aethiopiam, veluti eius pars spectabat, in qua ab Augusti aevo feminas aliquamdiu imperasse, et Candaces fuisse vocatas communi omnibus illis reginis nomine Strabo lib. 17. et Plinius lib. 6. cap. 29. perhibent. Cumque eunuchus iste adorandi causa Jerosolymam venerit, intelligitur, licet genere Aethiopem, tamen proselytum, et Judaeorum Religione initiatum fuisse.

28. *Et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam.* 29. *Dixit autem Spi-*

ritus Philippo: Accede, et adiunge te ad currum istum. 30. *Accurrens autem Philippus audivit eum legentem Isaiam prophetam, et dixit: Putasne intelligis, quae legis?* 31. *Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum, ut adscenderet, et sederet secum.* 32. *Locus autem Scripturae, quam legebat, erat hic: Tamquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.* 33. *In humilitate iudicium eius sublatum est.* Sensus est, Christum iniuste esse condemnatum, cui iudicii aequitas praestita non sit in eius humilitate, et iniqua oppressione. Quod iam fuit etiam in Isaiae capite 53. versu 7. quem modo locum eunuchus legerat. *Generationem eius quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita eius?* 34. *Respondens autem eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?* 35. *Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a Scriptura ista evangelizavit illi Jesum.* 36. *Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, et ait eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* 37. *Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Filium Dei esse Jesum Christum.* 38. *Et iussit stare currum, et descenderunt uterque ad aquam, Philippus, et eunuchus, et baptizavit eum.* 39. *Cum autem adscendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum*

eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. 40. *Philippus autem inventus, est in Azoto, et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Caesaream.* Azotus nomen est unius civitatis, quae fuit in èadem Philisthaeorum regione cum Gaza. Caesarea fuit Palaestinae urbs ad mare Mediterraneum magis Septemtrionem versus. Herodes M. hanc honoribus Augusti caesaris aedificavit. Erat in Palaestina etiam altera Caesarea Philippi eo loco condita, ubi olim Paneas civitas stetit, et ubi Jordanes fluvius originem sumit. Hic in Caesarea priore, ubi substitit, videtur domicilium Philippus habuisse. Nam infra deinde capite 21. versu 9. est etiam Paulum ibi apud illum diversatum esse.

CAPVT IX.

Saulus, dum Damascum iret ad comprehendendos discipulos Domini, convertitur, Damascique baptizatur, et e vestigio in synagogis praedicat Christum. Periculum evadit in sporta dimmissus e muro civitatis. Petrus in civitate Lydda Aeneam paralyticum sanat, et in Joppe Tabitham a morte suscitat.

1. *SAULUS autem adhuc spirans minarum, et caedis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum,* 2. *et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos invenisset huius viae viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem.*

3. *Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damasco.* Civitas haec erat Syriae, cuius iam saepe in Scriptura facta est mentio. In ditione erat id temporis Aretae Arabum regis. Ubi deinde is, qui ab hoc rege civitati erat praepositus, Paulum voluit comprehendere, quemadmodum est 2. Cor. 11. v. 31. Incolebatur autem etiam ab Judaeis, ad quorum synagogas eo literas Paulus nunc tulerit. Nam iam 3. Reg. cap. 20. v. 34. ius sibi Israelitae vindicaverant habitandi, plateasque sibi construendi Damasci. *Et subito circumfulsit eum lux de caelo.* 4. *Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?* 5. *Qui dixit: Quis es, Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Est adagium desumptum ab iumentis. Quae dum aguntur stimulis; tanto se acrius pungunt, quanto magis recalcitrant, stimuloque resistunt. Habebat iam tum Paulus proculdubio plura documenta de veritate Christianae Religionis, ex disputatione S. Stephani, in cuius lapidatione ipse quoque actor erat, cuiusque spiritui, atque sapientiae Judaeorum nemo poterat resistere, viderat prodigia ab eodem Stephano, a Petro, aliisque Apostolis patrata. Ad quae tamen omnia nondum motus, sed Spiritui sancto resistens in persequendo obstinate perseverabat, donec modo isto stimulo prosterneretur. 6. *Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?* 7. *Et Dominus ad eum: Surge, et ingredere civitatem,* *et*

et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Non Christi ad Paulum, sed huius ad illum hi, qui Paulum comitabantur, tantum audierunt vocem, quin aliquem viderent, cui loqueretur, quaeque res ipsos obstupefecerat. Nam Christi Paulo loquentis vocem ipsos non exaudivisse, ipse Paulus infra capite 22. v. 9. testis est. „Qui „mecum, inquit, erant, lumen quidem viderunt, „vocem autem non audierunt eius, qui loqueba- „tur mecum."

8. *Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat.* Graece: οὐδένα ἔβλεπε, *neminem vidit:* nimirum ne comitum quidem suorum aliquem. Amiserat enim visum penitus, quem deinde per impositionem manuum Ananiae tantum iterum recepit. *Ad manus autem illum trahentes,* (Graece: χειραγωγοῦντες δὲ αὐτόν, *manuducentes vero illum*) *introduxerunt Damascum.* 9. *Et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit.* 10. *Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias, et dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego Domine.* 11. *Et Dominus ad eum: Surge, et vade in vicum, qui vocatur Rectus, et quaere in domo Judae Saulum, nomine Tarsensem. Ecce enim orat.* 12. *Et vidit virum, Ananiam nomine, introeuntem, et imponentem sibi manus, ut visum recipiat.* Nempe per visum istud viderat, et hoc

ei ista ratione exhibitum est, quod deinde futurum erat. Nam versu 17. inferius deinde est omnino istud sic factum esse. 13. *Respondit autem Ananias: Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem.* 14. *Et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.* 15. *Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.* Vas consvetudine Hebraeorum pro eo usurpatur, quo quis utitur ad aliquam quamcumque rem. Vas igitur electionis intelligitur is, quem Deus sibi elegerit, ut in eo electionis suae donum testatum faceret; quemadmodum ad Romanos cap. 9. v. 23. vasa misericordiae similiter a Paulo omnes vocantur electi a Deo, ut in eos divitias gloriae suae ostenderet; et e contrario ibidem versu 22. vasa irae illi vocantur, quos in multa patientia Deus sustineret, ut iustitiam suam deinde in illis exerat, et exerceat. Qui ergo servirent Divinae electioni, ac misericordiae, vasa electionis, et misericordiae vocantur, qui Divinae iustitiae, vasa irae. Inter quae vasa haec tamen diversitas est, quod ut in citato loco S. Paulus docet, vasa misericordiae Deus ipse praeparaverit in gloriam; vasa autem irae ex seipsis habeant, ut apta sint in interitum. 16. *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

17. *Et abiit Ananias, et introivit in domum, et imponens ei manus, dixit: Saule frater, Domi*

nus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, et implearis Spiritu sancto. 18. *Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamae, et visum recepit, et surgens baptizatus est.* 19. *Et cum accepisset cibum, confortatus est.* Ananias hic ex numero discipulorum fuit: Apostolus non fuit. Discipuli autem vocabantur, qui fidem suscipientes dociles se se Evangelio exhibuissent. Sic isto nomine tota multitudo credentium vocatur supra cap. 6. v. 1, et 2. sic discipulus infra huius noni capitis versu 26. ipse etiam Paulus vocatur. Quod si ergo Philippus per manuum impositionem Spiritum sanctum dare non potuit, quemadmodum fuit superiore capite, nec praestare istud Ananias etiam potuit. Haec ergo manuum Ananiae impositio ad visum Saulo restituendum pertinuit, non ad Spiritum sanctum tribuendum. Sic enim iam fuit etiam supra versu 12. „Et vidit virum „Ananiam nomine introeuntem, et imponentem si- „bi manus, ut visum recipiat.“ Deinde hanc manuum impositionem Ananias fecit, antequam Saulus esset baptizatus. Illa autem manuum impositio ad tribuendum Spiritum sanctum nonnisi post baptismum fit. Sic namque Samaritanis iam baptizatis superiore capite Petrus, et Joannes manus imponebant; sic Paulus quoque infra capite 19. v. 6. Ephesi discipulis manus imposuit, ubi iam fuissent baptizati. Erat ergo haec manuum impositio pertinens inter dona infirmos curandi, quod Deus non solis Apostolis tribuit, sed aliis etiam fidelibus pro-

misit. „Signa eos, inquit Christus Marc. 16. v. 17. „qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo „daemonia eiicient, lingvis loquentur novis, ser-„pentes tollent, et si mortiferum quid biberint, „non eis nocebit, super aegros manus imponent, „et bene habebunt.“ Attamen Ananias Saulo dicebat, se ad eum missum, ut videat, et impleatur Spiritu sancto? Nempe per baptismum. Nam et in baptismo Spiritus sancti donum confertur. Quomodo enim nisi per Dei Spiritum sibi collatum ii, qui baptizantur, filii Dei efficerentur? Possentne clamare: Abba, Pater, si hunc adoptionis Spiritum in se non recepissent? Rom. 8. v. 15. Deinde, qui baptizantur, renascuntur ex aqua, et Spiritu sancto. Joan. 3. v. 5. Ergo profecto donum Spiritus sancti in baptismo percipitur, et percepit illud Paulus. Petrus quoque supra capite 2. v. 38. „Bapti-„zetur, dicebat, unusquisque vestrum in nomine „Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, „et accipietis donum Spiritus sancti.“ Quia tamen in Samaritanos, quamvis a Philippo baptizati iam fuissent, nondum venisse dicitur Spiritus sanctus, superioris capitis versu 16. huncque per manuum Petri, et Joannis impositionem acceperunt; intelligitur, nec Paulum quidem, cum esset baptizatus ab Anania, illud donum Spiritus sancti esse consecutum, quod per Apostolos solos manuum impositione tribueretur. De hoc discrimine donorum iam est etiam ad Joannis 20. versum 22. dictum.


Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. 20. *Et continuo in synagogis praedicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei.* 21. *Stupebant autem omnes, qui audiebant, et dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud, et huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum?* 22. *Saulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Judaeos, qui habitabant Damasci, affirmans, quoniam hic est Christus.* 23. *Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judaei, ut eum interficerent.* 24. *Notae autem factae sunt Saulo insidiae eorum. Custodiebant autem et portas die, ac nocte, ut eum interficerent.* 25. *Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes* Graece: χαλάσαντες, quod est, funibus ex alto pensilem demittere, *in sporta.* 26. *Cum autem venisset in Jerusalem, tentabat se iungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes, quod esset discipulus.* 27. *Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, et narravit illis, quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu.* 28. *Et erat cum illis intrans, et exiens in Jerusalem.* Exire intrare secundum morem loquendi Hebraeorum idem est quod conversari, quemadmodum supra capitis 1. versu 26. iam etiam in hoc libro eiusmodi exemplum fuit, *et fiducialiter agens in nomine Domini.*

29. *Loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum Graecis. Illi autem quaerebant occidere eum.* In Graeco sic est: Ἐλάλει τε, καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς: *Loquebaturque, et disputabat adversus Graecos.* Graeci autem quinam hi fuerint, fit perspicuum ex capitis 6. versu 1. ubi inter ipsos discipulos, et fideles pars una Graecorum fuisse dicitur. Nempe ut istud quoque iam demonstratum est, erant hi Graeci genere quidem, et origine Judaei, sed in extera aliqua regione nati, atque educati, et quibus nativa Graeca lingva esset. Neque enim sibi Paulus sumeret iam congredi cum gentilibus, Evangeliumque illis annunciare, unde adhuc abstinerent Apostoli, et dum postea adversus ipsum Petrum adhuc disceptatum esset, quod apud Cornelium fuisset, ad fidemque illum recepisset. 30. *Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Caesaream, et dimiserunt Tarsum.* Ciliciae haec urbs fuit, et locus, ubi natus est Paulus.

31. *Ecclesia quidem per totam Judaeam, et Galilaeam, et Samariam habebat pacem, et aedificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione sancti Spiritus replebatur.* Graece: Αἱ μὲν οὖν ἐκκλησίαι: *Igitur Ecclesiae quidem*, numero plurali. 32. *Factum est autem, ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret ad Sanctos, qui habitabant Lyddae.* Ad mare Meridianum sita fuit haec civitas, quae postea Diospolis fuit vocata. „Quasi dux, ait S. Chrysostomus homil. 21. cir„cuibat, ordines considerans, quae pars esset coad-

„unata, quae ornata, quae sua praesentia egeret. „Vide illum ubique circumcursantem, et primum „inventum, ubi eligendus erat Apostolus; hic pri- „mus fuit, cum dicendum erat Judaeis, non esse „ebrios Apostolos; cum claudus sanandus fuit; „quando concionandum erat; hic ante alios erat, „quando agendum cum praefectis (Graece: *cum „principibus:* πρὸς τοὺς ἄρχοντας, sacerdotum autem „principes, et magistratus intelliguntur, cum qui- „bus negotium Petro fuit, supra cap. 4. v. 8.) „quando cum Anania, cum ex umbra sanationes „fierent. Ubi periculum est, hic adest, et ubi quae- „dam dispensanda sunt. Ubi vero tranquillae res „sunt, in communi omnes: hic maiorem non appetit „honorem. Rursum cum miracula edere oportebat, „ille prosiliebat. Et hic iterum ipse per se laborat, „et iter agit." Universos Petrus pertransibat, quia scilicet universorum cura ad illum pertinebat. Pasce oves meas. Joan. 21. v. 17. 33. *Invenit autem ibi hominem quemdam, nomine Aeneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus.* 34. *Et ait illi Petrus: Aenea, sanat te Dominus Jesus Christus. Surge, et sterne tibi. Et continuo surrexit.* 35. *Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddae, et Saronae, qui conversi sunt ad Dominum.* Sarona est nomen cuiusdam regionis in Judaea, de qua sic scribit Eusebius de locis: „Usque „in praesentem diem regio inter montem Thabor, et „stagnum Tiberiadis, Saronas appellatur. Sed et a „Caesarea Palestinae usque ad oppidum Joppe,

„omnis terra, quae cernitur, dicitur Saronas.“ 36. *In Joppe autem fuit quaedam discipula, nomine Tabitha, quae interpretata dicitur Dorcas.* Haec vero vox rursus Latine capram significat. *Haec erat plena operibus bonis, et eleemosynis, quas faciebat.* 37. *Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in coenaculo.* 38. *Cum autem prope esset Lydda ad Joppen, discipuli audientes, quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire usque ad nos.* 39. *Exsurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum advenisset, duxerunt illum in coenaculum, et circumsteterunt illum omnes viduae flentes, et ostendentes ei tunicas, et vestes, quas faciebat illis Dorcas.* 40. *Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit, et conversus ad corpus dixit: Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos, et viso Petro resedit.* 41. *Dans autem illi manum erexit eam. Et cum vocasset sanctos, et viduas, assignavit* (παρέστησεν, stitit, exhibuit) *eam vivam.* 42. *Notum autem factum est per nniversam Joppen, et crediderunt multi in Domino.* 43. *Factum est autem, ut dies multos moraretur in Joppe apud Simonem quemdam coriarium.*



CAPVT X.

Petrus per visum instructus lintei ingentis e caelo demissi, ne dubitaret ire ad gentiles, pergit Caesaream ad Cornelium centurionem, eumque cum tota domo baptizat.

1. *VIR autem quidam erat in Caesarea, nomine Cornelius, centurio cohortis, quae dicitur Italica,* 2. *religiosus* (Graece, εὐσεβὴς pius) *ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper.* Graece est: *Cornelius centurio ex cohorte,* ἑκατοντάρχης ἐκ σπείρης. Nam cohortibus tribuni apud Romanos consveverant praeesse, et in cohorte una plures erant centuriones. Solet vero hic quaestio agitari, num Cornelius iustificationis donum prius iam consecutus sit, quam baptizaretur. Cum ad hunc deinde Petrus venisset, et tantummodo verba adhuc de fide in Christum fecisset, necdumque Cornelius, et eius domestici baptizati essent; Spiritus sanctus super omnes cecidit, qui audierunt illum loquentem. Hic vero certe dubium esse non potest, quin ii iustificati sint etiam ante baptismum, qui Spiritum sanctum acceperunt, et eo magis, quod deinde sequentis capitis versu 15. Petrus dicat, ita super hos Spiritum sanctum cecidisse, quemadmodum in seipsos ab initio, quando nimirum die Pentecostes omnium primo in ipsos Spiritus sanctus effusus est. Antea vero, dum pius Cornelius erat, Deumque

cum omni domo sua timebat, faceretque eleemosynas, et deprecaretur semper Deum, cum pietas, et timor iste, etiam ex amore proficiscens inchoatus tantummodo potuerit esse, et nondum ita provectus, atque perfectus, cui iustificatio tribueretur; vix puto definiri posse. Equidem infra versu 22. vir vocatur iustus: sed quoniam hoc ei elogium tantum a suis servis tribuitur, nec hanc isti iustitiam aliam intellexerint, quam quae ab eo exerceretur erga homines, inde dubietas ista non tollitur. Eo vero cum tendat haec disputatio omnis, num Cornelius, quasi absque fide in Christum iustificationis donum accipere potuerit, utpote, qui ne proselytus quidem Judaeorum esset, quemadmodum eunuchus ille Candacis reginae, quem baptizavit Philippus, quod deinde nulla disceptatio esse potuisset de eo, num Petrus Evangelium communicare cum eo debuerit, qui iam per circumcisionem iurium omnium cum Judaeis factus esset particeps, cum Dei iustitia per fidem Jesu Christi sit in omnes, et super omnes, qui credunt in illum Rom. 3. v. 22. Cornelii vero oratio sit exaudita a Deo, eiusque eleemosynae commemoratae in conspectu Dei, quemadmodum est infra versu 31. nec vero vel eius oratio, vel eleemosynae sine fide gratae esse potuissent Deo, siquidem sine fide impossibile sit placere Deo; Hebr. 11. v. 6. sequitur, nec illam Cornelii pietatem, Dei timorem, et beneficentiam in pauperes absque omni fide esse potuisse. „Solet „dici, ait S. Augustinus de Praedestinatione San-

„ctorum cap. 7. ideo credere meruit, quia vir bo-
„nus erat et ante, quam crederet. Quod de Cor-
„nelio dici potest. Cuius acceptae sunt eleemosy-
„nae, et exauditae orationes, antequam credidis-
„set in Christum: nec tamen sine aliqua fide dona-
„bat, et orabat. Nam quomodo invocabat, in quem
„non crediderat? Rom. 10. v. 14. Sed si posset
„sine fide Christi esse salvus, non ad eum aedifi-
„candum mitteretur architectus apostolus Petrus:
„quamvis, *nisi Dominus aedificaverit domum, in
„vanum laboraverunt aedificantes eam.* Psal. 126.
„v. 1. Et dicitur nobis: *Fides est a nobis, cete-
„ra a Domino ad opera iustitiae pertinentia:*
„quasi ad aedificium non pertineat fides, quasi ad
„aedificium, inquam, non pertineat fundamentum.
„Quod si imprimis, et maxime pertinet; in vanum
„laborat praedicando aedificans fidem, nisi eam
„Dominus miserando intus aedificet. Quidquid igi-
„tur, et antequam in Christum crederet, et cum
„crederet, et cum credidisset, bene operatus est
„Cornelius; totum Deo dandum est, ne forte quis
„extollatur.“ Ex quo vero illud etiam consequens
est, Cornelium, etiamsi iam tum ante Petri adven-
tum iustificationis gratiam adeptus esset; hanc ta-
men non absque fide obtinuisse. Sed cum in Deum
explicite crederet, huncque solum abiectis simula-
cris falsorum deorum veneraretur, ac coleret, at-
que sic per pietatem, cuius laus ei tribuitur, erga
eum esset affectus, ut quidquid sibi a Deo demon-
straretur credendum, et agendum, ad hoc animo

paratissimo esset; implicite credebat iam etiam in Christum. Atque hoc erat fundamentum, sine quo ipsius illa pietas nullius meriti apud Deum, esse potuisset, et cuius merito Deo grata fuerunt misericordiae, et pietatis ipsius opera.

3. *Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi, Corneli.* 4. *At ille intuens in eum, timore correptus dixit: Quis es Domine? Dixit autem illi: Oratioues tuae, et eleemosynae tuae adscenderunt in memoriam in conspectu Dei.* 5. *Et nunc mitte viros in Joppen, et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus.* 6. *Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cuius est domus iuxta mare: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* 7. *Et cum discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, et militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant.* 8. *Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Joppen.* 9. *Postera autem die iter illis facientibus, et appropinquantibus civitati, adscendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam.* Per superiora, quo Petrus adscendit, tectum intelligitur domus. Graece est: ἐπὶ τὸ δῶμα, *supra domum*, vel tectum domus. Quae tecta, ut iam saepe demonstratum est, erant plana in Palaestina. Hora sexta erat tempus meridiei secundum morem apud eos horas numerandi ab ortu diei ad eius occasum. 10. *Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis*

excessus. 11. *Et vidit caelum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de caelo in terram.* 12. *In quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terrae, et volatilia caeli.* 13. *Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, et manduca.* 14. *Ait autem Petrus: Absit, Domine, quia numquam manducavi omne commune, et immundum.* Quod prius commune est dictum, idem deinde vocatur etiam immundum. Ex quo intelligitur esse haec duo vocabula tamquam synonyma. Qua ratione etiam apud Marcum cap. 7. v. 5. communes manus positae sunt pro illotis, atque immundis manibus. Erant Judaeis vetita quaedam animantium genera, quorumque carnibus uti ipsis non licuerit ad victum, atque ad cibum, cum e contrario apud gentiles nullum eiusmodi discrimen observaretur, sed omnibus indifferenter uterentur, dummodo res apta palato, atque stomacho esset. Ex quo intelligitur, quomodo, quod indifferens, ac communi usui expositum apud gentiles esset, dum inter haec ea etiam ponerentur, quae Judaeorum ritu immunda censerentur; idem apud Judaeos immundum haberetur, alterumque vocabulum pro altero usurparetur. Visum vero illud immundorum animalium in linteo demissorum, ut res ipsa deinde declarabit, significabat gentiles, et quos nihilominus Deus vocaverit ad fidem, per fidem corda eorum purificans, quemadmodum est infra cap. 15. v. 9. 15. *Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu com-*

mune ne dixeris. 16. *Hoc autem factum est per ter. Et statim receptum est vas in caelum.* Ipsum illud linteum vasis nomine compellatur, quemadmodum iam saepe demonstratum est, vasis nomine Hebraeis intelligi instrumentum omne, et utensile.

17. *Et dum intra se haesitaret Petrus, quidnam esset visio, quam vidisset; ecce viri, qui missi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis, adstiterunt ad ianuam.* 18. *Et cum vocassent, interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium.* 19. *Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quaerunt te.* 20. *Surge itaque, descende, et vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi illos.* 21. *Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum, quem quaeritis. Quae causa est, propter quam venistis?* 22. *Qui dixerunt: Cornelius centurio, vir iustus, ac timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Judaeorum, responsum accepit ab Angelo sancto, accersire te in domum suam, et audire verba abs te.* 23. *Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens profectus est cum illis, et quidam ex fratribus ex Joppe comitati sunt eum.* 24. *Altera autem die introivit Caesaream. Cornelius vero exspectabat illos convocatis cognatis suis, et necessariis amicis;* necessitudine coniunctis amicis. 25. *Et factum est, cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, et procidens ad pedes eius, adoravit.* 26. *Petrus vero elevavit eum dicens: Surge, et*

ego ipse homo sum. 27. *Et loquens cum illo intravit, et invenit multos, qui convenerant,* 28. *dixitque ad illos: Vos scitis, quomodo abominatum sit viro Judaeo coniungi, aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem.* 29. *Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me?* 30. *Et Cornelius ait: A nudiusquarta die usque ad hanc horam orans eram hora nona in domo mea, et ecce vir stetit ante me in veste candida, et ait:* 31. *Corneli, exaudita est oratio tua, es eleemosynae tuae commemoratae sunt in conspectu Dei.* 32. *Mitte ergo in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur in domo Simonis coriarii iuxta mare.* 33. *Confestim ergo misi ad te, et tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia, quaecumque tibi praecepta sunt a Domino.* 34. *Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.* 35. *Sed in omni gente, qui timet eum, et operatur iustitiam, acceptus est illi.* 36. *Verbum misit Deus filiis Israel, annuncians pacem per Jesum Christum, hic est omnium Dominus.* 37. *Vos scitis, quod factum est verbum per universam Judaeam: incipiens enim a Galilaea post baptismum, quod praedicavit Joannes,* 38. *Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo,*

et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. In his tribus ultimis versiculis non ubique inter se bene cohaeret oratio, quantum attinet ad vocabulorum inter se constructionem. Iste vero est sensus, pressius exigendo rem secundum textum Graecum: *Verbum, quod misit filiis Israel* (ὃν ἀπέστειλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ) *annuncians pacem per Jesum Christum* (*hic est omnium Dominus*) *vos scitis, quod factum est verbum per universam Judaeam, quod incoepit* (ἀρξάμενον) *a Galilaea post baptismum, quem praedicavit Joannes, Jesum illum* (Ἰησοῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲτ) *a Nazareth*, intelligiturque tacite verbum antecedens: vos scitis, *quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Interpres autem Latinus sub principium versus trigesimi septimi omisit relativum, deinde in subsequente versu imposuit voculam causalem *enim*, quae non est in Graeco, verbum etiam *incipiens* posuit in participio praesenti, et ambigue ut intelligi non posset in primone, vel quarto sit inflexionis casu; nec relativum, *quod* cum antecedente substantivo, *baptismus* recte concordavit, sed genus neutrum, quemadmodum in Graeco est, retinuit, siquidem ibi nomen quoque: τὸ βάπτισμα est in hocce genere; his de causis non deinde prodiit apte inter se constructa oratio. Quod Christus Spiritu sancto unctus sit, dum per operationem Spiritus sancti in illius incarnatione, et conceptione humana

humana natura assumeretur ad unionem hypostaticam Divinae Filii Dei personae, est iam declaratum etiam supra ad capitis 4. versum 27. 39. *Et nos testes sumus omnium, quae fecit in regione Judaeorum, et Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno.* 40. *Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri,* 41. *non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus, et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.* 42. *Et praecepit nobis praedicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum, et mortuorum.* 43. *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* 44. *Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* 45. *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.* 46. *Audiebant enim illos loquentes lingvis, et magnificantes Deum.* 47. *Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos?* 48. *Et iussit eos baptizari in nomini Domini Jesu Chrisi. Tunc rogaverunt eum, ut maneret apud eos aliquot diebus.*

CAPVT XI.

Petrus Jerosolymae sedat disceptationem adversum se excitatam, quod apud Cornelium fuisset. Discipuli dispersi in Phoenicia, Cypro, et Antiochiae in Syria propagant inter Judaeos Evangelium. Barnabas, et Paulus docent Antiochiae: fideles hic primum vocantur Christiani. Agabus propheta praedicit famem. Antiocheni per Paulum, et Barnabam subsidium mittunt Christianis in Judaea.

1. *AUDIERUNT autem Apostoli, et fratres, qui erant in Judaea, quoniam et gentes receperunt verbum Dei.* 2. *Cum autem adscendisset Petrus Jerosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione,* 3. *dicentes: Quare introisti ad viros praeputium habentes, et manducasti cum illis?* Tradit S. Epiphanius haeresi 28. Cerinthum fuisse, qui disceptationis istius auctor fuerit, aliosque etiam permoverit, ut Petro obloquerentur. „Idem quoque, inquit, eorum unus est, qui se „Petro opposuerant, cum ad sanctum Cornelium „ivisset, a quo post oblatum per visum Angelum „erat arcessitus. Quo tempore dubitante Petro linteum illud cum iis, quae continebat, obiectum „est, et a Domino istud ipsum audiit, ne quid „commune, vel impurum appellaret. Igitur Cerin„thus circumcisorum gregem adversus Petrum re„vertentem commovit Hierosolymis, dicens: *In„gressus est ad viros praeputium habentes.* Quod

„ quidem ab eo factum est, antequam suum in Asia „ dogma praedicaret, seque in exitii sui gurgitem „ profundius immitteret." Non tamen in omnibus, qui adversus Petrum disceptarent, malignitatem fuisse, perspicitur ex versu 18. Ubi hi deinde, cum illos Petrus facti sui rationem edocuisset, dicuntur tacuisse, et Deum glorificasse. Hoc, quod Interpres Latine vertit: *disceptabant*, in Graeco est: διεκρίνοντο: quod verbum non semper significat contentiosam disputationem, sed solam etiam disquisitionem. Nempe, quemadmodum ipsi Petro res de vocatione gentium ad fidem nondum clara fuit, quique edocendus per illud visum fuit, antequam iret ad Cornelium; ita ne ceteris quidem, qui Evangelii gratiam ad solos tantum Judaeos putarent pertinere, eadem erat nota, atque certa. Quanam ergo ratione hoc fieri potuerit, ex Petro, cum is Jerosolymam venisset, inquisiverunt. 4. *Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens:* 5. *Ego eram in civitate Joppe orans, et vidi in excessu mentis visionem; descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de caelo, et venit usque ad me.* 6. *In quod intuens, considerabam, et vidi quadrupedia terrae, et bestias, et reptilia, et volatilia caeli.* 7. *Audivi autem et vocem dicentem mihi: Surge Petre, occide, et manduca.* 8. *Dixi autem: Nequaquam Domine, quia commune, aut immundum numquam introivit in os meum.* 9. *Respondit autem vox secundo de caelo: Quae Deus mundavit, tu ne com-*

mune dixeris. 10. *Hoc autem factum est per ter,*
et recepta sunt omnia rursum in caelum. 11. *Et*
ecce viri tres confestim adstiterunt in domo, in
qua eram, missi a Caesarea ad me. 12. *Dixit*
autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hae-
sitans. Venerunt autem mecum et sex fratres isti,
et ingressi sumus in domum viri. 13. *Narravit*
autem nobis, quomodo vidisset Angelum in domo
sua stantem, et dicentem sibi: Mitte in Joppen,
et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus.
14. *Qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris*
tu, et universa domus tua. 15. *Cum autem coe-*
pissem loqui; cecidit Spiritus sanctus super eos,
sicut et in nos in initio. Quando nimirum post
Christi adscensum in caelum, Spiritus sanctus omni-
um primo datus est Apostolis die Pentecostes.
16. *Recordatus sum autem verbi Domini, sicut*
dicebat: Joannes quidem baptizavit aqua, vos
autem baptizabimini Spiritu sancto. Supra cap. 1.
v. 5. 17. *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus,*
sicut et nobis, qui credidimus in Dominum Jesum
Christum; ego quis eram, qui possem prohibere
Deum? 18. *His auditis tacuerunt, et glorificave-*
runt Deum, dicentes: Ergo et gentibus poeniten-
tiam dedit Deus ad vitam.

19. *Et illi quidem, qui dispersi fuerant a*
tribulatione, quae facta fuerat sub Stephano, per-
ambulaverunt usque Phoenicen, et Cyprum, et
Antiochiam, nemini lequentes verbum, nisi solis
Judaeis. 20. *Erant autem quidam ex eis viri Cy-*

prii, et Cyrenaei, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur et ad Graecos annunciantes Dominum Jesum. Graece: πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς, *ad Graecisantes.* Rursus ergo intelliguntur religione, et origine Judaei, sed alibi nati, quibus Graeca lingva nativa esset. Notatur vero, istos, qui Cyprii, et Cyrenaei erant, Antiochiae Evangelium Graecizantibus annunciavisse, quia nempe, et ipsi nati in Cypro, et Cyrene, quae provincia fuit finitima Aegypto, Graecizantes erant: ac proinde ceteri Jerosolyma dispersi intelliguntur eiusmodi fuisse, qui in Judaea nati, ac educati, cum Graecae lingvae minus gnari essent, ideo se etiam apud illos Judaeos tantum tenuerint, quibus Hebraea lingva familiaris fuerit. 21. *Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum.* 22. *Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiae, quae erat Jerosolymis, super istis: et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam.* 23. *Qui cum pervenisset, et vidisset gratiam Dei, gavisus est, et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino.* 24. *Quia erat vir bonus, et plenus Spiritu sancto, et fide. Et apposita est multa turba Domino.* 25. *Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quaereret Saulum. Quem cum invenisset, perduxit Antiochiam.* 26. *Et annum totum canversati sunt ibi in Ecclesia, et docuerunt turbam multam, ita ut cognomirarentur primum Antiochiae discipuli Christiani.* 27. *In his autem diebus supervenerunt ab Je-*

rosolymis prophetae Antiochiam. 28. *Et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quae facta est sub Claudio.* Anno Christi quadragesimo secundo Claudius factus est imperator, ordine quartus ab Augusto. Duo enim intercesserant Tiberius, et Caligula. Anno vero imperii ipsius secundum alios secundo, secundum alios quarto exstitit haec fames. Per universum autem orbem, in quo facta est fames, imperii Romanorum universitas videtur tantum intelligenda, quod idem Lucas Evangelii cap. 2. v. 1. etiam universum orbem appellet, qui iussu Augusti descriptus sit. Neque enim Augustus imperare descriptionem in illis regionibus potuit, quae Romano non parebant imperio. Judaeam vero etiam vehementius fuisse pressam hac fame, intelligitur ex eo, quod Christiani aliunde his, qui in Judaea erant, Christianis vivendi subsidia suppeditare debuerint. 29. *Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judaea fratribus.* 30. *Quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabae, et Sauli.*

CAPVT XII.

Herodes interficit Jacobum: etiam Petrum parat supplicio afficere: quem vero Angelus e carcere liberat. Herodes consumptus a vermibus, perit.

1. *EODEM autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia,* 2. *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.* 3. *Videns autem, quia placeret Judaeis, apposuit, ut apprehenderet et Petrum. Erant autem dies azymorum.* Quatuor fuerunt, qui hocce nomen Herodis gesserunt, regesque fuerunt, de quibus mentio fit in Scriptura. Primus fuit ille Herodes, cognomento Magnus, qui caedem innocentium infantum patravit; alter Herodes Antippas, Herodis magni filius rex in Galilaea, qui Joannem Baptistam decollavit, et Christo illusit in eius passione, cum alba veste indutum deridendum suis militibus exposuisset; tertius fuit Herodes Agrippa senior, Herodis magni ex Aristobulo filio nepos, idem iste, de quo istud nunc est, quod Jacobum apostolum peremerit, Petrumque in vincula coniecerit, sumpturus de eo etiam supplicium, nisi ereptus ex eius manibus per angelum fuisset: quartus demum est Herodes Agrippa iunior, huius anterioris Agrippae filius, de quo infra capite 25. v. 15. fiet mentio, dum ad Festum Judaeae praesidem venisset, pro-

ductusque coram eo, Paulus fuisset, quem Festus tenebat in vinculis. Res vero haec gesta est Jerosolymae. Nam praecesserat superioris capitis versu 2. Petrum Jerosolymam venisse, ac deinde infra huius duodecimi capitis versu 17. dicitur egressus abiiste in alium locum. Cum ergo nondum sit dictum Jerosolyma alio discessisse, consequens est, ut hinc intelligatur abiisse. Secus enim Lucas nomen loci ponere debuisset, nisi de eodem, qui prius fuit commemoratus Jerosolymae locus, ubi Petrus fuerit, sermo esset continuatus. Est etiam infra versu 19. Herodem, ubi de militibus supplicium sumpserat, qui Petrum custodiverant, ex Judaea Caesaream abiisse. Ergo res haec acta per Herodem est Jerosolymae, et in ea Palaestinae parte, quae proprie Judaea fuit dicta, quaeque provincia fuit Romanorum, et per praesides gubernabatur. Hinc vero quaestio ista potest existere, qua ratione Herodes in aliena ditione, et civitate supplicium de Jacobo sumere potuerit, idemque ius in Petrum sibi vindicare. Nempe sequitur omnino hinc ius hoc illum ibi non potuisse exercere, nisi ei per praesidem esset concessum. Atqui ipsum etiam Christum Pilatus ad tribunal Herodis Antippae remiserat, cum intellexisset esse Galilaeum, et de illius potestate. Luc. 23. v. 6. Similis ergo quaedam ratio hic quoque fuit, cur Herodes iudicium in Jacobum, atque Petrum Jerosolymae instituerit, sive quod religione Judaeus esset, et causa religionis ageretur, ob quam in crimen essent vocati Apostoli; sive etiam, quod

tam Jacobus, quam Petrus Galilaei fuerint, ac proinde nativitatis iure ad eius ditionem pertinuerint, atque his de causis praeses ius istud ei concesserit, eoque magis, quod suae provinciae, Jerosolymitanisque Judaeis, cum hoc gratum esset, istis quoque, non soli tantum Herodi ea re gratificaretur. Dies azymorum iidem sunt, qui Paschatis, quod per eos dies nonnisi azymis, et fermenti expertibus panibus Judaei vescerentur. Eodem tempore cum religionis causa Judaeis undique conveniendum esset Jerosolymam ad templum; intelligitur, cur hoc tempore Herodes ibi etiam fuerit.

4. *Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post pascha producere eum populo.* 5. *Et Petrus quidem servabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* 6. *Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, et custodes ante ostium custodiebant carcerem.* 7. *Et ecce angelus Domini adstitit, et lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri, excitavit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenae de manibus eius.* 8. *Dixit autem angelus ad eum: Praecingere, et calcea te caligas tuas:* Graece: περίζωσαι, καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, *Praecingere, et subliga sandalia tua.* Caliga ne Latinis quidem proprie est genus vestis, quod ad femora tegenda spectet. Est enim nomen

hoc derivatum a calce, quae pars est extrema pedis, et apud Romanos calceamenta militaria vocabantur caligae. *Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me.* 9. *Et exiens sequabatur eum, et neciebat, quia verum est, quod fiebat per angelum: existimabat autem se visum videre.* 10. *Transeuntes autem primam, et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quae ducit ad civitatem, quae ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum, et continuo discesit angelus ab eo.* 11. *Et Petrus ad se reversus dixit: Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspeciatione plebis Judaeorum.* 12. *Consideransque venit ad domum Mariae matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, et orantes.* 13. *Pulsante autem eo ostium ianuae, processit puella ad audiendum, nomine Rhode.* 14. *Et ut cognovit vocem Petri, prae gaudio non aperuit ianuam, sed intro currens nunciavit stare Petrum ante ianuam.* 15. *At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus eius est.* 16. *Petrus autem perseverabat pulsans. Cum autem aperuissent, viderunt eum, et obstupuerunt.* 17. *Annuens autem eis manu, ut tacerent, narravit, quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque: Nunciate Jacobo, et fratribus haec. Et egressus abiit in alium locum.* 18. *Facta autem*

die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. 19. *Herodes autem, cum requisisset eum, et non invenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci:* nimirum ad supplicium. Syrus vertit: Jussit eos necari: *descendensque a Judaea in Caesaream, ibi commoratus est.* Etiam Caesarea, quemadmodum hoc intelligitur ex Act. 25. v. 1. fuit civitas pertinens ad Romanorum provinciam. Quare hic quoque Herodes hospitii tantum iure commorabatur. Josephus refert lib. 19. cap. 7. ludos ibi eum exhibuisse honoribus Claudii imperatoris.

20. *Erat autem iratus Tyriis, et Sidoniis. At illi unanimiter venerunt ad eum, et persvaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo.* Qui scilicet ex Herodis ditione sibi consvevissent alimenta coemere, atque comparare. Nam etiam Salomonis aetate Hiram, Tyriorum rex, sibi illa ab Judaeis petebat. 3. Reg. 5. v. 9. Itaque regem sibi infensum placare studuerunt, ne prohiberentur a comparatione annonae. 21. *Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos.* 22. *Populus autem acclambat: Dei voces, et non hominis.* 23. *Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, et consumptus a vermibus exspiravit.* 24. *Verbum autem Domini crescebat, et multiplicabatur.* 25. *Barnabas autem, et Saulus reversi sunt ab Jerosoly-*

mis expleto ministerio, assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus. Ministerium hocce erat, quod per ipsos Antiocheni pecunias miserint tempore famis Christianis, qui erant Jerosolymae, et in Judaea, quemadmodum superioris capitis versu 30. fuit. Quo postquam officio perfuncti sunt, redierunt Antiochiam. Hic Joannes Marcus consobrinus fuit S. Barnabae. Colos. 4. v. 10. socius deinde fuit Pauli, ac Barnabae, primum utriusque coniunctim, solius autem Barnabae, cum se ab invicem seiunxissent. Fiet eius mentio adhuc postea tam hic in Actis, quam in Epistolis S. Pauli. Quidam eum cum Marco Evangelista eumdem esse putaverunt. At vero Evangelista Marcus Petri erat comes, ac deinde in Aegyptum fuit ab eo missus: hic vero Joannes Marcus Pauli, atque Barnabae erat in peregrinationibus socius.

CAPUT III.

Paulus, et Barnabas fiunt Apostoli. In insula Cypro Paulus Sergium Paulum proconsulem convertit, et Elymam magum, qui eum conabatur a fide avertere, caecitate plectit. Antiochiae Pisidiae in synagoga praedicat Paulus. Cum ei contradiceretur, excusso pulvere pedum in Judaeos vertit se, itemque Barnabas ad praedicandum Evangelium gentibus, et pergunt Jconium.

1. *ERANT autem in Ecclesia, quae erat Antiochiae, prophetae, et doctores, in quibus Barnabas, et Simon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen, qui erat Herodis tetrarchae collactaneus, et Saulus.* Tota Judaeae regio erat in partes divisa quatuor, quemadmodum est Lucae 3. v. 1. demonstratum. Principatus autem quartae partis Graeco vocabulo vocatur tetrarchia. Cuiusmodi principatus fuit etiam Galilaea, sed cuius principes sibi deinde regium etiam nomen ab Romanorum imperatoribus impetrarunt. Hinc intelligitur, cur idem Herodes superiore capite rex appellatus, nunc etiam tetrarcha vocetur. Utrumque enim, rex et tetrarcha fuit. 2. *Ministrantibus autem illis Domino, et ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum, et Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos.* Ministrantibus Graece est: λειτεργέντων : quo vero verbo actio sacerdotis exprimitur, dum in suo munere sacerdo-

tali versatur erga Deum. Nam etiam illic, ubi in Epistola ad Hebraeos cap. 10. v. 11. S. Paulus dicit: „Et omnis quidem sacerdos praesto est quo„tidie ministrans, et easdem saepe offerens ho„stias" hoc, quod Latine est, *ministrans*, in Graeco dicitur: λειτουργῶν: Ex quo perspicuum fit, qualisnam haec in Ecclesia Antiochena intelligatur fuisse ministratio, nec ullum dubium esse posest, quin per ministrare illa sacerdotis actio intelligatur, quae in sacrificatione posita est, siquidem hoc declaret illud deinde subsequens: *Et easdem saepe offerens hostias.* Dum vero ita ministrarent, ieiunarentque fideles, Spiritus sancti vox allapsa ad illos est, qua praecipiebatur, uti Saulus, et Barnabas segregarentur ad opus, ad quod ab eo assumpti essent. Ex quo vero illud etiam manifestum fit, quae res frequentatae a fidelibus primis illis temporibus sint, et quam praeclare illi reformatores, duce Luthero, et Calvino primaevum illud revocaverint per suam reformationem, quod fuit in Religione. Nam, ut nihil de ministratione illa dicam, cum vocabulum istud latius etiam sumi possit pro alia ministratione, et de existentia sacrificii, etiam nunc in Ecclesia, iam alibi dixerim; hoc tantum, quod tam apertum est, primos fideles ieiunasse, Religionisque officium etiam in ieiunio constituisse; istos vero idem hoc ieiunium abrogasse, eiusque disciplinam Evangelio contrariam iudicavisse, quomodo inter se conveniat, verumque sit, ipsos secundum vetus Ecclesiae insti-

tutum sibi reformationem fecisse, dum contrarium directe fecerint id expungendo, quod observatum a primis fidelibus est, velim advertatur.

3. *Tunc ieiunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Apud istos, de quibus modo mentionem feci, qui se a Catholica Ecclesia separaverunt, seorsimque sibi religionis coetum instituerunt, sub hac specie, quasi illam apud se revocassent ad primaevam suam puritatem, cum potius convulsissent omnia illius vetera instituta, et ea, quae ipsi suo ingenio excoxerant, subtrusissent, apud hos, inquam, omnes sunt ministri, iam iure baptismi, nec ad ministerium sacrum aliqua ordinatio, Sacramentique Ordinis collatio, sed sola designatio, quae fiat a populo, requiritur. Num vero, cum iam Spiritus sanctus aperte declaravisset, Paulum, atque Barnabam esse a se assumptos ad opus ministerii, opus adhuc fuit Ecclesiae ab eodem Spiritu sancto demandari, ut ipsa hos etiam designet? Si illa, quam fecerunt manuum impositionem, mera fuit designatio? designatos manifeste a Spiritu sancto, ipsine insuper designare debuerunt, aut voluerunt? Cur ergo manus illis suas imposuerunt? Nempe non fuit ista designationis tantummodo caerimonia. Tamen caerimonias ipsi in Augustana, et Helvetica Confessione, reformando, omnes sustulerunt, tamquam Evangelio contrarias, et reliquias veteris per Christum abrogatae legis. Ergo vel ipsorum confessione necesse est, nullas in primaeva Ecclesia, secundum no-

vum eius institutum secundum quod manus Saulo, et Barnabae impositae sunt, fuisse caerimonias, cum has nullas ferant in reformatione, quam fecerunt secundum institutum, ut quidem ipsi iactitant, primaevae Ecclesiae. Quas enim ipsi quasi secundum normam primaevae Ecclesiae ferre caerimonias noluerunt, sequitur, ut hae ne secundum ipsos quidem in eadem primaeva exstiterint Ecclesia. Ergo vel ex ipsorum etiam principio consequens est, illam manuum impositionem non fuisse nudam caerimoniam. Quod si eiusmodi tantum caerimonia non fuit, aliquid reipsa per illum ritum impositarum manuum Saulo, et Barnabae conferebatur. Et omnino S. Paulus gratiam docet esse Timotheo tributam per impositionem manuum suarum. 1. Tim. 4. v. 14. 2. Tim. 1. v. 6. Quae ergo manuum impositio vim, et efficacitatem habuit tribuendae gratiae, non sola aliqua fuit caerimonia. Quamvis ergo Saulus, atque Barnabas ad Apostolici ministerii opus iam essent a Spiritu sancto assumpti; tamen idem Spiritus demandavit, ut segregentur, hoc est, consecrentur. Est enim verbum, segregare, ἀφορίζειν, secundum morem adhibitum Hebraeis loquendi, apud quos idem verbum *kadhasch*, quod proprie separare aliquid destinareque ad certum aliquem usum significat, etiam consecrationis significationem habet, tamquam quod id, quod sic separetur, erga Deum destinetur. Et res ipsa declarat, quid per segregationem intellexerit Spiritus sanctus, siquidem hanc illi segre-

segregationem per precationem, et manuum impositionem exsecuti sint. Hoc autem demandavit Spiritus sanctus, non quasi absque illorum ministerio, quibus hoc demandavit, effectum illud dare non potuisset; sed quod sicut ad baptizandum eunuchum Candacis reginae delegaverat Philippum, Act. 8. v. 26. et ad Cornelium Petrum Act. 10. v. 19. quibus certe baptismi gratiam etiam sine istorum ministerio largiri potuisset; ita etiam, cum Sacramentum Ordinis in Ecclesia a Domino nostro Jesu Christo esset institutum, in quo per impositionem manuum, et precationem sacri ministerii potestas conferretur; hanc viam conferendae istius potestatis, sua auctoritate constitutam, observari voluerit.

4. *Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam, et inde navigaverunt Cyprum.* Seleucia nobilis urbs, et perampla fuit in Syria, ubi ipsa etiam erat Antiochia. Cyprus est insula in mari Mediterraneo non longe a Syria, et Cilicia. 5. *Et cum venissent Salaminam, praedicabant verbum Dei in synagogis Judaeorum.* Salamina urbs est in insula Cypro. *Habebat autem et Joannem in ministerio.* 6. *Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum*, etiam istud est civitatis nomen in eadem Cypro insula, *invenerunt quemdam virum magum, pseudoprophetam, Judaeum, cui nomen erat Barjesu.* Infra versu 8. idem alio nomine *Elymas* vocatur, quodque eiusdem cum hoc priore eius nomine significationis sit. *Barjesu* anteriore sua parte Syriacum, altera Hebraicum voca-

bulum, significat *Filium salutis.* Elymas autem est vox, quae in lingva Arabica magum significet, originem vero habet ex Hebraea radice אָלַם, *Alam*, quae ligare significat, siquidem ligaturis uterentur ad morbos per praestigias sanandos, et quoniam iidem crederentur salutem posse tribuere; magi, vel Elymae nomen tantumdem apud illos valuit ipsorum existimatione, quantum *Barjesu*, Filius, et productor salutis. 7. *Qui erat cum proconsule Sergio Paulo, viro prudente. Hic accersitis Barnaba, et Saulo, desiderabat audire verbum Dei.* 8. *Resistebat autem illis Elymas magus, sic enim interpretatur nomen eius, quaerens avertere proconsulem a fide.* 9. *Saulus autem, qui et Paulus repletus Spiritu sancto, intuens in eum,* 10. *dixit: O plene omni dolo, et fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiae, non desinis subvertere vias Domini rectas?* 11. *Et nunc ecce manus Domini super te, et eris caecus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, et tenebrae, et circuiens quaerebat, qui ei manum daret.* 12. *Tunc proconsul, cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini.* Qui antea Saulus adhuc semper vocabatur, nunc et priore isto, novoque Pauli nomine posito, deinceps iam semper Paulus vocatur, sicque ipse seipsum etiam in suis Epistolis vocat. Nuspiam vero declaratur, cur sibi Apostolus nomen mutaverit. Sed cum haec mutatio modo memoretur, quando agebat cum proconsule Paulo, ad fidemque illum convertit; coniectura est,

in memoriam istius rei, et quo quasi trophaeo victoriae de talis viri conversione gloriaretur, non utique per vanam ostentationem, sed quemadmodum ab ipso Paulo scriptum est: „Qui gloriatur, „in Domino glorietur," 1. Cor. 1. v. 31. nomen istud Pauli, cum inter hoc, et Sauli nomen alioquin exigua unius tantum literae esset diversitas, sibi sumpsisse, gestatione istius nominis honorando ipsum etiam proconsulem Paulum.

13. *Et cum a Papho navigassent Paulus, et qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliae. Joannes autem discedens ab eis, reversus est Jerosolymam.* 14. *Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiae, et ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt.* Pisidia est Asiae minoris provincia Pamphyliae contermina. 15. *Post lectionem autem legis, et prophetarum miserunt principes synagogae ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.* 16. *Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens: ait: Viri Israelitae, et qui timetis Deum, audite.* 17. *Deus plebis Israel elegit patres nostros, et plebem exaltavit, cum essent incolae in terra Aegypti, et in brachio excelso eduxit eos ex ea,* 18. *et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto,* 19. *et destruens gentes septem in terra Chanaan sorte distribuit eis terram eorum,* 20. *quasi post quadringentos, et quinquaginta annos.* Josue capitis 12. versu ultimo triginta, et unus fuisse dicuntur reges,

quos Israelitae e medio sustulerint, quorumque regionem occupaverint, cum venissent in Chananaeam. Nempe una, eademque natio, in plures erat divisa civitates, quaeque distinctae suos habuerint reges, ut quamvis numerus esset tantus illorum regulorum; tamen non etiam totidem distinctae numero essent nationes. Genesis vero capite 10. v. 15. undecim stirpes recensentur, unde Chananaeae omnes gentes ortae, atque propagatae sint. Sed ibi Chananaea latius sumitur, et non pro solis illis terminis, intra quos regionem possederunt Israelitae, Sidoniique, et Sinaei, quorum alteri Phoeniciam, alteri Arabiam incoluerunt, manifeste comprehenduntur: ac proinde numerus is nationum Chananaeae, in illo loco Geneseos cum hocce septenario, quem Paulus dicit fuisse, non confligit, cum ne Chananaea quidem utrobique aequaliter sumatur, sed latius a Moyse ibi in Genesi; hic vero a Paulo angustius. Ex his vero annis quadringentis, et fere quinquaginta priores quadringenti pertinent usque ad egressum ex Aegypto duce Moyse, et quorum annorum initium ducitur ab anno, quo natus est Isaac, quemadmodum istud de hac annorum ratione iam demonstratum est ad Genesis cap. 15. versum 13. Ad annos autem alteros, quasi quinquaginta pertinent primum anni quadraginta, quibus Israelitae peregrinati sunt per desertum, antequam pervenissent in Chananaeam. Septem vero circiter anni insumpti sunt in debellandis Chananaeae populis, donec possessionum distributio Israelitis secun-

dum eorum tribus, atque familias facta fuisset, quemadmodum demonstratum est ad Josue cap. 14. versum 12. Hinc existunt isti, quos Paulus nunc memorat anni quasi quinquaginta, praeter anteriores quadringentos. *Et post haec dedit iudices usque ad Samuel prophetam.* 21. *Et exinde postulaverunt regem, et dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin annis quadraginta.* 22. *Et amoto illo suscitavit illis David regem, cui testimonium perhibens dixit: Inveni David, filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.*

Respexit Paulus ad illud 1. Reg. 13. v. 14. „Quaesivit Dominus sibi virum iuxta cor suum, et „praecepit ei Dominus, ut esset dux super popu„lum suum, eo quod non servaveris, quae prae„cepit Dominus.“ A Samuele autem est hoc dictum ad Saulem, cum is sibi sumendo ius sacerdotale sacrificandi Dei legem infregisset, et ad illud etiam Psalmi 88. v. 21. „Exaltavi electum de plebe mea, „inveni David servum meum, oleo sancto meo „unxi eum.“ Istud vero, quod de Davide prius positum a Paulo est, fuisse virum secundum cor Dei; deinde magis declaratur, quomodo secundum cor Dei fuerit, qui scilicet omnes eius voluntates fecerit. Atqui peccavit etiam David. Neque vero tum, cum peccavit, Dei voluntatem fecit. Quomodo ergo Dei omnes voluntates fecit? Quod si hoc presse sumendum esset, sequeretur Davidem nullatenus, et ne levissime quidem peccare potuisse, siquidem

iam illud non posset consistere, quod Deus de illo dixit, se se illum elegisse secundum cor suum, quique omnes eius voluntates faceret. Neque enim ullum peccatum, quantumcumque leve sit, secundum cor Dei, voluntatemque est. Alia igitur hic debet esse consideratio. Peccavit Saul, peccavit David: et uterque graviter. Neque enim Davidis adulterium, et Uriae iniqua caedes, quam patravit leve delictum fuit. Sed Saulem peccantem Deus reprobavit, et a se abiecit; Davidem vero Deus cum elegisset, quamvis peccavisset, tamen secundum electionem hanc, etiam cum in peccato esset, amavit, et gratum habuit, perinde ut Jacobum dilexit, dum nondum natus esset, et in materno utero adhuc gestaretur, Rom. 9. v. 10. non aliter etiam profecto, quam secundum electionem: qui cum in utero esset, in illo, in quo eum mater concepit, et proper quod filius irae esse meruit, peccato fuit. Dicit Christus Matthaei 7. v. 22. in die iudicii futuros multos, qui ei dicturi sint: „Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus" et quibus se responsurum dicit: „Quia numquam novi vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem." Isti saltem per totam vitam suam aliquid egerunt quod Christo fuerit acceptum, et secundum eius voluntatem, et certe haec, quae se profitentur in nomine illius fecisse, quibusque haec agendi virtutem ipse Christus tritribuerat, non poterant esse contra eius voluntatem:

et tamen dicit se se illos novisse numquam, hoc est, a quibus semper aversus fuerit. Quare autem? quia nimirum numquam pertinuerunt ad electorum numerum. Quemadmodum ergo istos numquam novit, etiamsi aliquid boni egissent; ita e contrario David, et omnes electi semper secundum cor illius fuerunt, etiam cum in peccato essent non quasi peccatum ei placeret, sed quoniam ipsos etiam tum in numero eorum, quos ab aeterno dilexerit, haberet, et quibus per hanc suam dilectionem, qua illos praedestinavit ad gloriam, gratiam iterum daturus esset ad surgendum e peccato, in quod ceciderunt, ut quamvis in eorum peccato casus ad peccatum non fuerit secundum Dei voluntatem; tamen illius peccati poenitentia, per quam ex illo consurgerent, esset secundum eius voluntatem: quemadmodum de ipso etiam Davide S. Augustinus Quaestione 8. ad Dulcitium, cum ab hoc istud ipsum ei fuisset propositum, ita respondit: „Cum prae„sciret eum Deus peccaturum, et peccata sua pia „humilitate, et sincera poenitentia deleturum, cur „non diceret: *Inveni David secundum cor* „*meum?* — — — Quia licet secundum cor Dei „non esset, quod ille peccavit; tamen secundum „cor Dei fuit, quod pro peccatis suis congrua poe„nitentia satisfecit.“ Quod vero tum Deus de Davide, reprobato Saule, dixit, non hic totum in his duabus personis constitit, sed per ipsos typice idem istud ad aliquid aliud referebatur significandum. Saul propter inobedientiam reprobatus, quemadmodum

S. Augustinus docet lib. 17. de Civ. Dei. cap. 7. figuram gessit synagogae, et veteris Israelitici populi, qui propterea, quod se immorigerum, et refractarium legi exhibuerit, quam a Deo accepit, abiectus a Deo est, et reprobatus. At vero erga novi foederis suum populum, quem David adumbravit, Deus iuravit se numquam misericordiam suam dispersurum ab eo. Psal. 88. v. 34. et cui novi foederis populo Deus maneret semper bene affectus, de quo sic est apud Isaiam cap. 41. v. 8. „Et tu „Israel serve meus, Jacob, quem elegi, semen „Abraham amici mei: in quo apprehendi te ab „extremis terrae, et a longinquis eius vocavi te, „et dixi tibi: servus meus es tu, elegi te, et non „abieci te. Ne timeas, quia ego tecum sum, ne „declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, et „auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera Justi „mei.“ In istorum cordibus Deus vi foederis novi se scripturum promisit legem suam. „Hoc erit pa„ctum, inquit, quod feriam cum domo Israel post „dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in „visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, „et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in popu„lum — — — propitiabor iniquitati eorum, et „peccati eorum non memorabor amplius.“ Jerem. 31. v. 33. Isti ergo, quibus Deus legem in corda ipsorum dedit, Dei omnes voluntates etiam fecerunt. Intelligitur ergo, qua ratione David non tantum propter se, cum ipse utique ad numerum istius populi a Deo electi pertineret, sed etiam ratione

typi, et novi foederis populum adumbrans, qui per Dei gratiam legem observaturus, omnemque Dei voluntatem facturus esset, quam legem non observavit vetus ille populus, vir dictus sit secundum cor Dei, quique omnes Dei voluntates faceret.

23. *Huius Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel Salvatorem Jesum,* 24. *praedicante Joanne ante faciem adventus eius baptismum poenitentiae omni populo Israel.* 25. *Cum impleret autem Joannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse? Non sum ego; sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum solvere.* 26. *Viri fratres, filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est.* 27. *Qui enim habitabant Jerusalem, et principes eius, hunc ignorantes, et voces prophetarum, quae per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleverunt,* 28. *et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum.* 29. *Cumque consummassent omnia, quae de eo scripta erant, deponentes eum de ligno posuerunt eum in monumento.* 30. *Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his,* 31. *qui simul adscenderant cum eo de Galilaea in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes eius ad plebem.* 32. *Et nos vobis annunciamus eam, quae ad patres nostros repromissio facta est.* 33. *Quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus*

es tu, ego hodie genui te. Proprie hoc ad aeternam Christi nativitatem ex Patre pertinet. Sed haec Divina generatio ipsa fuit ratio, cur Christus a morte resuscitatus sit, quem tamquam Filium Dei impossibile esset teneri doloribus inferni. Act. 2. v. 24. Probat itaque hinc S. Paulus, Christum resurrexisse ideo, quod Dei Filius esset. Qua de re iam etiam ad illum Psalmi secundi locum, unde hoc testimonium est acceptum, iam a me dictum est. 34. *Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius iam non reversurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta David fidelia.* Hoc est: quas Davidi feci de Christo, eius filio, promissiones, has sancte praestabo. Ubi vero hoc dixit? In Psalmo 88. v. 36. „Semel iuravi in sancto meo, si David „mentiar, semen eius in aeternum manebit.“ Ex eo enim, quod Christus in aeternum dicatur mansurus, intelligitur, non amplius moriturus. 35. *Ideoque et alias dicit: Non dabis sanctum suum videre corruptionem.* Psal. 15. v. 10. 36. *David enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei, dormivit:* Graece: Δαβὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας τῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ ἐκοιμήθη: *Nam David quidem, cum suae generationi ministrasset, Dei consilio dormivit, et appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem.* Generationi autem suae ministrasse significat, perfunctum esse sua generatione. Generatio autem solet in Scriptura usurpari pro spatio, quanto vivitur: et pro aetate tota alicuius. Sic Ezechias, cum se audivisset moriturum „Genera-

„tio mea, inquit, ablata est, et praecisa est velut „a texente vita mea.“ Isa. 38. v. 12. Sensus igitur est: Davidem, postquam cursum vitae suae confecisset, Dei dispositione dormivisse, et adpositum esse ad patres suos, et vidisse corruptionem. 37. *Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem.*

38. *Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur: et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari,* 39. *in hoc omnis, qui credit, iustificatur.* 40. *Videte ergo, ne superveniat vobis, quod dictum est in Prophetis:* 41. *Videte contemptores, et admiramini, et disperdimini, quia opus operor ego in diebus vestris, quod non credetis, si quis enarraverit vobis.* Hoc per prophetam Habacucum cap. 1. v. 5. pronunciatum est de Chaldaeorum adventu ad devastandam Judaeam, atque Jerosolymam, cuius cladis, et calamitatis tanta sit futura magnitudo, et enormitas, ut res fidem apud eos, quibus narraretur, repertura non sit. Illa vero Judaeae, et Jerosolymae devastatio, Judaeorumque in captivitatem deportatio typice adumbravit ipsorum reprobationem, cladem, et dissipationem, quae ipsis illata est per Romanos. Quam Christus etiam tribulationem vocavit, qualis non fuerit ab initio mundi, nec futura sit. Matth. 24. v. 21. Cum ergo hoc, quod per Habacuc dictum est, huc typice respexerit; intelligitur, quomodo isto testimonio erga istos etiam uti Paulus recte potuerit, ut illos terreret, ne

illud eveniret, quod reapse deinde illis evenit cum eam, quae ipsis offerebatur, salutem contempsissent.

42. *Exeuntibus autem illis rogabant, ut sequenti sabbato loqueretur sibi verba haec.* In Graecis editis exemplaribus additum est: τὰ ἔθνη, *gentes*, quae rogaverint, ut sequenti sabbato iterum haec modo dicta ipsis repeterentur a Paulo. At manuscripti Codices Graeci, deinde Syrus, et Aethiops carent isto additamento. Et aliunde hoc assutum esse, illud argumento est, quod Paulus sermonem hunc in synagoga, atque adeo ad Judaeos habuerit. Hi ergo eum rogarunt, ut sequenti etiam sabbato eadem de re ipsis loqueretur. 43. *Cumque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Judaeorum, et colentium advenarum* (Graece: τῶν σεβομένων προσηλύτων, colentium proselytorum) *Paulum, et Barnabam, qui loquentes svadebant eis, ut permanerent in gratia Dei.* Quibus svasum est, ut permanerent in gratia Dei; hi intelliguntur gratiam hanc esse consecuti. Qui ergo Paulum, et Barnabam sunt secuti, intelliguntur etiam nomen Evangelio dedisse. 44. *Sequenti vero sabbato paene universa civitas convenit audire verbum Dei.* 45. *Videntes autem turbas Judaei, repleti sunt zelo, et contradicebant his, quae a Paulo dicebantur, blasphemantes.* 46. *Tunc constanter Paulus, et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes.* 47. *Sic enim praecepit nobis Dominus:*

Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem, usque ad extremum terrae. Isa. 49. v. 6. 48. *Audientes autem gentes gavisae sunt, et glorificabant verbum Domini, et crediderunt, quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.* 49. *Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem.* 50. *Judaei autem concitaverunt mulieres religiosas, et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum, et Barnabam, et eiecerunt eos de finibus suis.* 51. *At illi excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium.* Civitatis nomen est in Lycaonia, Asiae minoris provincia. 52. *Discipuli quoque replebantur gaudio, et Spiritu sancto.*

CAPVT XIV.

Iconii Pauli, et Barnabae praedicatione multi convertuntur ad fidem, deinde lapidibus impetiti confugiunt ad Lycaoniae civitates Derben, et Lystram, ubi cum claudum Paulus sanasset Lystrenses Divinis etiam honoribus eos affecissent, nisi ipsi prohibuissent. Iidem vero Lystrenses per Judaeos concitati insectantur Apostolos, Paulumque ita lapidibus petunt, ut pro mortuo relinqueretur. Confirmatis discipulorum animis, et constitutis presbyteris per civitates, revertuntur Antiochiam.

1. *FACTUM est autem Iconii, ut simul introirent in synagogam Judaeorum, et loquerentur, ita ut crederet Judaeorum, et Graecorum copiosa multitudo.* Graeci hi gentiles intelliguntur, non grae-

cizitantes Judaei: atque sic Ἕλλην, non Ἑλληνιστὴς etiam est in Graeco. Idem deinde Graeci versu subsequente vocantur gentes. Non vero gentiles in synagoga Judaeorum converterunt; sed illud, esse synagogam ingressos erga solos Judaeos est dictum, quamvis deinde Judaeorum, et Graecorum, quoad eorum conversionem simul sit facta mentio. 2. *Qui vero increduli fuerunt Judaei, suscitaverunt, et ad iracundiam concitaverunt animas gentium adversus fratres.* 3. *Multo igitur tempore demorati sunt fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiae suae, dante signa, et prodigia fieri per manus eorum.* 4. *Divisa est autem multitudo civitatis, et quidam quidem erant cum Judaeis, quidam vero cum Apostolis.* 5. *Cum autem factus esset impetus gentilium, et Judaeorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent, et lapidarent eos;* 6. *intelligentes*, (Graece: συνιδόντες, Hoc cum advertissent) *confugerunt ad civitates Lyaconiae Lystram, et Derben, et universam in circuitu regionem*, Graece: καὶ τὴν περίχωρον: et circumiacentem regionem) *et ibi evangelizantes erant.* 7. *Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suae, qui numquam ambulaverat.* 8. *Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, et videns, quia fidem haberet, ut salvus fieret:* ab illa sua videlicet pedum infirmitate; viderit procul dubio iam per Apostolos factas eiusmodi curationes; fiduciam itaque ipse quoque conceperat: 9. *dixit magna voce, surge super*

pedes tuos rectus. Et exilivit, et ambulabat. 10. *Turbae autem cum vidissent, quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam, Lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos.* 11. *Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi.* Ipse primas partes tenebat in faciendo sermone ad eos, potior, atque prior erat in loquendo. Mercurius autem a gentilibus colebatur tamquam interpres, et nuncius deorum, praesesque eloquentiae habebatur. 12. *Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros, et coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare.* Fanum videlicet quodpiam Jovis erat constitutum extra civitatem, atque huius fani sacerdos afferebat coronas, taurosque ducebat, quos Apostolis immolaret. In sacrificiis autem gentilium tam ipsi, qui sacrificabant, quam victimae coronabantur. 13. *Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas, et Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas clamantes,* 14. *et dicentes: Viri, quid haec facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit caelum, et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt.* 15. *Qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* 16. *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de caelo dans pluvias, et tempora fructifera, implens cibo, et laetitia corda nostra.* 17. *Et haec dicentes, vix sedaverunt turbas, ne sibi immolarent.*

18. *Supervenerunt autem quidam ab Antiochia, et Iconio Judaei, et persvasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse.* 19. *Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, et postera die profectus est cum Barnaba in Derben.* 20. *Cumque evangelizassent civitati illi, et docuissent multos, reversi sunt Lystram, et Iconium, et Antiochiam:* nempe Antiochiam Pisidiae, ubi prius in hac sua peregrinatione praedicaverant. Nam Antiochiam Syriae esse reversos infra adhuc deinde sequetur, 21. *confirmantes animas discipulorum, exhortantesque, ut permanerent in fide: et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* 22. *Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, et orassent cum ieiunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.* 23. *Transeuntesque Pisidiam venerunt in Pamphyliam,* 24. *et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam.* De Perge iam supra etiam fuit praecedentis capitis versu 13. fuisse Pamphyliae civitatem, ubi Attalia quoque civitas fuit cum portu. 25. *Et inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiae Dei in opus, quod compleverunt.* Qui illos tradiderunt? ii, qui illos ad opus ministerii, ad quod a Spiritu sancto erant assumpti, segregaverunt et Deo suis precibus insuper commendaverunt. 26. *Cum autem venissent, et congregassent Ecclesiam, retulerunt, quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset gentibus*

tibus ostium fidei. 27. *Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.*

CAPVT XV.

De gentilibus ad fidem conversis, num circumcidi etiam deberent, cum Antiochiae excitata esset controversia, Paulusque, et Barnabas hac de causa Jerosolymam missi essent; in Apostolorum, et seniorum concilio decretum fit de ipsis hac ratione non inquietandis. Paulus, et Barnadas separatim iter ingrediuntur ad praedicandum Evangelium.

1. *ET quidem descendentes de Judaea, docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.* S. Epiphanius haeresi 28. S. Philastrius lib. 8. de Haer. S. Hieronymus Epist. 89. S. Augustinus in Catalogo Haeresum Cerinthum docent fuisse, qui istius seditiosae controversiae auctor, incentorque fuerit. 2. *Facta ergo seditione non minima Paulo, et Barnabae adversus illos, statuerunt, ut adscenderent Paulus, et Barnabas, et quidem alii ex aliis ad Apostolos, et bresbyteros in Jerusalem super hac quaestione.* Graece: Γενομένης οὖν στάσεως, καὶ συζητήσεως οὐκ ὀλίγης τῷ Παύλῳ, καὶ τῷ Βαρνάβᾳ πρὸς αὐτούς: *Cum ergo oppositio, et disceptatio non exigua facta esset Paulo, et Barnabae adversus eos.* Nempe illi, qui Jerosolyma advenerant opposuerant se Paulo, et Barnabae, hi vero contra illos disceptaverunt, et defenderunt circumcisione nihil opus esse gentilibus. Syrus vertit: *Ortus est tu-*

multus plurimus, et disceptatio Paulo, et Barnabae cum eis. Hic iniuriosus in Protestantes esset, qui illos, dum Religionis difficultates, in quibus deinde reformationem suam fecerunt, ipsis occurrissent, non idem fecisse, quod isti in primaeva Ecclesia in controversia, et istorum exemplum esse secutos, diceret. Nam etiam Lutherus primum ad Leonem X. Romanum Pontificem, deinde tota Germania, quae Lutherum est complexa, controversiam omnem deferri ad Generale Ecclesiae concilium, et ab eo decidi voluit, atque etiam postulavit. Illa tantum differentia est, quod cum Paulus postea, quemadmodum est infra huius capitis versu ultimo, praecepta Apostolorum, et Seniorum, quae erant edita in hocce concilio, omnibus ad observandum tradidisset; ipsi deinde tamen nec Romani Pontificis, nec generalis concilii decretis, postquam fuissent edita, parere voluerint: sed Ecclesiae auctoritate excussa, in eo pertinaciter adhaeserint, quod sibi, ut sequerentur, iam antea visum erat: atque alias multiplices vias iniverunt factum suum defendendi, cur stare decretis Ecclesiae non cogerentur, et iam solam Scripturam sacram, iam privatum uniuscuiusque spiritum esse, qui iudex in Religionis controversia esset tantummodo adeundus, et consulendus, comminiscebantur. In primaeva Ecclesia, cuius ipsi normam se in sua reformatione dicunt, utinam vere, secutos esse, boni fideles decretis Apostolorum, et seniorum paruerunt. Cerinthus, Ebion, pluresque, qui eius-

dem cum his furfuris erant, quemadmodum S. Epiphanius haeresi 28. aliique Scriptores Ecclesiastici tradunt, tantum, qui postea ab Ecclesia pro haereticis habiti sunt, suum ingenium sequentes illi decreto non paruerunt, eiectique ab Ecclesia seorsim sibi coetum, atque conciliabulum constituerunt. Ad illa Lutheri, et Calvini tempora repertus fuit haereticus nemo, qui etsi disputando omnia tentasset, ut se ab Ecclesiae sententia, quae damnabatur, expediret; tamen ausus fuisset profiteri, non esse Ecclesiae tribunal, cuius iudicium indubitatum, cuique standum esset. Lutheri, et Calvini adseclae, primi fuerunt, qui ne viderentur Ecclesiae iusta auctoritate damnati, atque convicti, illud repererunt, ut ipsam Ecclesiam dicerent defecisse. Sic enim necessario consequens erat, ut ab Ecclesia, quae nulla existeret, condemnari non possent. Quo ipsos non adegit necessitas? Ecclesiam vero quam Christus fundavit, et sic fundavit, ut portae inferi non praevalerent adversus eam, qua impudentia adversus tam apertum Christi oraculum possunt dicere defecisse? Certe quidem fidelium est, Ecclesiam audire, et sequi, quod illa docet, nec ire post ingenii sui pruritum, sed intellectum subiicere in obsequium Christi. 2. Cor. 10. v. 5. Quid vero ipsi fecerunt, dum eos a vera doctrina deviare docuisset Ecclesia? Hoc, in quo ipsos notavit Ecclesia; audacissime in ipsam verterunt Ecclesiam non se, verum illam errare. Num vero, quod istud ipsi sic effutiverint, iam etiam verum erit, illam reapse,

non se errare? Ecclesia fuit iudex, et iudex, qui in iudicando non posset errare, utpote columna, et firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. v. 15. quae Spiritum veritatis sibi haberet datum, ut cum ea maneat in aeternum: Joan. 14. v. 10. doctrina autem ipsorum producta fuit in iudicium. Ipsorumne ergo fuit de Ecclesia, an Ecclesiae de ipsis iudicare? Si vero Ecclesiae fuit iudicare, ipsine auctoritatem ei, ne ab ea damnarentur potuerunt abrogare? Sic peraeque ne Deus quidem erit. „Dixit enim insipiens: „Non est Deus.“ Psal. 13. v. 1. Si autem perstitit, et perstat Ecclesia, a qua se ipsi separare, et discindere potuerunt, illam subruere non potuerunt, quia portae inferi non praevalebunt adversus eam, sequitur ut in doctrina Religionis non suo iudicio, quo subvertuntur, fidant, sed Ecclesiae decretis pareant. „Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sic „ut ethnicus, et publicanus.“ Matth. 18. v. 17.

3. *Illi ergo deducti ab Ecclesia pertransibant Phoenicem, et Samariam, narrantes conversionem gentium, et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.* 4. *Cum autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, et ab Apostolis, et senioribus, annunciantes, quanta Deus fecisset cum illis.* 5. *Surrexerunt autem quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque observare legem Moysi.* Haeresis proprie significat aliquam societatem hominum, qui se ab aliis opinione aliqua, et sententia distingvunt, seque seiungunt.

Latine secta dicitur. Nec extra Religionem est hoc semper deforme vocabulum. Nam ipsi philosophi habebantur in diversas sectas divisi, atque, distincti. Inter Judaeos autem fuisse Pharisaeorum, Sadducaeorum, pluresque sectas, qui se, docendo peculiare aliquid, tenerent ab invicem disiunctos, iam alias demonstratum est. Ex Pharisaeorum igitur secta cum quidam etiam suscepissent fidem; hi modo pro circumcisione, et pro lege Moysis pugnabant, utpote quorum inter Judaeos etiam fuerit hanc observantiam iactare atque in exteris eius officiis omnem Religionis perfectionem constituere.

6. *Conveneruntque Apostoli, et seniores videre de verbo hoc.* Protestantes, dum in Ecclesia concilium de ipsorum doctrina fuisset institutum, Tridentinum illud est: egerunt, uti fidelibus omnibus, sibique ipsis in eo iudicandi locus concederetur; et cum hoc factum non esset, sed eorum theologis, ministris, et cuicumque eorum placuisset, veniendi ad concilium, atque ibi conferendi, ac disputandi liberrima facultas oblata tantum fuisset; etiam isto nomine deinde contra concilium non fuisse rite, et legitime celebratum, in quo soli Episcopi sibi vindicavissent decidendi auctoritatem, consurrexerunt, atque mordaci dente appetierunt. Non attenderunt autem hi, qui secundum primaevum Ecclesiae institutum se se dicebant reformationem facere, in ipsius primordiis, et Apostolorum aetate Apostolos tantummodo, et seniores convenisse ad concilium, et ad iudicium exercendum de ne-

gotio Religionis, in quo exorta fuisset controversia. 7. *Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere.* 8. *Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut et nobis.* 9. *Et nihil discrevit inter nos, et illos, fide purificans corda eorum.* 10. *Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* 11. *Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi.* Quod Deus Petrum elegisset in ipsis, hoc est, inter ipsos, ut per os eius gentes audirent verbum Evangelii, id ipsi Petro tantum fuerat demonstratum supra capite 10. v. 11. per visum lintei diversis immundis animantibus pleni, e caeloque demissi, atque hinc, quemadmodum est subsequente capite, idem hoc ceteris etiam ab eo tum erat declaratum. Hoc autem non pridem erat. Attamen idem Petrus non minus ab antiquis diebus, et prorsus ab aeterno fuit a Deo electus ad Evangelium praedicandum gentibus, quam Paulus ab utero suae matris fuerit segregatus, et vocatus per gratiam a Deo, ut eius Filium revelaret, et evangelizaret gentibus, Gal. 1. v. 15. atque idem Paulus nec tantum se, sed omnes fideles dicit electos esse a Deo ante constitutionem mundi. Eph. 1. v. 4. Hoc ergo, quod dixit: *Ab antiquis diebus*, non nectitur cum

isto: *Vos scitis:* sed cum illo: *Deus elegit*, ut sensus sit, ipsos scire, quod Deus Petrum ab aeterno elegerit, ut per illum gentes audirent Evangelium.

Quomodo illud deinde potest tenere, ut Mosaicae leges vocentur iugum, quod nec ipsi, nec eorum patres potuerint portare? Nam si eiusmodi iugum fuit, quod nemo portare potuit; nullus etiam potuit legem observare. Atqui laudantur ab iustitia, etiam sub illa lege Moysis multi. De Zacharia, et Elisabeth est, ne plura exempla, in re alioquin certa, conferam, ipsos incessisse in omnibus mandatis, et iustificationibus Domini sine querela. Luc. 1. v. 6. Advertendum est hic omnium primo, Petrum non loqui de lege generatim, et universe, sed de illis tantum, cuiusmodi erat circumcisio. Nam cum Christus dicat, se venisse, non ut legem solveret, sed adimpleret, Matth. 5. v. 17. et Paulus; „Legem ergo destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus:" Rom. 3. v. 31. profecto nec per Evangelium liberati sumus ab observantia illarum legum omnium, quae continentur in Decalogo, et ad universum genus humanum pertinent, quibusque obstringimur ipso iure naturali, quaeque universitas legum dilectione Dei, et proximi, omnis continetur, in quibusque duobus mandatis diligendi Deum, et proximum universa lex pendet, et Prophetae. Matth. 22. v. 40. Non ergo de absolvendis discipulis ab observantia harum legum fuit modo actum. Et tamen generaliter utriusque generis leges, et illas communes omni hominum generi, et illas spe-

ciatim Judaeorum genti rituales datae, erant iugum, quod nemo portare posset. Neque enim lex per seipsum vires aliquas praebuit ad sui observantiam. „Ipsa minari novit, ait S. Augustinus serm. 152. „de Verbis Apostoli, non subvenire; iubere no-„vit, non iuvare. Ipsa est, quae dixit: *Non con-„cupisces*. Unde dicit Apostolus: *Concupiscentiam „nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces*. „Et quid mihi profuit, quia lex dixit: *Non con-„cupisces? Occasione accepta peccatum per man-„datum seduxit me, et per illud occidit*. Rom. 7. „v. 11. Prohibitus sum concupiscere, nec implevi „iussa, sed victus sum. Ante legem fui peccator, „accepta lege factus sum praevaricator.“ Si ergo eaedem etiam nunc Christianum in Evangelio obstrictum tenent leges, qua ratione non idem remansit iugum? quia quam promissionem gratiae sibi lex vetus adiunctam non habuit; hanc habet Evangelium, et fides in Christum. Eadem vero lex accedente gratia, ac vires praebente, facta est iugum svave, et onus leve. Matth. 11. v. 30. „Ipse est, „ait S. Augustinus lib. de Spir. et lit. cap. 19. „quam non venit Christus solvere, sed implere. „Non tamen per eamdem legem iustificatis impiis, „sed per gratiam. Hoc quippe agit vivificans Spi-„ritus, sine quo litera occidit. *Si enim data esset „lex, quae posset vivificare, omnino ex lege esset „iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub pec-„cato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur „credentibus*. Gal. 3. v. 21. Ex hac promissione,

„hoc est, ex Dei beneficio ipsa lex impletur: sine „qua promissione praevaricatores facit, vel usque „ad effectum mali operis, si etiam repagula timo„ris concupiscentiae flamma transcenderit; vel cer„te in sola voluntate, si timor poenae svavitatem „libidinis vicerit. Lex ergo data est, ut gratia quae„reretur: gratia data est, ut lex impleretur. Ne„que enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio „prudentiae carnis. Quod vitium per legem demon„strandum, per gratiam sanandum fuit. *Quod enim „impossibile erat legi, in quo infirmabatur per „carnem, Deus Filium suum mittens in similitu„dinem carnis peccati, et de peccato damnavit „peccatum in carne, ut iustificatio legis implere„tur in nobis.*" Rom. 8. v. 3. Qui ergo ante adventum Christi sub veteri lege vixerunt, multi etiam legem impleverunt, sed non per legem, verum per gratiam: quam per fidem in Christum, in quem venturum crediderunt, obtinuerunt. „Justitia enim „Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super „omnes, qui credunt in eum." Rom. 3. v. 22. Quaestio haec tractata iam etiam est ad Deuteronomii cap. 30. v. 11.

12. *Tacuit autem omnis multitudo, et audiebant Barnabam, et Paulum narrantes, quanta Deus fecisset signa, et prodigia in gentibus per eos.* 13. *Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus dicens: Viri fratres, audite me:* 14. *Simon narravit, quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo.* 15. *Et huic*

concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: 16. *Post haec revertar, et reaedificabo tabernaculum David, quod decidit, et diruta eius reaedificabo, et erigam illud,* 17. *ut requirant ceteri hominum Dominum, et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens haec.* Ex Amos capite 9. versu 11. est hoc testimonium. Sub figura eversi tabernaculi David, urbis nimirum Jerosolymae, ubi Davidis fuit regia sedes, per Chaldaeos, quodque postea instauratum iterum est, demonstrabatur futurum, ut veteri testamento dissipato, super illius rudera, et ex illius Israelitici populi reliquiis exstrueretur novi foederis Ecclesia, non tantum ex Judaeis, sed ex omnibus totius mundi nationibus. Hinc ergo cum intelligeretur, Evangelii gratiam non esse a Deo restrictam ad solos Judaeos, consequens erat, eos, qui Evangelii gratiam vellent recipere, non oportere esse Judaeos. Ergo consequebatur nec oportere eos etiam circumcidi, et illis ritibus subdi, quos peculiares habuit natio Judaica. 18. *Notum a seculo est Domino opus suum.* A seculo, ab aeterno (ἀπ' αἰῶνός) Deo notum est opus suum. Nihil enim in Deo est novum, ac ex tempore natum. 19. *Propter quod ego iudico, non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum,* 20. *sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sangvine.* 21. *Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum praedicent in synagogis.*

Per contaminationes simulaororum intelliguntur idolothyta, et victimarum carnes, quae idolis essent oblatae. Neque enim de ipsis simulacris falsorum deorum iis, qui ad unum verum Deum convertebantur, ulla esse poterat vel dubitatio. Sed cum a gentilibus carnes per modum pietatis erga suos deos ederentur; etsi caro ipsa maneret caro, ut antea per Dei creationem fuit, ne reapse in se foeditatem aliquam recepisset per solam gentilium opinionem, qua putaretur sacrata esse cuipiam deo, cum iste deus nullus esset, ne qua suspicio excitaretur, eos, qui comederent idolothytum, id ex veneratione facere erga idolum, esus illius fuit interdictus. Contaminationes hae simulacrorum infra versu 29. aperte immolata simulacrorum vocantur. Item de fornicatione praeceptum est erga gentiles datum. Apud quos genus istius peccati admodum erat familiare, et consvetum, quodque nisi fortasse ius matrimonii una laederetur, ne quidem duceretur alicui peccato. Suffocata, et sangvis ad idem pertinent: siquidem in suffocatis animantibus remaneat sangvis. Neque enim ullis gentibus erat ignotum crimen esse homicidium, ut necesse fuerit de humano sangvine, nefas esse illum fundere, praeceptum aliquod singillatim dare. Non fuit autem praeceptum hocce de abstinentia a sangvine tantum Judaeis datum, sed ipsi Noemo, Genes. 9. v. 4. a quo, reliquis per diluvium deletis, originem nationes duxerunt omnes. Praeceptum vero hoc apud alias omnes nationes iam erat obliteratum;

observabatur autem ab Judaeis. Quod ergo ipsis gentilibus a Deo per Noemum praeceptum antiquitus datum esset; ab Apostolis nunc iterum renovatum est, hac de causa, quemadmodum docet S. Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 13. quo facilius gentiles cum Judaeis in unum Dei populum coalescerent. ,, Si hoc tunc Apostoli, inquit, ,, praeceperunt, ut ab animalium sangvine abstinerent Christiani, ne praefocatis carnibus vescerentur; elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem, et nequaquam observantibus onerosam, ,, in qua cum Israelitis etiam propter angularem lapidem duos in se condentem, aliquid communiter observarent, simul et admonerentur, in ipsa ,, arca Noe, quando Deus hoc iussit, Ecclesiam ,, omnium gentium esse figuratam, cuius facti prophetia iam gentibus, ad fidem accedentibus incipiebat impleri. Transacto vero illo tempore, ,, quo illi duo parietes, unus ex circumcisione, alter ex praeputio venientes, quamvis in angulari ,, lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant; ac ubi Ecclesia ,, gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita ,, carnalis appareat; quis iam hoc Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat; nisi quarum sangvis effusus est, aut leporem non edat, si manu a cervice percussus, ,, nullo cruento vulnere occisus est? Et qui forte ,, pauci adhuc tangere ista formidant, a ceteris irridentur. Ita omnium animos in hac re tenuit

„ illa sententia veritatis: Non, quod intrat in os „ vestrum, vos coinquinat, sed quod exit, Matth. „ 15. v. 11. nullam cibi naturam, quam societas ad„ mittit humana, sed quae iniquitas committit, pec„ cata condemnans. “

Fuit vero praeceptum hoc de abstinentia a suffocato, et sangvine Divina auctoritate per Apostolos constitutum. Dicebant enim: *Visum est Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria.* Quod enim Spiritui sancto visum fuit imponere; illud certe oneris per eum impositum est: nec certe alia ratione idem sibi etiam visum esse Apostoli in decrero eodem addiderunt, quam quod illorum ministerio per Spiritum sanctum ederetur. Neque enim profecto se cum Spiritu sancto in lege ferenda componere, seipsosque ei aequiparare in auctoritate voluerunt. Iam vero, qua ratione ea lex, quae Divina auctoritate constituta est, postea non tenuit? quomodo contraire fideles ausi sunt, idque passim; ut ex observantia prorsus in desvetudinem abiret, quin aliqui essent, qui legem tam manifestam tuerentur, eiusque observantiam vindicarent. Intelligitur ergo haec lex ita esse lata, ut per ipsos Apostolos fidelibus una etiam innotuerit, ad tempus tantum esse factam, non in perpetnum. Nam etiam de idolothytis haec eadem fuit ratio, de quibus Paulus Corinthios sic instruxerat, ut omne quod in macello veniret, sine inquisitione num idolis immolatum esset, comederent, itemque vocat ad con-

vivium ab aliquo gentili similiter de cibis appositis facerent, et tantum tunc abstinerent, si citra suam interrogationem esse aliquid immolatum diceretur, neque istud ob propriam conscientiam, sed tantum alterius, qui indicavit. 1. Cor. 10. v. 25 Hoc autem fidelibus aliter profecto innotescere non potuit, quam vivae vocis doctrina istud illis committendo, qui Ecclesiis praeficerentur, qua ratione hoc fieri esse solitum in toto genere doctrinae, in qua instruendi essent fideles, manifestum documentum est in Epistola 2. ad Timotheum cap. 2. v. 2. ubi Paulus, „Quae audisti a me, inquit, per mul- „tos testes, haec commenda fidelibus hominibus, „qui idonei erunt et alios docere:" atque adeo per viam traditionis. Neque enim in ipsa Scriptura sive hic, sive alibi exstat quidpiam, unde intelligi posset, non ad omne tempus absolute fuisse hanc de abstinentia a sangvine, et suffocato legem per Apostolos latam. Viam autem hanc traditionis respuunt ii, qui Augustanae, et Helveticae Confessioni sunt addicti, unamque Scripturam profitentur se, idque exacte, et ad amussim sequi. Quomodo ergo istud de hac abstinentia a sangvine, et suffocato, quod tam aperte in Scriptura est, cum reformationem fecissent, non etiam revocarunt, cur etiam nunc laqueo captas aves, vel feras, et suillo sangvine distentos botulos comedunt? Quod Catholici hoc faciant, traditionem pro se habent. Hanc vero ipsi repudiaverunt, atque a se excusserunt. Cur ergo, qui Traditioni nihil tribuunt, istud,

quod in Scriptura tam manifeste est, non etiam dum sibi reformationem fecerant, amplexi sunt, atque haec genera ferculorum, in quae sangvis animalium ingreditur, non abiecerunt? Non sibi recte consuluerunt. Nemo enim, dum istud advertet, erit, qui hic ipsos non ad Scripturam sacram, sed tantum ad oris sui palatum, gulaeque appetitum attendisse dicat: ex istoque facile coniecturam faciet, Scripturam sacram, quam sibi normam in reformatione iactant fuisse, non ipsam Scripturam, sed huius tantum fucum, atque larvam fuisse.

Cur autem eos, qui ex gentilibus ad fidem converterentur, nolit iugo Mosaicarum legum gravari, hanc rationem subiecit Jacobus, qui modo verba fecit: *Moyses enim*, inquit, *a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* In quae verba S. Chrysostomus homil. 33. in Act. Ap. „Quia, inquit, illi non audierant de „lege, merito haec imperat de lege, ne videatur „illam abrogare.“ Quamvis nimirum gentiles, ad fidem conversi, legem Moysis non audivissent; nihilominus iudicabat, non hanc ipsis praescribendam, sed tantum praecepta, quae superiore versu posita sunt, esse perscribenda, siquidem Moyses alioquin in synagogis legeretur, adeoque illius alia publicatione opus nôn esset, non quidem, quasi hi gentiles ad fidem conversi, Judaeorum synagogas adituri essent, sed tantum, ne iis, qui pro Judaicorum rituum observantia erant, videretur Moy-

sem velle suppressum habere, cuius lectioni, et praedicationi se se contrarium non exhiberet, ne hi, qui pro illis ritibus erant, offenderentur, atque a fide fortasse resilirent: ob quam causam ipsi etiam Apostoli ritus illos temporis gratia observaverunt, et S. Paulus Timotheum etiam circumcidit, quemadmodum est subsequentis capitis versu tertio.

22. *Tunc placuit Apostolis, et senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo, et Barnaba, Judam, qui cognominatur Barsabas, et Silam, viros primos in fratribus,* 23. *scribentes per manus eorum: Apostoli, et seniores fratres his, qui sunt Antiochiae, et Syriae, et Ciliciae fratribus ex gentibus salutem.* 24. *Quoniam audivimus, quia quidam, ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus,* 25. *placuit nobis collectis in unum eligere viros et mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba, et Paulo,* 26. *hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi.* 27. *Misimus ergo Judam, et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem.* 28. *Visum est enim Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria,* 29. *ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sangvine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis. Valete.* 30. *Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam, et congregata multitudine tradiderunt epistolam.* 31. *Quam cum*

cum legissent, gavisi sunt super consolatione. *32. Judas autem, et Silas, et ipsi cum essent prophetae, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt. 33. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos, qui miserant illos. 34. Visum est autem Silae ibi remanere. Judas autem solus abiit Jerusalem. 35. Paulus autem, et Barnabas demorabantur Antiochiae docentes, et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. 36. Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus praedicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. 37. Barnabas autem volebat secum assumere et Joannem, qui cognominabatur Marcus. 38. Paulus autem rogabat eum, ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, et non esset cum eis in opus, non debere recipi. 39. Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem, et Barnabas quidem assumpto Marco navigaret Cyprum, 40. Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiae Dei a fratribus. 41. Perambulabat autem Syriam, et Ciliciam confirmans, Ecclesias, praecipens custodire praecepta Apostolorum, et seniorum.* Haec ultima pars istius versus: *Praecipiens custodire praecepta Apostolorum, et seniorum,* non existit in Graeco, sed nec in aliqua antiqua Orientali versione. Est vero sequentis capitis versu 4. de eodem Paulo, et Sila: „Cum autem pertransirent civita„tes, tradebant eis custodire dogmata, quae erant

„ decreta ab Apostolis, et senioribus, qui erant Je-„rosolymis." Inde, quoniam utrobique de eadem peregrinatione Pauli est sermo, quod illic positum, hic vero praetermissum est; huc quoque uberioris declarationis gratia translatum est cuiuspiam superflua diligentia.

CAPVT XVI.

Paulus Timotheum sibi in peregrinatione Lystris associat. In Asia, et Bithynia Paulum vetat Spiritus sanctus de Evangelio aliquid loqui. Vocatur per visum in Macedoniam. Philippis Lydiam purpurariam ad fidem convertit, et puellam a pythone liberat: cum Sila flagellis caesus in carcerem coniicitur. Solutis vinculis, et aperto carcere Divinitus, convertitur carceris custos ad fidem cum tota sua domo.

1. *PERVENIT autem Derben, et Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris Judaeae fidelis, patre gentili.* 2. *Huic testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant, et Iconio fratres.* 3. *Hunc voluit Paulus secum proficisci, et assumens circumcidit eum propter Judaeos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quod pater eius erat gentilis.* 4. *Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis, et senioribus, qui erant Jerosolymis.* Etiam superioris capitis versu secundo, sexto, et saepius una cum Apostolis seniores etiam, vel presbyteri,

idem enim significant ambo haec vocabula, sed tantummodo lingva differunt, et alterum est Latinum, alterum Graecum, coniunguntur. Senior, vel bresbyter nunc in Ecclesia is vocatur, qui in secundo gradu sacerdotii est: is vero, qui in primo est constitutus, vocatur, quemadmodum notum est, Episcopus. Quaeri igitur potest hic, quinam isti intelligantur seniores, et an iidem fuerint, qui Apostoli. Prima Ecclesiae aetate tam episcopi, quam presbyteri nomen fuisse utrique gradui sacerdotii commune, demonstrabitur adhuc postea ad initium Epistolae S. Pauli ad Philippenses, ipsosque Apostolos seniorum etiam nomen gessisse, manifestum fit ex 1. Epistolae S. Petri cap. 5. v. 1., ubi ad eos, qui fidelium gregi erant praepositi, veluti pastores, qui profecto Episcopi intelliguntur „Seniores ergo, qui in vobis sunt, inquit, obse„cro consenior, et testis Christi passionum, qui „et eius, quae in futuro revelanda est, gloriae com„municator, pascite, qui in vobis est, gregem „Dei." Etiam Joannes Apostolus in altera, et tertia sua Epistola seniorem se vocat. Ex quo intelligitur, qui seniores isto, et superiore capite vocantur, cum Apostolisque coniunguntur, eosdem esse, quos Apostolos, et tantum utrumque eorum nomen, quo consvevissent in Ecclesia appellari, esse per synonymiam positum. An Antiocheni, excitata controversia, qui Pauli, et Barnabae auctoritate ad eam decidendam non essent contenti, quamvis iam ipsi quoque in dignitate essent Aposto-

lica, sed tantum quorum auctoritas minus adhuc habuisset ponderis, quod non essent ex illorum Apostolorum numero, qui electi ab ipso Christo sunt, ad alios, quam ad hos priores Apostolos, causam deferri voluissent? ab hisne decisionem controvesiae expetiissent? istosne cum Apostolis illis primis in auctoritatis existimatione copulavissent? Non ergo fuerunt hi vel aetate tantummodo inter fideles seniores vel ii, qui nunc in sacerdotii secundo gradu presbyteri vocantur. Idemque inde quoque intelligitur, quod decretum illud superiore capite in Jerosolymitano concilio editum nomine Apostolorum, et seniorum sit, iidemque convenisse dicantur ad videndum de verbo hoc, et de re illa, quae disceptabatur: numquam autem in more deinde fuerit Ecclesiae, ut cum episcopis, alii, etiamsi sacerdotes hi essent, qui presbyteri dicuntur, ad iudicandum in concilio considerent, nisi legati suorum episcoporum essent, aut per peculiare privilegium hoc sibi haberent concessum, et extraordinario iure. Quod si autem hocce exemplum ipsi Apostoli reliquissent; quis unquam dubitavisset, quin presbyteris quoque idem in conciliis iudicandi ius cum episcopis esset? Quod Apostoli, quos Christus Ecclesiae suae praefecerat, veluti principes illius, et capita, non per ostentationem mundani alicuius splendoris, sed propter auctoritatem habiti statim ab initio sint, et quorum nutu omnia gererentur, ac gubernarentur, extra dubitationem est. Consueverant apud Judaeos seniores appellari ge-

neratim omnes, qui auctoritate, et dignitate inter alios eminerent. Itaque supra in hocce libro cap. 4. v. 5. saepiusque adhuc postea, et crebro in Evangeliis etiam memorantur seniores, qui sive adversus Apostolos, sive adversus ipsum etiam Christum convenerint, conciliaque, et iudicia celebraverint: quin idem mos, ut seniorum appellatio primoribus in aliqua civitate, et dignitate praeditis tribueretur, etiam apud alias nationes viguit, et apud Aegyptios, et apud Moabitas. Gen. 50. v. 7. Num. 22. v. 7. idem hoc tenuisse reperitur. Hinc igitur a pristina consvetudine, et more apud Israelitas, seniorum nomine compellandi eos, qui auctoritate et dignitate reliquos antecederent, eadem haec res translata est ad primaevam Ecclesiam, et Apostolos sic etiam compellaverunt.

Dogmata sive Latino vocabulo decreta, ab Apostolis, et senioribus constituta, quae fidelibus per civitates Paulus observanda tradidit, illa intelliguntur, quae superiore capite fuerunt de idolothytis, ceterisque rebus, unde arcerentur. Ab Apostolis autem, et senioribus dicuntur haec esse facta decreta, tametsi superiore capite fuerit, ipsi Spiritui sancto fuisse visum uti ederentur, quia nimirum ipsi ductu Spiritus sancti, illa constituerunt, et ediderunt. Quemadmodum in Apostolis Spiritus sanctus fuit ad edenda haec dogmata, ita profecto Ecclesia regebatur et gubernabatur a Spiritu sancto etiam semper postea, et gubernabitur ad finem usque mundi. „Ego rogabo Patrem, et alium Pa-

„ raclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in ae-
„ ternum. Joan. 14. v. 16. Et Matthaei 28. v. 20.
„ Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque
„ ad consummationem seculi.“ Ecclesia ergo in iis, quae constituit, fidelibusque ad observandum proponit; Spiritu sancto regitur, nec propria, sed ea, quam a Christo accepit, auctoritate decreta sua proponit. „ Qui vos audit, me audit.“ Luc. 10. v. 16. et Petro dictum est: „ Pasce oves meas.“ Joan. 21. v. 17. itemque de omnibus Ecclesiae praesidibus est Act. 20. v. 28. „ Attendite vobis, et
„ universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit
„ episcopos regere Ecclesiam Dei.“ Quibus vero pascendi, et regendi potestas collata est; his certe in eos, quos pascendos, et regendos sibi haberent datos, auctoritas praecipiendi concessa est. Si autem in pastoribus, et episcopis praecipiendi potestas est, sequitur etiam in illis, qui subsunt, obtemperandi, et morem gerendi obligationem esse. Neque enim alterum absque altero esse potest. Isti, qui nunc illuminatius volunt videri sapere in Religione; passim Religionis officia contemnunt, et negligunt, quasi tantummodo sint praecepta, et iniuncta ab Ecclesia, eosque, qui illa praecepta edidissent, esse tantum homines: quorum auctoritatem violare non sit aliquid eiusmodi, quod gravius mereretur culpari. Rident ergo, quod ipse vidi etiam alios, qui ex observantia tali, quae in praeceptis Ecclesiae contineretur, et observantia dierum festorum, ieiuniorum, abstinentiae a car-

nibus diebus interdictis, aliquam sibi conscientiam facerent. Atqui Paulus tradidit fidelibus dogmata, quae ab Apostolis, et senioribus fuere constituta, ad observandum: quin si ipsius praeceptis etiam aliquis morem non gessisset; hunc, uti notarent, et ne commiscerentur cum eo, praeceptum dederat Thessalonicensibus. „ Quodsi quis, inquit, non obedit verbo „ nostro per epistolam; hunc notate, et ne commi- „ sceamini cum illo, ut confundatur.‟ 2. Thess. 3. v. 14. Isti autem, quamvis toti in Epicureismo sint, tamen subtiliores etiam S. Paulo esse volunt in Religione.

5. *Et Ecclesiae quidem confirmabantur fide, et abundabant numero quotidie.* 6. *Transeuntes autem Phrygiam, et Galatiae regionem, vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia.* 7. *Cum venissent autem in Mysiam, tentaverunt ire in Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu.* Asiae nomine hic intelligitur ea Asiae pars, quae proprie Asia minor vocabatur, ubi erat Ephesus: et in qua deinde ipse etiam S. Paulus biennium docuit, infra cap. 19. v. 1, 10. Nam in aliis Asiae provinciis per ipsum etiam Paulum fides iam fuerat praedicata. Item in Bithynia esse praedicationem postea factam a S. Petro, intelligitur ex eius Epistola prima, quam electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, et Bithyniae inscripsit. Cur his, qui postea audirent Evangelium, credituri essent, nunc adhuc distulerit praedicationem Deus, eiusdem generis dicit esse quaestionem S. Leo Papa lib. 2. de Vocatione Gentium cap. 3.

atque illa sit, quae similiter posset moveri, cur Christus non statim Apostolos ad Samaritanos, et gentiles praedicandi Evangelii causa ire permiserit. „Magni autem, inquit, et inenarrabilis sacramen-„ti mysterium est, quod praedicatoribus, quibus di-„ctum est: *Ite in orbem universum, et praedi-„cate Evangelium omni creaturae*, Marc. 16. v. „15. iisdem dictum prius fuerat: *In viam gentium „ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne „introieritis, sed potius ite ad oves, quae perierunt „domus Israel.* Matth. 10. v. 5. Quamvis enim „ad omnium hominum vocationem Evangelium di-„rigeretur, *omnesque Dominus salvos fieri, et in „agnitionem veritatis vellet venire;* 1. Tim. 2. „v. 4. non tamen sibi dispensationum suarum abs-„tulerat potestatem, ut aliter, quam occulto, iu-„stoque iudicio statuerat, consilii sui ordo decur-„reret. Unde locum non habent contumacium mur-„mura querelarum, quia quod Deus fieri voluit, „constat non aliter fieri debuisse, quam voluit. „Posteriore vero tempore, cum iam Dominus Je-„sus in Dei Patris gloria consideret, et praedica-„tores verbi suscepto negotio deservirent, volen-„tes Apostoli evangelizare verbum in Asia, *vetiti „sunt a Spiritu sancto, et disponentes ire in Bi-„thyniam, prohibiti sunt a Spiritu Jesu:* non uti-„que negata illis populis gratia, sed quantum ap-„paruit, retardata. Nam postmodum etiam apud „ipsos fides Christiana convaluit. Quae autem fue-„rit differendae vocationis causa, non claret: et

„tamen rei gestae docemur exemplo, quod inter „generalia vel promissa, vel opera, vel praecepta, „quaedam Deus a communibus excepta causis, oc„cultiore novit ordinare oratione: credo, ut inter„positis quibusdam obumbrationibus, ea, quae se„cretius micant, mirabilius innotescant, ne negli„gentior fiat acies de facilitate cernendi, et quo„dammodo dormitet adsvetis.“ „Ab hac ira, ait „S. Augustinus lib. 1. de Peccatorum meritis, et „remissione cap. 21. qua omnes sub peccato sunt, „de qua dicit Apostolus: *Fuimus enim et nos ali„quando naturaliter filii irae, sicut et ceteri,* Eph. „2. v. 3. nulla res liberat, nisi gratia Dei per Je„sum Christum Dominum nostrum. Haec gratia, cur „ad illum veniat, ad illum non veniat; occulta „esse causa potest, iniusta esse non potest. *Num„quid* enim *iniquitas apud Deum? absit.* Sed prius „sanctarum Scripturarum auctoritatibus colla sub„denda sunt, ut ad intellectum per fidem quisque „perveniat. Neque enim frustra dictum est, *Judi„cia tua sicut abyssus multa.* Psal. 35. v. 7. Cu„ius abyssi altitudinem veluti expavescens, excla„mat Apostolus: *O altitudo divitiarum sapientiae, „et scientiae Dei!* Rom. 11. v. 33. Praemiserat „quippe sententiam mirae profunditatis, dicens: „*Conclusit enim Deus omnes in incredulitate, ut „omnibus misereatur.* Cuius profunditatis veluti „horrore percussus, *O altitudo*, inquit, *divitia„rum sapientiae, et scientiae Dei! quam inscru„tabilia iudicia eius, et investigabiles viae eius?*

„*Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis* „*consiliarius illius fuit? aut quis prior dedit illi,* „*et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum,* „*et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula se-* „*culorum, amen.* Valde ergo parvum sensum ha- „bemus ad discutiendam iustitiam iudiciorum Dei; „ad discutiendam gratiam gratuitam, nullis meri- „tis praecedentibus non iniquam: quae non tam mo- „vet, cum praestatur indignis, quam cum aeque „indignis aliis denegatur."

8. *Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem.* Et civitatis et provinciae in Phrygia hoc nomen est, quemadmodum est apud Strabonem lib. 13. et Plinium lib. 5. cap. 30. 9. *Et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens: Transiens in Macedoniam adiuva nos.* 10. *Ut autem visum vidit, statim quaesivimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quod vocasset nos Deus evangelizare eis.* Hic omnium primo S. Lucas, qui, ut in praefatione demonstratum est, hunc librum scripsit, ita narrationem instituit, ut rebus, quae a Paulo gestae sunt, in sua persona coniunctim cum Paulo loquens, indicet se se his etiam affuisse, negotiorumque participem fuisse. Deinceps vero iam hac eadem ratione, iam de Paulo seorsim a se iterum, quemadmodum prius, pergit in hac sua narratione. Quod indicat Lucam iam cum Paulo fuisse, sociumque in re, quam de eo narrat, iam vero iterum abfuisse. 11. *Navigantes autem a Troade*

recto cursu venimus Samothraciam, et sequenti die Neapolim. Samothracia est insula in Aegaeo mari. Neapolis fuit civitas in confiniis Thraciae, et Macedoniae. 12. *Et inde Philippos, quae est prima partis Macedoniae civitas, colonia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot conferentes.* 13. *Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen, ubi videbatur oratio esse, et sedentes loquebamur mulieribus, quae convenerant.* Illius partis Macedoniae, qua spectabat haec regio Thraciam versus, Philippi, prima fuit civitas, eademque simul colonia Romanorum. Quamobrem infra versu 21. iidem Philippenses se se vocarunt Romanos. *Ubi videbatur oratio esse:* Graece: ἐνομίζετο, ubi *solebat* oratio esse, Syrus vertit, *domus precationis*, Arabs, *locus orationis.* Graece est: προσευχή: isto vero nomine, oratoria sua, et synagogas etiam Philo Judaeus appellat in sua legatione ad Caium imperatorem. *Et quaedam mulier, nomine Lydia, purpuraria* Graece: πορφυρόπωλις, purpurae venditrix, *civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit: cuius Dominus aperuit cor intendere his, quae dicebantur a Paulo.* 15. *Cum autem baptizata esset, et domus eius, deprecata est: dicens: Si iudicastis me fidelem Domino esse, introite domum meam, et manete; et coegit nos.* Thyatira fuit urbs in confiniis Mysiae, Lydiae, et Asiae minoris. Si iudicastis me fidelem Domino esse, hoc est, si me iudicastis dignam, cui fidei donum communicaretis. Neque enim Evangelio ad-

huc credidit, quae illud nondum audivit. Digna autem utique non ex se fuit, nec ipsa se dignam reputavit; sed dignatio intelligitur, qua ipsa affecta per illos sit.

16. *Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam, habentem spiritum pythonem, obviare nobis, quae quaestum magnum, praestabat dominis suis divinando.* De pythonibus iam Levitici 20. v. 27. et saepius alibi mentio facta, et unde is Spiritus divinatorius ita sit vocatus, demonstratum est. 17. *Haec subsecuta Paulum, et nos, clamabat, dicens: Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis.* 18. *Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, et conversus spiritui dixit: Praecipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora.* Mirum videri potest, malum spiritum adiuvare voluisse Pauli praedicationem, et Paulum ex ea re dolore affectum esse, quod puella illud clamans prosecuta eum esset. Si daemon, qui puellam insederat, hanc ad illud clamandum impulit sua voluntate, et non adactus vi Divina, non potest esse dubium, quin istud ex malignitate aliqua fecerit, et eiusmodi versutia, unde Paulo incommoditatem, et impedimentum praedicationis afferret. Est enim inimicus omnis iustitiae. Sua vero voluntate istud daemonem fecisse, ex eo intelligitur, quod secus eam rem Paulus graviter ferre non debuisset, si ille per Deum adactus, sua etiam testificatione, Pauli, sociorumque eius auctoritatem

in civitate commendasset. Est diabolus mendax, et pater mendacii. Joan. 8. v. 44. Quemadmodum ergo diabolum Christus, cum is divulgare ipsum, Filium Dei esse, per eos, quos obsederat, saepius voluisset, semper ad tacendum, obmutescendumque coegit, Marc. 1. v. 25. Luc. 4. v. 41. ita idem hoc etiam Paulus fecit, indignum ratus, suae praedicationi Evangelii illius admisceri testimonium, et quod non ignoraret, ipsum hoc, nisi maligne, fieri a daemone. Quorsum ergo istud faciebat daemon? Videtur haec in illo calliditas, atque astutia fuisse, ut sive Paulus illam ipsius testificationem admitteret, illasque per puellam voces toleraret, quibus ipse, sociique servi Dei praedicabantur, per quos via salutis civitati annunciaretur; sive repelleret, ad tacendumque redigeret, aut fortasse etiam, ut factum est, e puella daemonem eiiceret; is invidiam Paulo semper, et adversitatem conflaret. Ac ista altera ratione, quemadmodum reipsa ex eventu patuit, dum ii, quorum erat puella, propter iacturam sui quaestus totam adversus Paulum, eiusque socios civitatem concitarunt, daemon propositum suum fuit assecutus. Sin autem Paulus admisisset illius testificationem, ipseque residere in puella permissus esset, Paulumque decipere potuisset; ut huius testimònio ad populum uteretur, ipseque hac approbatione in existimatione Divinitatis apud populum confirmatus, id quod Paulus plantasset, et aedificasset, falsis suis, atque sublestis oraculis totum rursus posset evertere, atque Evange-

lii doctrinam a Paulo praedicatam apud eos, qui illam recepissent, corrumpere. Coram Sergio Paulo proconsule, supra capitis 13. versu 8. cum se daemon Paulo per Elymam magum aperta fronte opposuisset, turpem confusionem fuerat passus, dum Elymam Paulus caecitate affecisset, Divinique Spiritus virtutem, qua ipse erat instructus, supra illius praestigias vindicavisset. Itaque, quod ei res ibi minus bene processerat ista via; idcirco nunc apud Philippenses eamdem tentavit alia contraria.

19. *Videntes autem domini eius, quia exivit spes quaestus eorum, apprehendentes Paulum, et Silam, perduxerunt in forum ad principes,* 20. *et offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judaei,* 21. *et annunciant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani.* 22. *Et cucurrit plebs adversus eos, et magistratus scissis tunicis eorum iusserunt eos virgis caedi.* 23. *Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, praecipientes custodi, ut diligenter custodiret eos.* 24. *Qui cum tale praeceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno.* 25. *Media autem nocte Paulus, et Silas orantes, laudabant Deum: et audiebant eos, qui in custodia erant.* 26. *Subito vero terrae motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris, et statim aperta sunt omnia ostia, et universorum vincula soluta sunt.* 27. *Expergefactus autem custos car-*

ceris, et videns ianuas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, aestimans fugisse vinctos. 28. *Clamavit autem Paulus voce magna dicens: Nihil tibi malefeceris, universi enim hi sumus.* 29. *Petitoque lumine introgressus est, et tremefactus procidit Paulo, et Silae ad pedes,* 30. *et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam?* 31. *At illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum, et salvus eris tu, et domus tua.* Quid clarius istis Paulinis verbis? scripsit quidam ex primariis Helvetiae Confessionis ministris, et clari apud suos nominis, ad quemdam e nostratibus adversus meam interpretationem istorum Geneseos 15. v. 6. verborum: „Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam.“ Cum ego docuissem, Abrahamum non tantum per fidem, verum etiam ex operibus iustificatum esse. Ad quod vero probandum, atque demonstrandum hocce Jacobi cap. 2. v. 21. produxeram testimonium: „Abraham, pater noster, nonne „ex operibus iustificatus est, offerens filium suum „super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur „operibus illius, et ex operibus fides consummata „est, et suppleta est Scriptura dicens: Credidit „Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam, „et amicus Dei appellatus est. Videtis, quoniam „ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum?“ Quid clarius, pariter ego quaero, istis Jacobi verbis? Quid etiam clarius illis? „Quid „prodest fratres mei, si fidem quis dicat se habere,

„ opera autem non habeat? numquid poterit fides „ salvare eum?" Etiam illis quid clarius? „ Si autem frater, et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: „ Ite in pace, calefacimini, et saturamini; non dederitis autem eis, quae necessaria sunt corpori, „ quid proderit? Sic et fides, si non habeat opera, „ mortua est in semetipsa?" Sed et isto quid clarius? „ Tu credis, quoniam unus est Deus: bene facis: et daemones credunt, et contremiscunt." Cur ergo Paulus dicit: *Crede in Dominum Jesum, et salvus eris tu, et domus tua?* Certe quidem Paulus Jacobo non erit contrarius, quemadmodum nec Jacobus Paulo. Dum ergo dicit: *Crede in Dominum Jesum*, sequitur, ut fidem non intelligat eam, quam Jacobus vocat sine operibus mortuam, non fidem illam daemonum, sunt verba S. Augustini lib. de Fide, et Operibus cap. 16. cum et ipsi credant, et contremiscant; sed fidem, quae per charitatem operatur. Sic namque fidem, quaenam in Christo valeat, ipse etiam S. Paulus explicat: „ Nam in Christo Jesu, inquit, neque circumcisio „ aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae „ per charitatem operatur." Gal. 5. v. 6. Itaque, sic crede in Dominum Jesum, et eris salvus tu, et domus tua. Si ergo in Christo Jesu operosa tantummodo fides valet; consequens est, quamvis fidem aliquis habeat, salvum tamen etiam ipsius Pauli testimonio, et assevenatione non futurum. Dicit idem S. Paulus: „ An nescitis, quia iniqui regnum

„ Dei

„Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, „neque molles, neque masculorum concubitores, „neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque „maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.“ 1. Cor. 6. v. 9. Etiamne ergo fur, ebriosus, moechus, adulter, maledicus, tantum credat in Dominum Jesum, salvus erit? Equidem, ita ipsi credunt, et sentiunt, ut quamvis ista aliquis admiserit, et admittat, quandoquidem propter fidem iustitia, sicut ipsi dicunt, ipsi imputetur Christi, nihilominus, coopertus omnibus sceleribus, atque flagitiis, salutem adipiscatur. Isti vero, quibus hoc Paulus dixit, fideles erant, ad Corinthiorum enim Ecclesiam hanc epistolam dederat. Ergo, si per solam fidem, imputationemque iustitiae Christi salus obtineretur; Corinthii Dei regnum possessuri erant, etiam dum dediti omnibus illis criminibus fuerunt. Quod vero Paulus negat. In die autem iudicii, in quos illam suam sententiam laturus est Christus „Discedite a me, maledicti, in ignem „aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius: „esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; „sitivi, et non dedistis mihi potum?“ Matth. 25. v. 41. Propter fideine, vel bonorum operum defectum isti dicuntur damnandi? Sed quid plura argumenta confero? Nam cui illud non clarum est Jacobaeum: „Quid proderit, fratres mei, si fidem „quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?“ Et illud: „Vide-

„tis, quoniam ex operibus iustificatur homo, et „non ex fide tantum?" quid ei clarum esse potest?

Ursit etiam deinde suum propositum, de quo dixi scriptas esse illas literas, omni autem moderatione, et humanitate, quod agnoscendum est, adhuc ista ratione: Quod si non per solam fidem, verum etiam per bona opera salutem obtineremus; tunc hanc consequeremur partim ex gratia, partim ex merito, siquidem salus per fidem sit ex gratia; per opera sit ex merito. At vero Apostolum uni gratiae salutem adscribere; dicere enim ipsum: „Gratia „salvati estis." Eph. 2. v. 8. Unice per gratiam, nos salvari, omnis Catholicus debet confiteri, et agnoscere. Si non ita sapit, non ita credit, non est Catholicus. At vero nihilominus bonum illud caeleste, cuius exspectatione discipulos suos animavit ad ferendas persecutiones, mercedem vocat ipse Christus. „Beati estis, inquiebat ad discipulos Matth. „5. v. 11. cum maledixerint vobis, et persecuti „vos fuerint, et dixerint omne malum adversum „vos, mentientes propter me: gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis." Paulus quoque in Epistola ad Hebraeos cap. 10. v. 35. fideles ad tolerantiam adversitatum hortatur spe, et fiducia remunerationis. „Nam et vinctis, inquit, „compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum „cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere „meliorem, et manentem substantiam: nolite ita„que amittere confidentiam vestram, quae magnam „habet remunerationem." Idem Paulus in Epistola

„1. ad Corinthios cap. 3. v. 8. Unusquisque, in„quit, propriam mercedem accipiet secundum suum „laborem" atque ipse quam coronam a Deo in caelo exspectabat, iustitiae coronam vocavit, quam ei Deus redditurus sit iustus iudex. 2. Tim. 4. v. 8. Utrumque est in Scriptura: et per gratiam nos salvari, et mercedis nomine beatitatem caelestem esse nobis tribuendam. Quemadmodum ergo illud prius verum est, ita nec hoc alterum de mercede falsum esse potest. Sed neque inter haec duo, cum Divina auctoritate utrumque affirmetur, repugnantia aliqua, vel contradictio esse potest. Quomodo ergo consistit, ut per gratiam salvemur, si aeterna vita, tamquam merces pro praestito opere tribuitur? Quia Catholice credimus ipsa etiam nostra opera bona, quibus Deus mercedem rependit, fieri a nobis per Dei gratiam, et esse Dei donum. „Deus „cum coronat nostra merita, ait S. Augustinus „Epist. 105. quid aliud coronat, quam sua dona?" „Vobis donatum est, ait S. Paulus ad Philippenses „cap. 1. v. 29. pro Christo, non solum ut in eum „credatis, sed ut etiam pro illo patiamini." Sicut fidem, ita etiam opus patientiae pro Christo, donum vocat. Dum ergo per solam Dei gratiam dicimur salvari, excluduntur omnia nostra opera, quae fecerimus sine illius gtatia, atque dono, tamquam virtute nostra, quae omnino nulla sunt, nec esse possunt. „Sine me enim, dicit Christus, nihil po„testis facere" Joan. 15. v. 5. et Paulus 1. ad Corinthios 4. v. 7. „Quid autem habes, quod non

„accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, qua-„si non acceperis?“ Quod sane utrumque expressit idem S. Paulus in eodem illo loco, ubi nos dixit gratia salvari excludendo omne opus, quod ex nobis sit, ob quod salvaremur, et indicando opera, in quibus a Deo per Christum positi simus, ut in iis ambulemus. „Gratia, inquit, salvati estis per „fidem. Et hoc non ex vobis, Dei enim donum „est. Non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius „enim sumus factura, creati in Christo Jesu in „operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in il-„lis ambulemus.“ Eph. 2. v. 8. Dicit eum, qui salvatur ex fide, salvari ex gratia. Numquid credere, non est eius, qui credit, aliqua etiam actio, aliquod opus? Si ergo, qui ex fide salvatur, quamvis haec fides etiam ipsius sit actio, atque opus; tamen salvatur ex gratia: non minus etiam, qui ex bonis operibus salvatur, tamen etiam salvatur ex gratia, qua videlicet tam fidei opus, quam alia pietatis opera sunt ei, qui salvatur, a Deo per gratiam data, atque donata.

Optabat Vir ille, uti ego omisso isto Interpretationis meae labore, studium meum omne vertissem potius ad Scripturae vindicandam Divinam auctoritatem adversus eos, qui excusso revelationis fraeno adversus revelatam Religionem modo bachantur: huc ad istas Religionis pestes profligandas, et debellandas oportere nos una cum ipsis omnes nostros conatus consociare, nec quoad se nobiscum in Religione uniendos sibi isto aliquod aptius, pro-

cliviusque tempus videri. Et haec animi declaratio erga hanc Religionis inter nos unionem, et illud studium adversus hanc colluviem, quae nisi fuerit coercita, atque repressa, semper latius serpet, hominum nullius Religionis, non potest non omni laude esse dignissimum, atque aestimatione. Sed me ad hunc laborem ipsa muneris mei ratio compulit. Nam ut Scripturam interpreter, officium mihi habeo impositum. Statuebam igitur, et nunc statuo, me isto munere non aliter recte functurum esse, atque satisfacturum, si cum a me exigatur, ut totam Scripturam explanem, illa illius loca intacta reliquissem, quae nunc maxime controvertuntur: quod quidem non puto, ut apud ipsos quoque ii, qui Scripturae interpretum munus gerunt, aliter faciant: totusque meus labor eo tantum dirigitur, ut nostros doceam, atque in eo, quod ipsis tenendum est, instruam, atque confirmem, non ullius alterius cuiuscumque rei gratia. Et tamen, nisi idem sapiamus, idipsumque sentiamus, uniri aliter non possumus. Est enim una fides. Eph. 4. v. 5. In hac Ecclesia, quam Christus fundavit, quaerenda est haec una fides. Adversus Ecclesiam, promisit Christus, non praevalituras inferorum portas. Ergo nec fides haec deficere potuit. Nos per traditionem continuam Patrum docemus, eamdem esse nostram nunc, quae fuit Ecclesiae in primis seculis, fidem. Nec proinde unionis alia ratio est, quam utinam Deus sua gratia largiatur, et pro qua Deum et ego oro, et orant omnes alii, quicumque sunt pii Catholici,

quam ut formam, quam sibi per reformationem assumpserunt, deponant, seque ad unam, et eam, quae semper fuit vetus in Ecclesia, fidei, Religionisque nobiscum formam componant. Hoc si fieret, tum quidem istas etiam faeces, quae nullius Religionis sunt, sperarem facillime dissipatum iri. Neque enim aliunde natae sunt, et tantopere creverunt, quam quod ii, qui ab Ecclesiae, et unius Religionis Catholicae unitate recesserunt, seipsos deinde per religionis continuas et mutationes, et assiduas velitationes, atque pugnas discindendo ad dubitandum de omnibus, suoque tantum ingenio metiendam Religionem latissimum campum aperuerint. Nam ex hac incertitudine, quid tenendum esset secundum revelatam Religionem exorti sunt, et maxime in Anglia, qui mallent nihil credere, omnemque revelatae Religionis fidem repudiaverunt. Haec est origo istius naturalismi, et libertinismi, qui modo grassatur: nec comprimetur, quamdiu illa radix non fuerit evulsa, unde libertas illa pullulavit effraenate de Religione sentiendi.

Idem clarissimus vir dolere sibi ostendit, quod ego Protestantibus attribuissem, docere ipsos, Scripturam sacram esse claram, et perspicuam: neminem vero umquam Protestantium docuisse, Scripturam sacram in complexu sumptam, esse claram, et perspicuam, sed tantum in credendis, et agendis. Atqui hoc ipsum ego etiam intelligebam, et intelligo. Neque enim de aliis rebus, quae ad fidem, et ad rationem agendi, moresque non referuntur,

etiamsi ipsi in intelligentia sacrae Scripturae nobiscum non convenirent, aliqua existeret fidei, et Religionis separatio, cum inter ipsos Catholicos in eiusmodi quaestionibus liberum sit crisim, atque iudicium suum sequi. Nihil ergo a me dictum est, quod non ultro ipse agnosceret. Et quid tam perniciosum fuit, et tam eo deducens, ut via aperiretur sentiendi cuique in Scriptura sacra pro suo ingenio, quam cum principium istud fuisset ab ipsis constitutum, dum reformationem suam incoepissent, esse Scripturam sacram in credendis, et agendis ubique claram, atque perspicuam? Hinc enim consequentiam intulerunt, de fidei controversiis, quae tum ab ipsis sunt excitatae, nullum recognoscere, nec admittere ipsos oportere iudicem: nec ad Ecclesiam istud pertinere iudicium, cuiusque auctoritatem ista ratione excusserunt.

Scripturam sacram in credendis, et in agendis professus est claram esse, ac perspicuam. Ergo illud quoque intelligitur una confessus esse, in Scriptura alia esse, quae ad credendum pertineant, alia, quae ad agendum, atque ex his utriusque generis documentis eam constare. Nec vero etiam dubium est, quin ea, quae per verbum Dei in Scriptura sacra nobis proponuntur, ita observanda nobis sint, ut si illa praetergrediamur, adversus Dei verbum, eiusque voluntatem, quam nobis declaravit, agamus, nec ei illum cultum, quem a nobis exigit, praestemus, et exhibeamus, sed potius transgrediendo illius verba eum offendamus. Sunt autem in

Scriptura sacra ipsius etiam confessione, alia credenda, alia agenda. Ergo etiam per Dei Verbum in Scriptura non tantum fides a nobis exigitur, verum etiam opera. Nam quae aliquis agenda habet, haec certe sunt opera. Ita contrarium vel ex ipsius verbis consequitur illi, quod ex illo Paulino adstruxit: *Crede in Dominum Jesum, et salvus eris tu, et domus tua*, per solam fidem salutem obtenturos esse nos, et non etiam per opera. Huc ad istum locum respiciebam, cum antea semel, aut iterum ostendissem me, de fide argumentum, quaenam intelligeretur esse salutifera, esse adhuc tractaturum. Sed et deinceps adhuc offerent se eiusmodi loca, in quibus per fidem iustificari dicimur sine operibus legis, Christumque induere, non habere nostram iustitiam: quae, quemadmodum illi in suam partem trahunt; ita mihi non minus verus, sincerusque illorum locorum sensus erit declarandus, et vindicandus.

32. *Et locuti sunt ei verbum Domini cum omnibus, qui erant in domo eius.* 33. *Et tollens eos in illa hora noctis lavit plagas eorum, et baptizatus est ipse, et omnis domus eius continuo.* 34. *Cumque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, et laetatus est cum omni domo sua, credens Deo.* 35. *Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines istos.* 36. *Nunciavit autem custos carceris verba haec Paulo: Quia miserunt magistratus, ut dimittamini. Nunc igitur, exeuntes, ite in pace.*

37. Paulus autem dixit eis: Caesos nos publice,
indemnatos, homines Romanos miserunt in car-
cerem, et nunc occulte nos eiiciunt: non ita, sed
veniant, 38. et ipsi nos eiiciant. Nunciaverunt
autem magistratibus lictores verba haec. Timue-
runtque audito, quod Romani essent. 39. Et ve-
nientes deprecati sunt eos, et educentes rogabant,
ut egrederentur de urbe. 40. Exeuntes autem de
carcere, introierunt ad Lydiam, et visis fratri-
bus consolati sunt eos, et profecti sunt.

CAPVT XVII.

Amphipolim, Apolloniam, Thessalonicam, Beroeam, deinde Athenas Paulus venit, et Evangelium praedicat. In Areopago Dionysium, mulierem Damarim cum pluribus aliis ad fidem convertit.

---

1. CVM autem perambulassent Amphipolim, et
Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat
synagoga Judaeorum. Omnes hae, civitates Mace-
doniae fuerunt. 2. Secundum consvetudinem autem
Paulus introivit ad eos, et per sabbata tria disse-
rebat eis de Scripturis, 3. adaperiens, et insinuans,
quia Christum oportuit pati, et resurgere a mor-
tuis, et quia hic est Jesus Christus, quem ego an-
nuncio vobis. 4. Et quidam ex eis crediderunt, et
adiuncti sunt Paulo, et Silae, et de colentibus,
gentilibusque multitudo magna, et mulieres nobiles
non paucae. Et de colentibus, gentilibusque multi-

tudo magna Graece: τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος: *et religiosorum Graecorum multitudo magna.* Intelliguntur ergo hi, origine quidem Graeci, et gentiles, sed Judaeorum proselyti, tantoque magis, quod cum haec Pauli praedicatio in synagoga Judaeorum sit facta, ii, qui ibi conversi sunt, fidemque suscepissent, intelligantur eiusmodi fuisse, qui hanc synagogam etiam frequentaverint, et proinde in communione Religionis cum Judaeis fuerint. 5. *Zelantes autem Judaei, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, et turba facta, concitaverunt civitatem, et assistentes domui Jasonis quaerebant eos producere in populum.* Nempe apud hunc Jasonem Paulus in hospitio fuerat. Cognatione etiam aliqua fuisse coniunctum Paulo, intelligitur ex epistola ad Romanos 16. v. 21. ubi illum, cognatum suum vocat. 6. *Et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem, et quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes: Quoniam hi, qui urbem concitant, et huc venerunt, 7. quos suscepit Jason: et hi omnes contra decreta caesaris faciunt, regem alium dicentes esse Jesum.* Paulus Dominum nostrum Jesum praedicaverat esse Christum. Idem vero Christus futurus etiam erat Israelitici populi Rex, sed cuius regnum tamen non de hoc mundo esset, contra quam Judaei sibi persvasum haberent, et nunc habeant persvasum. Hinc ergo accusandi ansam arripuerunt, quasi ista praedicatione Evangelii seditiosa insurrectio adversus caesarem doceretur. 8. *Concitaverunt autem ple-*

bem, et principes civitatis audientes haec. 9. *Et accepta satisfactione a Jasone, et a ceteris, dimiserunt eos.* Nimirum Jason, ceterique producti ad magistratus, docuerunt istud a Paulo, et Sila non esse factum, nec aliquid molitos adversus caesaris potestatem: atque ita Jason, et qui tracti sunt ad magistratus, libere iterum dimissi sunt.

10. *Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum, et Silam in Beroeam.* Etiam haec fuit civitas in Macedonia. *Qui cum venissent, in synagogam Judaeorum introierunt.* 11. *Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicae, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent.* Syrus: *Erant enim nobiliores Judaei, qui illic erant, Judaeis illis, qui erant Thessalonicae, et audiebant ab eis sermonem quotidie hilariter, dum discuterent e Scripturis, num haec ita se haberent.* 12. *Et multi quidem crediderunt ex eis, et mulierum gentilium honestarum, et viri non pauci.* 13. *Cum autem cognovissent in Thessalonica Judaei, quia et Beroeae praedicatum est a Paulo verbum Dei; venerunt et illuc commoventes, et turbantes multitudinem.* 14. *Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, ut iret usque ad mare. Silas autem, et Timotheus remanserunt ibi.* 15. *Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque Athenas, et accepto mandato ab eo ad Silam, et Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum, profecti sunt.* 16. *Paulus autem cum Athenis eos exspectaret;*

incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriae deditam civitatem. 17. *Disputabat igitur in synagoga cum Judaeis, et colentibus* (supra versu 4.) *et in foro per omnes dies ad eos, qui aderant.* 18. *Quidam autem Epicurei, et Stoici philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere? Alii vero: Novorum daemoniorum videtur annunciator esse, quia Jesum, et resurrectionem annunciabat eis.* Epicurei summum bonum in voluptate constituerunt, Stoici in virtute. Illorum secta a magistro et auctore suo Epicuro, Stoici vero dicti sunt a στοὰ, quod *porticum* significat, ubi Athenis princeps illorum Zeno Citticus scholam suam habuit. *Seminiverbius*, Graece σπερμολόγος, significat eum, qui semina loquitur. Est autem metaphora in hoc vocabulo a seminibus, quae inter seminandum disperguntur: et ad quem modum etiam Paulus sua verba inani loquacitate disseminaret. Quamobrem Graecis σπερμολόγος pro blaterone, et nugas loquente usurpatur. Daemon est Graecum vocabulum, quod Eusebius lib. 4. Praeparat. Evang. cap. 3. derivat a Graeca voce δειμαίνειν, quod significat percellere, metum incutere. Significat daemon iisdem Graecis genium, spiritum, Deum. Quasi ergo novum aliquem deum ipsis afferret Paulus, ipsum daemoniorum annunciatorem esse dicebant.

19. *Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire, quae est haec nova, quae a te dicitur, doctrina?* Areopagus si-

gnificat Martium collem, vel vicum. Vicus vero rursus etiam plateam significat. Fuit vero locus Athenis, ubi iudicia celebrabantur in templo Martis. Huc igitur deductus est Paulus, ut ibi rationem doctrinae suae exprometet. 20. *Nova enim quaedam infers auribus nostris. Volumus ergo scire, quidnam velint haec esse.* 21. *Athenienses autem omnes, et advenae hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.* 22. *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia, quasi superstitiosiores vos video.* 23. *Praeteriens enim, et videns simulacra vestra, iuveni et aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.* Quasi superstitiosiores, Graece: ὡς δεισιδαιμονεστέρους: et significantur ii, qui magis metuunt deos. „Athenienses, ait S. Chrysostomus ho„mil. 38. in Acta Ap. quia per multa tempora ac„ceperant deos, etiam extraneos, nempe templum „Minervae, Pana, aliosque aliunde, timentes, ne „forte quis alius nondum notus sibi esset, qui ta„men coleretur alibi; ad maiorem securitatem huic „quoque aram erexerunt. Quia vero non erat mani„festus Deus, inscriptum erat, *Ignoto Deo.* Hunc „ergo Jesum Christum esse Paulus dicit, imo po„tius universorum Deum.“ Dicebat Paulus, hoc se Atheniensibus annunciare, quod ignorantes coluerant. Certe autem verum Deum ipsis annunciavit, ergo hunc quoque ignorantes in illa ara, quam ignoto Deo inscripserunt, coluerunt. Non contigerunt

autem mente verum Deum, alioquin non sibi ignotum Deum coluissent. Qua ratione igitur hoc inter se cohaeret, ut verum Deum, quem Paulus ipsis annunciavit, coluerint, et tamen hunc ignoraverint? Nempe, erat altare illud sic ab ipsis exstructum, ut cum plurimos deos iam assumpsissent; si tamen adhuc aliquis superesset, quem non assumpserant, Deus, hunc se se velle in illo altari colere, profiterentur. Cum vero omnia illa deorum simulacra sibi assumpsissent Divino honore colenda, nec in his adhuc esset verus Deus; vellent autem illum insuper colere, qui ipsis restaret colendus Deus: neque vero Deus alter esset, nisi unus verus Deus; sequebatur, ut ad hunc etiam ignorantibus ipsis, et non advertentibus referretur illa ara, quam ignoto Deo exstruxerunt.

24. *Deus, qui fecit mundum, et omnia, quae in eo sunt, hic caeli, et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat.* „Viden, ait S. „Chrysostomus homilia eadem, quomodo paulatim philosophiam inducit, quomodo irridet gentilium errorem?“ Nimirum, excutit ex Divinitatis honore ceteros ipsorum deos, quos praeter ignotum illum sibi Deum coluerunt, et ostendit, quis unus sit Deus, et unice ipsis colendus. 25. *Nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia.* Sacrificio et in veteri lege, et iam etiam prius colebatur Deus, et nunc colitur, manibusque illud exhibebatur, et exhibetur. Neque tamen unquam ali-

quid ei oblatum est, quasi eo indiguisset. Ista ergo ratione, quasi indigenti, nihil ei praestatur, cum potius omnia, quae vivunt, et existunt, vitam, atque spiritum, et omnia ab illo habeant. Non ergo negat S. Paulus Deum etiam manibus humanis coli, sic enim negarentur illa ei esse exhibenda obsequia, quae corpore fiunt, externusque cultus; quem tamen ei exhiberi oportere, ad Joannis cap. 4. v. 24. demonstratum est; sed tantummodo negat eum a nobis sic accipere obsequia, quasi istis ei opus, et non absque his in seipso beatissimus esset. 26. *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum*, 27. *quaerere Deum*, ut quaererent Deum: *si forte attrectent eum* Graece, ψηλαφήσειαν, *palpando apprehendant*: est verbum desumptum ab iis, qui in tenebris palpando incedunt, notaturque hominum caecitas, qui ex his, quae in mundo existunt, quaeque omnia Deum, a quo facta sint, loquuntur; tamen Deum, qui universa haec condidit, non agnoverint, sed alii aliud pro Deo coluerint; *aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum.* 28. *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus*: siquidem Deus sua immensitate universa impleat: *sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus.* Arati poetae hocce est testimonium, qui in Graecia anno urbis Romae conditae 472. vixit. Dicere vero voluit, originem nos a Deo accepisse. In versu 26. *Fecitque ex uno omne*

genus hominum, Graece est: ἐξ ἑνὸς ἅιματος, *ex uno sangvine:* quemadmodum etiam Syrus, atque Arabs istud vertit. In sangvine autem est principium generationis, et propagationis, quemadmodum etiam Joannis cap. 1. v. 13. est: „Qui non „ex sangvinibus, neque ex voluntate carnis, neque „ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.“ Unus igitur sangvis positus est pro unius hominis sangvine, a quo omnes originem ducimus. 29. *Genus ergo cum simus Dei, non debemus aestimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturae artis, et cogitationis hominis Divinum esse simile.* 30. *Et tempora quidem huius ignorantiae despiciens.* (Graece: ὑπεριδὼν, dissimulans) *Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant.* 31. *Eo, quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in aequitate in Viro, in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis:* Graece: ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε, *per Virum, quem definivit*, constituit, *fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis.* 32. *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.* 33. *Sic Paulus exivit de medio eorum.* 34. *Quidam viri, adhaerentes ei, crediderunt. In quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis.*



CAPVT

CAPVT XVIII.

Paulus Athenis Corinthum profectus super incredulos Judaeos vestes suas excutit, et se ad praedicandum gentibus vertit. Crispus archisynagogus aliique multi Corinthii fidem amplectuntur. Ad Gallionis proconsulis tribunal raptatur Paulus, qui de eo exercere iudicium renuit. Redit in Syriam, ac inde venit Ephesum, tum Phrygiam peragrat, et Galaticam regionem. Apollo Alexandrinus Judaeus, Ephesi, et in Achaja ex Scripturis convincit Judaeos Jesum esse Messiam.

1. *POST haec egressus ab Athenis, venit Corinthum,* 2. *et inveniens quemdam Judaeum, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem eius, eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Judaeos a Roma, accessit ad eos.* Corinthus fuit Achajae, et una ex nobilioribus totius Graeciae urbs. Huius expulsionis etiam Svetonius meminit in Claudio imperatore. „Judaeos, inquit, impulsore Chresto assiduae tumultuantes „Roma expulit.“ Nempe Judaei, qui Romae habitarunt, cum ipsis ibi quoque Evangelium fuisset annunciatum, atque huic, quemadmodum ubique alibi se se opposuissent; turbas has excitarunt, et Christianos fortasse etiam ibi eo nomine in invidiam apud Romanos traxerunt, quasi haec praedicatio de Christo Messia, contraria esset eorum imperio, qui de Christo nullam aliam, quam munda-

nae celsitatis haberent opinionem. Hac igitur de causa Judaeos omnes Roma imperator abire iussit. Itaque Christiani quoque ii, qui erant origine Judaei, discedere coacti sunt. 3. *Et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur. Erant autem scenofactoriae artis.* 4. *Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu, svadebatque Judaeis, et Graecis.* 5. *Cum venissent autem de Macedonia Silas, et Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Judaeis esse Christum Jesum.* 6. *Contradicentibus autem eis, et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: sangvis vester super caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad gentes vadam.* Hac phrasi: Sangvis tuus erit super caput tuum solet irrogatio capitalis supplicii passim in Scriptura designari. Nam cuius sangvis in proprium caput exilit; hoc intelligitur debere esse resectum. Qua vero eadem phrasi Paulus Judaeorum pervicacium exitium sempiternum designavit. A quo illorum sangvine, atque exitio mundum se se declaravit, qui illius causa nôn sit, utpote quibus minime defuerit in annunciando Evangelio, et cui se propria tantum pervicacia opponerent. 7. *Et migrans inde intravit in domum nomine Titi Justi, colentis Deum, cuius domus erat coniuncta synagogae.* Non ab Aquila, et Priscilla se Paulus seiunxit, erant enim hi fideles, et ipsum postea, ut subsequetur isto adhuc capite, etiam in peregrinatione sunt comitati; sed cum antea Paulus, itemque Aquila et Pri-

scilla hospitio fuissent usi cuiusdam Judaei; hinc deinde Paulus, et omnes Christiani, qui in eodem erant contubernio cum ipso, se se alio transtulerint.

8. *Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua, et multi Corinthiorum audientes credebant, et baptizabantur.* 9. *Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, et ne taceas.* 10. *Propter quod ego sum tecum, et nemo apponetur tibi, ut noceat te.* Clarius poterat verti: Propterea, quod (διότι) ego sim tecum, et nemo adorietur te, ut noceat tibi (καὶ οὐδεὶς ἐπεθήσεται σοι τοῦ κακῶσαι σε) *quoniam populus est mihi multus in hac civitate.* 11. *Sedit autem ibi annum, et sex menses docens apud eos verbum Dei.* 12. *Gallione autem proconsule Achajae insurrexerunt uno animo Judaei in Paulum, et adduxerunt eum ad tribunal.* 13. *dicentes: Quia contra legem hic persvadet hominibus colere Deum.* 14. *Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judaeos: Siquidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o viri Judaei, recte vos sustinerem:* 15. *si vero quaestiones sunt de verbo, et nominibus, et lege vestra, vos ipsi videritis. Judex ego horum nolo esse.* 16. *Et minavit* (Graece: ἀπήλασεν, abegit) *eos a tribunali.* 17. *Apprehendentes autem omnes Sosthenen, principem synagogae, percutiebant eum ante tribunal, et nihil eorum Gallioni curae erat.* Superius versu octavo Crispus commemorabatur archisynagogus, sed qui ad praedicationem Pauli fidem susceperit,

Hic igitur Sosthenes, iam in eius locum debuit esse suffectus: cumque hunc Judaei ante tribunal proconsulis percusserint; oportuit hunc quoque vel fidem Christi iam suscipere, vel saltem aliquid in Pauli favorem, atque patrocinium coram proconsule loqui, quo Judaeos in se concitaverit. Secus enim, si cum ceteris Judaeis idem contra Paulum sensisset; hi adversus eum non consurrexissent. Fuit vero Sosthenes sive iam ante hunc casum, vel certe post, factus Christianus, quem deinde Paulus socium, et comitem habuit suae Evangelicae peregrinationis, et cuius nomen suo nomini adiunxit in prima Epistola, quam scripsit Corinthiis. Huius Sosthenis fit etiam mentio in Martyrologio ad diem 28. Novembris.

18. *Paulus vero, cum adhuc sustinuisset dies, multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam (et cum eo Priscilla, et Aquila) qui sibi totonderat in Cenchris caput. Habebat enim votum.* Cenchrae portus fuit Corinthi. Dubium vero est, et anceps, Paulusne intelligendus sit, vel Aquila, qui sibi totonderit caput. Attamen magis ad Paulum referri inde fit perspicuum, quod in Graeco verbum sit in participio temporis praeteriti: κειράμενος *tonsus*, quod propter seriem narrationis magis referendum sit ad Paulum, siquidem de illo fiat narratio, ac deinde de eodem, qui tonsus sit, continuetur eadem narratio, devenisse eum in Ephesum, quod citra dubitationem omnem de Paulo est. Quamobrem in Editionibus Romanis illud de Priscilla, et

Aquila, quod cum Paulo iverint ad iter, parenthesi inclusum separatur ab reliqua narratione. Rasura capitis fuit quaedam pars pertinens ad Nazaraeatus votum, quo se ad certum tempus Deo consecrabant abstinendo etiam a vino, quemadmodum est Numerorum capite 6. v. 2. In principio autem, et conclusione temporis, quo illud votum durabat, ii, qui illud conceperant, radebantur. Quod de rasura initiatis Nazaraeatus perspicuum fit ex eo, quod si coram eiusmodi Nazaraeo quispiam deinde de improviso mortuus fuisset, isque a mortuo immunditiem contraxisset; idem iste Nazaraeus suum Nazaraeatum denuo cum rasura suorum capillorum inchoare debuerit. Num. 6. v. 9. Inchoaverat ergo hic in Cenchris Paulus hocce suum votum. Nam illius conclusio fieri debebat in templo, siquidem sacrificia quaedam essent exhibenda, quae offerri nisi in templo et per sacerdotes non poterant.

19. *Devenitque Ephesum et illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam disputabat cum Judaeis.* 20. *Rogantibus autem eis, ut ampliori tempore maneret, non consensit.* 21. *Sed valefaciens, et dicens: Iterum revertar ad vos, Deo volente, profectus est ab Epheso.* 22. *Et descendens Caesaream adscendit, et salutavit Ecclesiam, et descendit Antiochiam.* In versu 21. in Graeco reperitur aliquid additum, quod non existit in versione Latina. Sic vero ille versiculus totus est: *Sed valedixit eis dicens: Oportet me omnino festum veniens facere in Jerosolyma* (δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν

τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα.) *Iterum autem revertar ad vos, Deo volente: et profectus est ab Epheso.* Etiam Syrus, atque Arabs hocce modo legit: atque sic est etiam apud S. Chrysostomum in homilia 40. in Acta Apostolorum. Atque ita etiam res, quae narratur, magis inter se, et totum hocce iter Pauli cohaeret. Nam secundum textum Latinum Epheso venisset Caesaream, et Caesarea Antiochiam inverso itinere. Nam cum Caesaream Lucas, qui Acta scripsit, simpliciter posuerit, quin addiderit provinciam, cuius esset Caesarea, siquidem hae plures fuerint, sicut fecit de Antiochia Pisidiae, distinctionis gratia ab Antiochia, quae erat in Syria; Act. 13. v. 14. sequitur, ut haec Caesarea intelligatur ea, quae fuit in Judaea, cuiusque iam supra mentio cap. 10. v. 1. cap. 11. v. 19. et saepius adhuc fiet. At vero, ubi Paulus Jerosolymis fuisset, omnino sic deinde ferebat iter, ut antequam Antiochiam veniret, per Caesaream transiret. Intelligitur ergo Paulus maritimo itinere recta profectus esse Epheso Jerosolymam; postea vero terra ivisse in Syriam ulterioresque, quemadmodum sequetur, regiones. Festi vero generali nomine Pascha intelligitur, tamquam omnium praecipuum. Qua ratione pascha Joannis cap. 5. v. 1. et saepius alibi ab Evangelistis etiam designatur.

23. *Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, et Phrygiam, confirmans omnes discipulos.* 24. *Judaeus autem quidam Apollo nomine, Alexandri-*

nus genere, vir eloquens devenit Ephesum, potens in Scripturis. 25. *Hic erat edoctus viam Domini, et fervens spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea, quae sunt Jesu sciens tantum baptisma Joannis.* Subsequente versu est huic a Priscilla, et Aquila esse diligentius expositam viam Domini. Quod ergo iam nunc edoctus dicitur fuisse viam Domini, de rudiore adhuc cognitione accipiendum est, et in qua magis deinde ab Aquila, et Priscilla sit excultus. Qui vero viam Domini iam fuerat edoctus; is profecto plus iam etiam novit, quam solum baptisma Joannis. Dum ergo tantum baptisma Joannis scivisse dicitur; scire istud non refertur ad cognitionem, quae mente comprehenditur, sed ad ipsum usum, quique solum baptismum Joannis adhuc susceperit, nondum autem tinctus fuerit baptismo Christi. 26. *Hic ergo coepit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla, et Aquila, assumpserunt eum, et diligentius exposuerunt ei viam Domini.* 27. *Cum autem vellet ire Achajam, exhortari fratres, scripserunt discipulis, ut susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his, qui crediderant.* 28. *Vehementer enim Judaeos revincebat publice, ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum.*

CAPVT XIX.

Paulus Ephesum revertens discipulosque quosdam reperiens baptismate Joannis tantummodo adhuc tinctos, baptizat, et manuum impositione Spiritum sanctum illis dat. Docet in synagoga tres menses, ac deinde in schola cuiusdam Tyranni biennium. Scevae principis sacerdotum filii in nomine Jesu exorcizantes male mulctantur a daemone. Demetrius artifex aerarius adversus Paulum civitatem concitat.

1. *FACTUM est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos.*
2. Dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque, si Spiritus sanctus est, audivimus. 3. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate. 4. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum. 5. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. 6. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur lingvis, et prophetabant. 7. Erant autem omnes viri fere duodecim. 8. Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, et svadens de regno Dei. 9. Cum autem quidam indurarentur, et non crederent maledicentes viam

Domini coram multitudine, discendes ab eis segregavit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdam. Tyrannus in Graeca lingva regem, et principem significat, et proprie eum, qui acerbe imperat: deinde latius sumptum fuit pro quocumque alio etiam rege, et potente. Fuit vero idem nomen quibusdam etiam proprium, ut est apud Suidam, et Strabonem. Hic non esse nomen proprium, declarat pronomen τινός, *cuiusdam.* Schola itidem est vocabulum Graecum, et significat, stricte sumptum, otium, et vacuitatem a molestia, et labore. Quamobrem pro ludo etiam literario, et generatim pro omni recessu, et loco a tumultu libero usurpatur. In hac ultima significatione est hic acceptum hocce vocabulum. Quare viri cuiusdam potentioris intelligitur solitarius aliquis locus, ubi Paulus de Religione disserebat.

10. *Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judaei, atque gentiles.* Cum esset celeberrima totius Asiae civitas Ephesus, aliunde ex tota Asia homines etiam eo conveniebant, et fama excitati scholam illam Pauli adibant. Ista igitur ratione ex una illa Ephesina schola Evangelii notitia percrebuit per totam Asiam. 11. *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli,* 12. *ita ut etiam super langvidos deferrentur a corpore eius sudaria, et semicinctia, et secedebant ab eis langvores, et spiritus nequam egrediebantur.* Sudaria sunt linteola ad abstergendos

e facie humores, et sudorem. Semicinctia intelliguntur vel cingulorum partes, vel vero eiusmodi genera cingulorum, vestiumque, quae corpori alligatae, totum illud non ambirent.

13. *Tentaverunt autem quidam, et de circumeuntibus Judaeis exorcistis, invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes: Adiuro vos per Jesum, quem Paulus praedicat.* 14. *Erant autem quidam Judaei Scevae principis sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant.* In pontificum catalogis, et recensionibus nuspiam nomen alicuius Scevae occurrit. Vel igitur fuit aliquis binomius, et hoc alterum illius nomen fuit, quod ab illis memoratum non est; vel princeps sacerdotum, Graece, ἀρχιερεὺς, dictus hic Sceva est, quod ex eiusmodi familia, ex qua aliqui fuerint summi sacerdotes, genus duxerit. 15. *Respondens autem spiritus nequam, dixit eis: Jesum novi, et Paulum scio: vos autem qui estis?* 16. *Et insiliens in eos homo, in quo erat daemonium pessimum, et dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi, et vulnerati effugerent de domo illa.* Ubi Latinus posuit pronomen: *amborum*, in Graeco est ἀυτῶν, *eorum*. Sic etiam legit S. Chrysostomus homilia 41. in in Acta Ap. et sic est etiam in versione Syriaca, et Arabica: et diserte antecessit, septem fuisse Scevae filios, qui istud facere tentaverint. 17. *Hoc autem notum factum est omnibus Judaeis, atque gentilibus, qui habitabant Ephesi, et cecidit timor*

super omnes illos, et magnificabatur nomen Domini Jesu.

18. *Multique credentium veniebant confitentes, et annunciantes actus suos.* Actus suos, Graece: τὰς πράξεις αὐτῶν: *facta sua*, sive quae fecissent. Cuiusnam vero modi facta sua hi multi credentium confitebantur, annunciabantque? Lutherus vertit miracula; quae quasi fideles a se patrata annunciaverint. Catholici Theologi, et Interpretes malos actus, atque peccata intelligunt, quae isti, cum iam ad fidem fuissent conversi, et baptizati, ubi ea postea commisissent, exposuerint, atque confessi sint. Atque isto modo Grotius quoque, quamvis assecla Helveticae Confessionis, de peccatis intellexit. Sic enim loquitur in Commentario ad hunc locum: „Venerunt ad Apostolos „confitentes, quam male vitam hactenus traduxissent, commemoratis etiam criminibus graviori„bus:" atque hunc eumdem locum tractans ad Matthaei cap. 3. versum 6. accessisse etiam specialem detestationem peccatorum ex eo, inquit, intelligi datur, quod voci ἐξομολογέμενοι *confitentes*, addatur ἀναγγέλλοντες, *annunciantes*, nisi quod non omnium criminum deinde hanc putet confessionem fuisse, sed tantum eorum, ut ipse dicit, quae Deum praecipue irritarent. Ipsius etiam haec sunt verba in Commentario ad illum Matthaei, quem modo dixeram, locum. Ad hunc modum istud etiam Syrus luculentissime vertit ponendo vocabulum, *Sachluth*, quod *offensas* significat. Idem

vero intelligitur ex ipsa etiam hac narratione. Nam, ubi Lucas modo generale nomen: *Actus suos* posuisset; deinde eamdem rem narrando prosequens, speciatim memorat, quemadmodum est versu subsequenti, fuisse quosdam, qui cum curiosa fuissent sectati, ipsos etiam suos libros, unde istud fecerant, attulisse, atque combussisse. Nam sicubi quispiam loquitur primum generatim de re quapiam, posteaque speciatim; intelligitur profecto istiusmodi quoque fuisse genus, cuius est species, nisi aliquis de industria vellet dissolute, atque inconnexe loqui. Pertinet ergo hoc eo documentum, viguisse iam etiam prima illa Ecclesiae sub Apostolis aetate peccatorum confessionem, nec tantum generaliter dicendo se peccasse, sed exponendo proprie, et in specie, quid esset prave admissum a quopiam.

Palamne vero, ac publice, an vero privatim tantum, et occulte confitebantur cuipiam Apostolorum, aut eorum, cum quibus potestas remittendi peccata, quam a Christo acceperunt Apostolici, fuit communicata? Hoc quidem hic distincte non est positum. Alterutra autem ratione certe istud oportuit fieri. Si vero isti fideles Ephesii palam etiam hanc peccatorum suorum confessionem fecissent, tanto magis intelligitur eam oportuisse occulte uni Apostolo, vel alteri cuipiam fieri, qui eam, quam primi a Christo Apostoli acceperunt, habuit potestatem remittendi peccata, si impetrandae veniae causa per poenitentiam requirebatur et-

iam confessio. Nam, cum minus sit coram uno confessionem facere, quam coram pluribus si dum etiam istud fieret; sequitur tanto magis fieri oportuisse illud. Nam cum Apostolis a Christo dictum sit: „Accipite Spiritum sanctum: quorum remise„ritis peccata, remittuntur eis, et quorum reti„nueritis, retenta sunt" Joan. 20. v. 22. ac proinde quilibet ipsorum ista potestate remittendi peccata instructus fuerit, etiam coram uno eorum facta confessione obtineri poterat peccatorum remissio, utpote quam ille unus posset impertiri, atque praestare.

Illis tamen, qui per Helveticam, et Augustanam Confessionem a nobis disiuncti sunt, magis placet hic publicam peccatorum confessionem intelligere, sed nec illam integram, solummodoque aliquorum peccatorum, ut ita eam, quae occulte sacerdoti uni in aurem fit confessio, quaeque in Ecclesia Catholica viget, ista ratione suffoderetur. Primum etiamsi isti Ephesii publice actus suos annunciassent, prout deinde in quibusdam Ecclesiis mos aliquando tenuit, quaedam peccata publice confitendi, haec tamen publica annunciatio, quemadmodum iam dictum est, necessaria, obtinendae veniae causa, non fuit, cum eam unus Apostolus, vel alter, ad quos eadem illa potestas dimanavit, tribuere potuerit; deinde cum iidem Ephesii dicantur actus suos annunciasse, quomodo hinc consequentia inferri potest, aliqua tantum esse per confessionem exponenda, et non omnia? Actus

suos dicuntur annunciasse. Si ex actibus suis alios annunciassent, alios non annunciassent, numquid hi, quos non annunciassent, non fuissent eorum actus? Et si annunciatio facienda erat, cur alios quidem actus suos annunciarunt, alios non annunciarunt? In arbitrione ipsorum fuit annunciare, vel non, actus suos, quare ergo vel aliquos annunciarunt? Si veniae causa actuum annunciatio facta ab ipsis est, quemadmodum omnia peccata indigebant venia; ita omnia etiam annunciari oportuit. Ergo vel omnes actus suos, qui citra confessionem non possent deleri, necesse fuit annunciare, vel ad erratorum suorum veniam obtinendam nullatenus opus fuit aliquam expositionem facere. Quare ergo hanc tamen Ephesii fecerunt? Christus Apostolis dicendo: „Accipite Spiritum sanctum: quorum remi„seritis peccata, remittuntur eis, et quorum reti„nueritis, retenta sunt“ potestatem peccata remittendi, et retinendi illis tribuit. Ergo, ut nonnisi illorum ministerio illa remissio in Ecclesia tribueretur, etiam instituit. Inaniter autem hanc illis potestatem contulisset, si absque ipsorum opera, atque ministerio, tamen remissionem suorum peccatorum assequi potuissent. Si vero nec inanis collatio istius potestatis fuit, et ad Apostolos fideles se se vertere debuerunt, ut peccatorum, quae post baptismum commiserunt, veniam consequerentur; sequitur, ut coram iisdem Apostolis se peccasse etiam, reosque esse confiteri deberent. Nam quomodo Apostoli illam suam potestatem exercuissent

tribuendae veniae; nisi prius hunc, cui eam tribuerent, reum, poenitentemque cognovissent? Ut ergo hanc suorum peccatorum veniam, ac remissionem fideles obtinerent ab Apostolis; ipsi se coram illis peccasse confiteri debuerunt. Bene. Sed tantum generaliter se se peccasse, quin speciatim etiam dicerent; quid peccaverint. Atqui hi Ephesii non generaliter se se peccasse tantum confessi sunt, sed actus suos annunciaverunt, atque ipsum illud, quod egissent, exposuerunt. Ergo ex praxi, quae fuit in principio Ecclesiae, et Apostolorum aetate, infertur, peccatorum in specie obtinendae veniae causa oportuisse fieri expositionem. Tamen ipsi, qui Augustanam, et Helveticam Confessionem sequuntur, profitentur ad pedem primaevae Ecclesiae, et ad Evangelii, Scripturaeque sacrae amussim omnem sibi reformationem fecisse, cur ergo contrarium huic, quod fecisse primos fideles Apostolorum aetate, in Scriptura, atque in hoc Apostolicorum Actuum loco est, fecerunt, peccatorumque in specie confessionem, dum per poenitentiam eorum remissio quaereretur, apud se sustulerunt, atque confessionis institutum, quod semper in Ecclesia viguit, convulserunt?

Sed et inde manifestissime advertitur, nisi forte aliquis oculos de industria claudat, peccatorum in specie oportuisse semper in Ecclesia fieri expositionem, ac confessionem, quod a Christo Apostolis non tantum sit dictum: „Quorum remiseri„ tis peccata, remittuntur eis" verum etiam, „Quo-

„ rum retinueritis, retenta sunt." Nam quid retinerent, si ii, qui confiterentur, nihil in specie, aut si ista ratione aliquid confiterentur, nonnisi illud, quod vellent, proferre coram Poenitentiae ministro obstringerentur? In generali enim, et aequali confessione, cum se poenitens tantum peccasse deberet agnoscere, nec in specie ipsa peccata exponere, aliis quidem remittendi, aliis vero retinendi peccata nulla ratio esset, et eo minus apud ipsos in Augustana, et Helvetica Confessione, quod cum secundum ipsorum dogmata totum veniae, ac remissionis opus peragatur per solam resipiscentis erga Deum per Christum fiduciam; minister apud eos tantum sit quinta rota in curru, ad nihil aliud agendum, quam ut declaret remissa esse peccata. Qui enim certus est per fiduciam sibi remissa esse peccata, istiusque fiduciae, quam concepit, conscius est, magis profecto (secundum illorum principia autem loquor) de eo, quod in se, suaque conscientia est, certus esse debet, quam minister istud scire, declarareque possit. Si vero melius ipse scit, quam ei hoc minister declarare possit, quid opus ipsi adhuc est ministri declaratione? Sed in hoc, cum iam alias, et non pridem ad Joannis cap. 20. versum 23. disceptaverim; modo longius procedere iam nolo, nec opus est: nec, viguisse hanc peccatorum in specie confessionem etiam occultorum, et sola cogitatione perpetratorum semper in Ecclesia Patrum testimoniis hic agere volo, quod ea reperiantur passim collecta apud Theologos,

gos, nominatim apud Drouven, Gotti, Gervasio, atque ipsi Helvetae, et Protestantes non tam negent eam viguisse, quam necessario, et ex institutione Christi observari oportuisse. Illud sufficiet demonstrasse, non tantum fluere ipsam, atque sequi ex verbis, quibus poenitentiae ministros ad remittenda fidelibus peccata, Apostolos instituit Christus; sed fuisse exercitam sub Apostolis ipsius Scripturae documento in primaeva Ecclesia, ac proinde evidens esse, nos, qui Catholici sumus, Confessionis nostrae institutum idem habere etiam nunc, quod fuit in prima aetate, et ipsis incunabulis Ecclesiae, ipsos autem, dum religionem apud se venditant, quam sibi exacte ad Scripturam, primaevumque Ecclesiae institutum instauraverint, nihil minus, quam istud, fecisse, sed a Scriptura, primaevoque instituto Religionis decessisse.

19. *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus, et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Qui fuerant curiosa sectati, Graece: τῶν τὰ περίεργα πραξάντων, *qui vanas artes exercuerunt.* Magicae vero artes intelliguntur. Quamobrem sic vertit Syrus: *Imo etiam multi magi congregarunt libros suos, allatosque concremarunt coram omnibus.* Et Arabs: *Multique ex magicarum artium cultoribus libros suos attulerunt, eosque combusserunt coram omnibus hominibus.* Denarius genus monetae apud Romanos usitatae nostros

cruciferos circiter decem valebat. 20. *Ita fortiter crescebat verbum Dei, et confirmabatur.* 21. *His autem expletis proposuit Paulus in Spiritu*, (per Spiritum, cuius videlicet impulsu ista proposita concipiebat) *transita Macedonia, et Achaja ire Jerosolymam, dicens: Quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam videre.* 22. *Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum, et Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.* 23. *Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini.* In Graeco tantum est de via, sine vocabulo, *Domini.* Motus vero intelligitur, qui excitatus est adversus id, quod praedicaret Paulus. Aethiops: *Magna commotio facta est, de hac dotrina.* 24. *Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens aedes argenteas Dianae, praestabat artificibus non modicum quaestum.* 25. *Quos convocans, et eos, qui huiusmodi erant opifices, dixit: Viri scitis, quia de hoc artificio est nobis acquisitio.* 26. *Et videtis, et auditis, quia non solum Ephesi, sed paene totius Asiae, Paulus hic svadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt.* 27. *Non solum autem haec periclitabitur nobis pars in redargutionem:* hoc est, nec tantum nos ex parte nostra vocamur in crimen, et reprehensionem, quasi scilicet qui adiuvarent illam de falsitate deorum opinionem. Syrus vertit; Neque hoc negotium tantummodo diffamatur, et cessat: *sed et magnae Dianae templum in nihilum re-*

putabitur, sed et destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia, et orbis colit. 28. *His auditis repleti sunt ira, et exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum.* 29. *Et impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum rapto Gajo, et Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli.* 30. *Paulo autem volente intrare in populum, non permiseruut discipuli.* 31. *Quidam autem et de Asiae principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum rogantes, ne se daret ad theatrum.* Asiae principes erant, qui et nobilitate, et opibus florentiores ex Asiae civitatibus sacerdotium Dianae gerebant, et ludos publicos curabant, uti ex Strabone, aliisque Scriptoribus intelligitur. Ex his ergo ipsis aliqui Paulo favebant, ut ne in theatrum, quo concursus fiebat, et ubi tumultus excitabatur, se conferret, ei svaserunt, et dehortati sunt. Theatra erant loca, ubi spectacula exhiberentur. In iisdem vero etiam conventus publici consveverant quibusdam in civitatibus servari, tamquam qui locus aptus esset ad capiendam multitudinem. Illi autem principes ex ipso theatro Paulo, ne eo vellet venire, nunciaverant. Quod intelligitur ex eo, quod de iis, qui in theatro erant, quemadmodum est versu sequenti, alii aliud dicantur clamavisse. Hinc enim intelligitur, etiam illos principes fuisse in eodem theatro. 32. *Alii autem aliud clamabant. Erat enim ecclesia,* concio illa populi, quae confluxerat ad theatrum, *confusa: et plures nesciebant, qua ex causa con-*

venissent. 33. *De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus illum Judaeis. Alexander autem manu silentio postulato volebat reddere rationem populo.* 34. *Quem ut cognoverunt Judaeum esse, vox facta est una omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum.* De turba autem detraxerunt, Graece: *produxerunt* (προεβίβασαν) Alexandrum, propellentibus eum Judaeis. Nempe hunc Alexandrum Judaeum Judaei eo miserunt, et ut iret, adegerunt, poterat enim periculosum videri, ut multitudinem illam iam alioquin accensam, et ardentem furore adversus Paulum, adhuc magis inflammarent. Sed cum agnovisset multitudo ipsum esse Judaeum, siquidem nec Judaeos scirent cultores esse suae Dianae; ne audire quidem ipsum voluit, sed tantum percita oestro clamabat spatio duarum horarum: Magna Diana Ephesiorum. Itaque Syrus totum hunc locum sic clarius vertit: *Plebs autem Judaeorum, qui illic erant, statuerunt ex seipsis virum Judaeum, cui nomen erat Alexander, cumque stetisset, silentium indixit manu, volebatque spiritum proferre populo, Sed cum cognovissent eum esse Judaeum, vociferati sunt omnes una voce circiter ad duas horas: Magna est Diana Ephesiorum.* Fortasse commota multitudo cum sciret Paulum esse origine Judaeum, nec discrimen sciret facere inter Judaeos Religione Christianos, et ceteros, furebat indiscriminatim in Judaeos. Per hunc igitur Alexandrum conabantur se Judaei ii, qui

non erant Christiani populo purgare, et tantum adversus Paulum, et Christianos ipsorum odium, et flammam, quae iam eruperat, confirmare. 35. *Et cum sedasset scriba turbas, dixit: Viri Ephesii, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnae Dianae, Jovisque prolis?* Scriba civitatis intelligitur, et in eodem magistratu, quos nunc notarios solent vocare. 36. *Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, et nihil temere agere.* 37. *Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram.* Caius, et Erastus erant, quos, quemadmodum supra versu 29. est, comites Pauli, raptos in theatrum, produxerunt. 38. *Quod si Demetrius, et qui cum eo sunt, artifices, habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, et proconsules sunt, accussent invicem.* 39. *Si quid autem alterius rei quaeritis, in legitima ecclesia poterit absolvi.* Ecclesia significat aliquem qualemcumque coetum. Quoniam vero de iure agitur, intelligitur conventus iudicum, et magistratuum, idemque legitimus, quibus scilicet legitima iudicandi potestas commissa esset. 40. *Nam et periclitamur argui seditionis hodiernae, cum nullus obnoxius sit, de quo possimus reddere rationem, concursus istius. Et cum haec dixisset, dimisit Ecclesiam.*

CAPUT XX.

In Macedoniam, et Graeciam se Paulus confert. Troade Eutychum adolescentem e fenestra delapsum, et ex casu mortuum, ad vitam revocat; multis peragratis civitatibus, Miletum cum Epheso convocasset maiores natu Ecclesiae, his gregum, quos sibi haberent commissos, curam commendat, demonstrat se se iam ad ipsos non amplius esse reversurum.

1. *POSTQUAM autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, et exhortatus eos, valedixit, et profectus est, ut iret in Macedoniam.* 2. *Cum autem perambulasset partes illas, et exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Graeciam.* 3. *Ubi cum fecisset menses tres; factae sunt insidiae a Judaeis navigaturo in Syriam, habuitque consilium, ut reverteretur per Macedoniam.* 4. *Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi*, intelligitur Pyrrhi filius: istud vero nomen Pyrrhi nec in Graeco exstat, nec in versione Syriaca, vel Arabica, *Beroeensis, Thessalonicensium vero Aristarchus, et Secundus, et Gajus Derbeus, et Timotheus, Asiani vero Tychicus, et Trophimus.* 5. *Hi cum praecessissent, sustinuerunt nos Troade.* 6. *Nos vero navigavimus post dies azymorum a Philippis, et venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem.* 7. *Una autem Sabbati, cum*

convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. Una sabbati eadem intelligitur, quae prima dies sabbati, id est septimanae, quemadmodum hoc iam ad Joannis cap. 20. v. 1. ex collatione cum Matth. cap. 28. v. 1. demonstratum est. Erat igitur haec eadem, quae nobis nunc est dies Dominica. Quis panis iste intelligatur, ad quem frangendum fideles convenire consveverint, iam est demonstratum etiam Supra ad capitis secundi versum 42. et 46. Eucharisticus hic videlicet erat panis. Idcirco die Dominico ad eum frangendum convenerant. Hinc ergo intelligitur illud quoque, quod hic dies religiose iam tum a fidelibus sit cultus, et observatus. Quod Latinus vertit Paulum tum disputasse, in Graeco est: διελέγετο αὐτοῖς, *disserebat, colloquebatur ipsis.* Fideles enim hi erant, apud quos verba faciebat exhortando, atque confirmando ipsos in Evangelii doctrina, non cum quibus ei aliqua disceptatio deberet intercedere, tamquam cum adversariis.

8. *Erant autem lampades copiosae in coenaculo, ubi eramus congregati.* 9. *Sedens autem quidam adolescens, nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio coenaculo* Graece: *ex tertia contignatione:* ἀπὸ τοῦ τριστέγου: *deorsum, et sublatus est mortuus.* 10. *Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit*

super eum, et complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est. 11. *Adscendens autem, frangensque panem, et gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est.* 12. *Adduxerunt autem puerum viventem, et consolati sunt non minime.* 13. *Nos autem adscendentes navim navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum.* Lucas loquitur de se, et sociis istius sui itineris seorsim a Paulo. Asson, vel Assos fuit urbs non longe a priore urbe Phrygiae Troade, vel in eadem Phrygia, vel Mysia. Nec enim inter scriptores convenit. *Sic enim disposuerat, ipse per terram iter facturus.* 14. *Cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenem.* Urbs haec fuit in insula Lesbo. 15. *Et inde navigantes sequenti die venimus contra Chium, et alia applicuimus Samum, et sequenti die venimus Miletum.* Chius est insula in mari Aegaeo. Samus est insula in mari Jonio. Miletum in Jonia urbs fuit. 16. *Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis.*

17. *A Mileto autem mittens Ephesum vocavit maiores natu Ecclesiae:* Graece: τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, *Presbyteros Ecclesiae.* Est vero Supra capite 14. v. 22. Paulum fidelibus per singulas Ecclesias constituisse presbyteros. Hi vero presbyteri, et maiores natu Epheso Miletum evocati diserte infra huius capitis versu 28. dicuntur

Episcopi fuisse, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Neque vero in eodem loco plures, quam unus, constituebantur Episcopi. Hinc igitur intelligitur istos maiores natu, et presbyteros fuisse episcopos, nec tantum ex sola civitate Epheso, sic enim plures uno non fuissent, qui venerant, sed ex reliqua etiam Asia. 18. *Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis: Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim,* 19. *serviens Domino cum omni humilitate, et lacrimis, et tentationibus, quae mihi acciderunt ex insidiis Judaeorum:* 20. *quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annunciarem vobis, et docerem vos publice, et per domos,* 21. *testificans Judaeis, atque gentilibus in Deum poenitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.* 22. *Et nunc ecce alligatus ego Spiritu,* cuius videlicet ductu, atque impulsu iret, seque conferret Jerosolymam, *vado in Jerusalem, quae in ea ventura sint mihi, ignorans.* 23. *Nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur dicens: quoniam vincula, et tribulationes Jerosolymis me manent.* 24. *Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosiorem, quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiae Dei.* Non facio animam meam pretiosiorem, quam me, Graece: ὀυδὲ ἔχω τὴν ψυχήν μου τιμίαν ἐμαυτῷ, ὡς τελειῶσαι τὸν δρόμον μου μετὰ

χαρᾶς: *Nec habeo animam meam pretiosam mihi ipsi, ut finiam cursum meum cum gaudio.* Syrus vertit: *Mihi vero pro nihilo habetur anima mea, ut absolvam cursum meum, et ministerium, quod accepi a Domino nostro Jesu, ut testimonium perhibeam Evangelio gratiae Dei.* 25. *Et nunc ecce scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi praedicans regnum Dei.* 26. *Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sangvine omnium.* Hoc est, si ita instructi, nihilominus perirent, salutisque iacturam facerent, se istius eorum exitii causam non esse, sed ipsis solis imputandam. Haec phrasis non multo antea etiam est explicata ad capitis 18. versum 6.

27. *Non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis.* 28. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sangvine suo.* „Multum ostendit, ait „S. Chrysostomus homil. 44. in Acta, dum dicit „pretiosam rem, nec de parvis rebus esse peri- „culum. Siquidem Dominus pro Ecclesia neque san- „gvini suo pepercit: nos autem fratrum salutem „contemnimus. Et ille quidem, ut inimicos recon- „ciliaret, sangvinem effudit: tu vero neque ami- „cos retinere potes.“ 29. *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* 30. *Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant di-*

scipulos post se. Dicuntur discipulos abducere post se, ut in eo, quod docent ipsi magistri sint, doctrinaeque illius auctores, et novorum dogmatum fabricatores, nec tamquam discipuli Christi perseverent in eo, quod habent a Christo traditum. Qua ratione ipse Christus etiam monuit: „Nec vocemini magistri: quia magister vester unus est Christus.“ Matth. 23. v. 10. 31. *Propter quod vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte, et die non cessavi, cum lacrimis monens unumquemque vestrum.* 32. *Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiae ipsius, qui potens est aedificare, et dare haereditatem in sanctificatis omnibus.* Commendo vos Deo, et verbo gratiae ipsius, hoc est, quae gratia per ipsius verbum, Evangelii videlicet verbum, praedicatur, uti in hac vos gratia Deus conservet, ne scilicet, precatur, exciderent et a veritate Evangelii, docentes aliquid perversum, et ab eius promissione. 33. *Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut* 34. *ipsi scitis: quoniam ad ea, quae mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istae.* 35. *Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere.* 36. *Et cum haec dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis.* 37. *Magnus autem fletus factus est omnium, et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum,* 38. *dolentes maxime in verbo,*

quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

CAPVT XXI.

In itinere Jerosolymam cum Tyri substitisset, iterumque Caesareae, cum ab aliis, tum ab Agabo propheta praedicuntur Paulo adversitates, et vincula, in quae Jerosolymae coniiciendus sit. Jerosolymae convenit Jacobum Apostolum, atque eius svasu cum quibusdam, qui votum suum exoluturi erant, seipsum coniungit. Quem in templo comprehendunt Judaei, et verberibus mulctatum etiam interfecissent, nisi tribunus ipsum eripuisset.

1. *CUM autem factum esset, ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, et sequenti die Rhodum, et inde Pataram.* Cous, et Rhodus sunt insulae in mari Aegaeo. Patara est urbs maritima in Lycia. 2. *Et cum invenissemus navem transfretantem in Phoenicen, adscendentes navigavimus.* 3. *Cum aparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam, et venimus Tyrum. Ibi enim navis expositura erat onus.* 4. *Inventis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem: qui Paulo dicebant per Spiritum, ne adscenderet Jerosolymam.* Nempe per Spiritum Paulo praedixerunt adversa, quae subiturus erat Jerosolymae. Iidem vero suo iam deinde affectu erga Paulum, dehortati sunt, ne iret. Nam si per Spiritum sanctum Paulo etiam dictum fuisset, ne iret; utique

adversus Spiritus sancti prohibitionem deinde non ivisset. Nam idem hoc Caesareae etiam postea accidit, eodemque modo fideles ibidem se se erga Paulum exhibuerunt, et cum per Spiritus sancti revelationem didicissent, in vincula coniectum iri Paulum, si Jerosolymam proficisceretur; itidem hortati eum sunt, et rogaverunt, ne iret. Quorum tamen dehortationibus, atque precibus non cessit, animo paratissimus ad subeunda quaecumque adversa Christi causa. 5. *Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus, et filiis usque foras civitatem, et positis genibus in litore oravimus.* 6. *Et cum valefecissemus invicem, adscendimus navem. Illi autem redierunt in sua.* 7. *Nos vero navigatione expleta a Tyro descendimus Ptolemaidam, et salutatis fratribus mansimus die una apud illos.* 8. *Alia autem die profecti venimus Caesaream. Et intrantes domum Philippi Evangelistae, qui erat unus de septem, mansimus apud eum.* Unus videlicet erat de septem diaconis, supra capite 6. v. 5. Cur vero etiam Evangelista vocatur? non quod illud scripserit, sed praedicaverit. Qua ratione S. Paulus etiam Timotheum hortatus est, ut opus faceret Evangelistae. „Tu vero „vigila, inquit, in omnibus labora, opus fac Evan„gelistae, ministerium tuum imple.“ 2. Tim. 4. v. 5.

9. *Huic autem erant quatuor filiae virgines prophetantes.* 10. *Et cum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam a Judaea propheta, nomine Agabus.* 11. *Is cum venisset ad nos, tulit*

zonam Pauli, et alligans sibi pedes, et manus, dixit: Haec dicit Spiritus sanctus: Virum, cuius est zona haec, sic alligabunt in Jerusalem Judaei, et tradent in manus gentium. 12. *Quod cum audissemus, rogabamus nos, et qui loci illius erant, ne adscenderet Jerosolymam.* 13. *Tunc respondit Paulus, et dixit: Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu.* 14. *Et cum ei svadere non possemus, quievimus, dicentes: Domini voluntas fiat.* 15. *Post dies autem istos praeparati, adscendebamus in Jerusalem.* 16. *Venerunt autem et ex discipulis a Caesarea nobiscum, adducentes secum, apud quem hospitaremur, Mnasonem, quemdam Cyprium, antiquum discipulum.* 17. *Et cum venissemus Jerosolymam, libenter exceperunt nos fratres.* 18. *Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum, omnesque collecti sunt seniores.* 19. *Quos cum salutasset, narrabat per singula, quae Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius.* 20. *At illi cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides frater, quot millia sunt in Judaeis, qui crediderunt, et omnes aemulatores sunt legis.* 21. *Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse eorum, qui per gentes sunt, Judaeorum, dicens, non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consvetudinem ingredi.* 22. *Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem. Audient enim te supervenisse.* Arabs:

Quid ergo ex his gignetur? Absque dubio oportet, ut turba ad te confluat, siquidem iam audierunt te advenisse. Nempe oportere multitudinem convenire, non sic ab Jacobo est dictum, quasi ipse hanc, istius negotii gratia, convocandam haberet; sed quod illa sponte conventura esset ad Paulum, sciscitatum videlicet, num verus ille rumor de ipso, quem audiverant, esset. 23. *Hoc ergo fac, quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se.* 24. *His assumptis, sanctifica te cum illis, et impende in illis, ut radant capita: et scient omnes, quia quae de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem.* Modus, quo post peractum Nazaraeatus sui tempus Nazaraeus sanctificabatur, et purificabatur, describitur Numerorum cap. 6. v. 13. Fiebat videlicet istud certa sacrificiorum oblatione, capillorumque rasura, ac depositione. Istis quatuor, qui eiusmodi Nazaraeatas votum habebant, uti se adiungeret, svasum ergo fuit Paulo, atque ut particeps fieret istius eorum voti, atque consecrationis, dictum, ut ad sacrificiorum etiam sumptus concurreret cum ipsis, quae tum offerenda erant. Sic enim censebat Jacobus, ut cum fideles ex Judaeis, qui Jerosolymis erant, istud vidissent; nihil iam deinde moverent contra Paulum, quem non esse contrarium Mosaicae legis caerimoniis ista ratione ipsi experti essent. 25. *De his autem, qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus, iudicantes, ut abstineant se ab idolis, immolato,* Graece:

εἰδωλόθυτον: compositam vero vocem Latinus interpres distraxit in duas interposito commate, quod sine hoc conformiter iuxta Graecum deberet esse, *et sangvine, et suffocato, et fornicatione.*

26. *Tunc Paulus assumptis viris postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro uno quoque eorum oblatio.* Annunciavit tempus Nazaraeatus esse completum, ad quod se observandum illi quatuor obstrinxissent, et quibus ipse se associavisset. Purificatus autem venit in templum, lotis videlicet vestibus, et toto corpore. Quae ordinaria erat apud Judaeos purificandi se caerimonia. 27. *Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asia erant Judaei, cum vidissent eum in templo; concitaverunt omnem populum, et iniecerunt ei manus, clamantes:* 28. *Viri Israelitae, adiuvate. Hic est homo, qui adversus populum, et legem, et locum hunc, omnes ubique docens, insuper et gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum.* 29. *Viderant enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem aestimaverunt, quoniam in templum introduxisset Paulus.* 30. *Commotaque est civitas tota, et facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum, et statim clausae sunt ianuae.* 31. *Quaerentibus autem eum occidere, nunciatum est tribuno cohortis: Quia tota confunditur Jerusalem.* 32. *Qui statim assumptis militibus, et centurionibus decurrit ad illos.*

Qui

Qui cum vidissent tribunum, et milites, cessaverunt percutere Paulum. 33. *Tunc accedens tribunus apprehendit eum, et iussit eum alligari catenis duabus, et interrogabat, quis esset, et quid fecisset.* 34. *Alii autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere prae tumultu, iussit duci eum in castra.* 35. *Et cum venisset ad gradus, contigit, ut portaretur a militibus propter vim populi.* Res haec erga Paulum ab Judaeis acta est ante templum. Vel ergo hi gradus fuerant, per quos e quadam templi porticu descenderetur; vel vero intelliguntur fuisse in ipso aditu ad castra: siquidem ubi iam Paulus fuisset in his castris, deinde ex gradibus dicatur, quemadmodum inferius est, verba fecisse ad populum. 36. *Sequebatur enim multitudo populi, clamans, tolle eum.* 37. *Et cum coepisset induci in castra Paulus, dicit tribuno; si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Graece nosti?* 38. *Nonne tu es Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, et eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum?* Huius Aegyptii meminit etiam Josephus Ant. lib. 20. cap. 20. Qui se iactaverit vatem esse, et cum ad montem Oliveti multitudinem populi, quae eum sequebatur, eduxisset, promiserit futurum ut moenia Jerosolymae sponte sua, nullo oppugnante, ruerent. Felicem vero Judaeae praesidem, immissa militum manu totam illam turbam dissipasse, partemque illius occidisse. 39. *Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Judaeus a Tarso Ci-*

liciae non ignotae civitatis municeps. Municipia
erant civitates, quae beneficio, et concessione po-
puli Romani ius civium Romanorum obtinuerant.
Eiusmodi ergo civitas fuit Tarsus in Cilicia. Ubi
cum natus esset Paulus, civis Romanus ipse etiam
fuerat effectns. *Rogo autem te, permitte mihi lo-
qui ad populum.* 40. *Et cum ille permisisset, Pau-
lus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, et
magno silentio facto, allocutus est lingva He-
braea, dicens:*

CAPVT XXII.

Paulus permittente tribuno Judaeos allocutus, docet, qua ratione Christum agnoverit, et baptizatus sit. At vero illi sablata voce ad mortem eum deposcunt. Tribunus loris eum adstringi, et flagellis caedi iubet. Ex quo se cruciatu liberat civem se Romanum esse profitendo. Altera die ad Judaeorum concilium tribunus eum producit, et quaestionem de eo instituit.

1. *VIRI fratres, et patres audite, quam ad vos
nunc reddo rationem.* 2. *Cum audissent autem,
quia Hebraea lingva loqueretur ad illos, magis
praestiterunt silentium.* 3. *Et dicit: Ego sum vir
Judaeus, natus in Tarso Ciliciae, nutritus autem
in ista civitate secus pedes Gamaliel, eruditus
iuxta veritatem paternae legis, aemulator legis,
sicut et vos omnes estis hodie.* 4. *Qui hanc viam
persecutus sum usque ad mortem:* non ad suam,

sed eorum usque mortem qui Christianum institutum sequerentur, *alligans, et tradens in custodias viros, ac mulieres, 5. sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, et omnes maiores natu, a quibus et epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jerusalem, ut punirentur. 6. Factum est autem eunte me, et appropinquante Damasco, media die, subito de caelo circumfulsit me lux copiosa. 7. Et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris? 8. Ego autem respondi: Quis es Domine? Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. 9. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum. 10. Et dixi: Quid faciam Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum, et ibi tibi dicetur de omnibus, quae te oporteat facere. 11. Et cum non viderem prae claritate luminis illius, ad manum deductus* (Graece: *manuductus*, χειραγωγούμενος) *a comitibus, veni Damascum. 12. Ananias autem quidam, vir secundum legem, testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judaeis*, de eo videlicet, quod antecessit modo, virum esse secundum legem, illiusque observantissimum, 13. *veniens ad me, et adstans dixit mihi. Saule frater, respice. Et ego eadem hora respexi in eum. 14. At ille dixit: Deus patrum nostrorum praeordinavit te, ut cognosceres voluntatem eius, et videres Justum*, Christus hoc no-

mine per antonomasiam designatur, quod subsequens oratio etiam declarabit, *et audires vocem ex ore eius.* 15. *Quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quae vidisti, et audisti.* 16. *Et nunc quid moraris? Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.*

17. *Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem, et oranti in templo, fieri me in stupore mentis,* 18. *et videre illum dicentem mihi: Festina, et exi velociter ex Jerusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me.* 19. *Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt, quia ego eram concludens in carcerem, et caedens per synagogas eos, qui credebant in te:* 20. *et cum funderetur sangvis Stephani, testis fui, ego adstabam, et consentiebam, et custodiebam vestimenta interficientium illum.* 21. *Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te.* 22. *Audiebant autem eum usque ad hoc verbum, et levaverunt vocem suam dicentes: Tolle de terra huiusmodi. Non enim fas est eum vivere.* 23. *Vociferantibus autem eis, et proiicientibus vestimenta sua, et pulverem iactantibus in aerem,* 24. *iussit tribunus induci eum in castra, et flagellis caedi, et torqueri eum, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei.* 25. *Et cum adstrinxissent eum loris, dicit adstanti sibi centurioni Paulus: si hominem Romanum, et indemnatum licet vobis flagellare?* 26. *Quo audito, centurio accessit ad tribunum, et nunciavit ei dicens: Quid acturus es? hic enim*

homo civis Romanus est. 27. *Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi, si tu Romanus es? At ille dixit: etiam.* Jam prius, superioris capitis versu 39. se se illi Paulus dixerat ex Tarso Ciliciae urbe municipem esse. Itaque illi asseverationi ipsius non certam adhuc tribuerat fidem tribunus. Secus enim ne adstringi quidem, et deligari loris iussisset, nec mandatum de eo caedendo dedisset. 28. *Et respondit tribunus: Ego multa summa civilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem et natus sum.* 29. *Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam rescivit, quia civis Romanus esset, et quia alligasset eum.* 30. *Postera autem die, volens scire diligentius, qua ex causa accusaretur a Judaeis, solvit eum, et iussit sacerdotes convenire, et omne concilium, et producens Paulum, statuit inter illos.*

CAPVT XXIII.

Paulus in concilio questus se in crimen vocari, quod resurrectionem futuram mortuorum crederet, cum alii ibi adessent Pharisaei, alii Sadducaei, quorum alteri admitterent, alteri resurrectionem negarent, hi ipsi inter se ab eo committuntur, et confligunt. Paulus iussu tribuni reducitur in castra. Quadraginta Judaei se se devovent non comesuros ante aliquid, quam Paulum interficerent. Tribunus Paulum ad Felicem praesidem Caesaream mittit.

1. *INTENDENS autem in concilium Paulus, ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem.* 2. *Princeps autem sacerdotum Ananias praecepit adstantibus sibi percutere os eius.* Tamquam videlicet aperte mentientem iusserat ipsum in os percuti, cum ille conscientiam suam bonam coram Deo testaretur, in testimoniumque proferret. Etiamne tum, cum Christianos persequeretur, bona hoc conscientia fecit? Etiam. Sic enim erat persvasus, qui, ut ipse de se testatur infra cap. 26. v. 9. existimaret se adversus nomen Jesu debere multa contraria agere. 3. *Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem, et contra legem iubes me percuti?* Secundum legem non poterat aliquis damnari, nisi crimen ipsius fuisset comprobatum, adeo, ut ne ad unius quidem testimonium liceret aliquem damnare.

Numer. 35. v. 30. Si vero non licuit damnare; eo minus potuit poena affici, ac percuti, de quo nondum iudicium esset celebratum. 4. *Et qui adstabant, dixerunt: Summum sacerdotem Dei maledicis?* 5. *Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Exodi cap. 22. versu 28. est hoc scriptum. Appellatus Paulus, quod maledixisset, non negavit se maledixisse. Maledixit autem Ananiae, dum dealbatum parietem eum compellavisset, nam quod percutiendum a Deo dixerit, perspicuum est non imprecando esse dictum, sed tantummodo interminando Divinam poenam, eamque denunciando: ac proinde sita fuit haec omnis maledictio in eo, quod nomen ei imposuisset, quo esset dehonestatus, etsi illud quidem meruerit. Et quod tamen in eum non coniecisset, si summum esse pontificem dignovisset. Poterat autem illum non agnoscere, neque enim pontificali veste etiam extra officia templi induebatur, cum pontifices fere annui tantum his temporibus essent, et Paulus in exteris, remotisque regionibus versatus diu esset praedicando Evangelium. Quod ergo in summum pontificem non erat facturus, si hunc esse scivisset, cur idem tamen fecit, quasi in alium? Ex ratione, qua lex etiam ista de principe tantum loquebatur, ne ei maledictum fieret, et non de quocumque alio. Maledictio haec nihil nisi exprobratio fuit fucatae iustitiae, cum tamen, qui veluti iudex in concilio sederet, et in eo, qui in iudicium produceretur, cri-

men non pateretur, tanto magis ipse iustum se deberet praebere. Quae tamen iusta licet obiurgatio, et exprobratio non permittebatur erga principem, ne eius auctoritas in despectum veniret. Ideo Paulus qui Ananiam reprehenderat ob legis praevaricationem, se etiam excusavit; ne ipse contra legem criminans publice summum sacerdotem, etiam similiter, veluti transgressor legis, argui posset. Nec percussus alteram etiam maxillam ad alterum ictum obtulit, quemadmodum faciendum esse docuit Christus Matthaei 5. v. 39. Fuit enim insimulatus male, et mendaciter esse locutus. Iniurias autem esse excipiendas a nobis ultroneis, tum tantum docet S. Petrus, si Christi nomine, et nullo impacto aliquo crimine pateremur. „Nemo autem, in„quit, vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut „maledicus, aut alienorum appetitor." 1. Petr. 4. v. 15. Itaque ne Christus quidem ad alias omnes sibi irrogatas poenas obmutescens, cum alapa esset ei inflicta, quasi quod male respondisset pontifici, ictum illum tulit, sed servum redarguit, a quo colaphum accepit. Joan. 18. v. 23.

6. *Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducaeorum, et altera Pharisaeorum, exclamavit in concilio: Viri fratres, ego Pharisaeus sum, filius Pharisaeorum, de spe, et resurrectione mortuorum ego iudicor. 7. Et cum haec dixisset, facta est dissensio inter Pharisaeos, et Sadducaeos, et soluta est multitudo. 8. Sadducaei enim dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque*

spiritum: Pharisaei autem utraque confitentur. 9.
Factus est autem clamor magnus. Et surgentes qui-
dam Pharisaeorum, pugnabant dicentes: Nihil ma-
li invenimus in homine isto. Quid si spiritus locu-
tus est ei, aut angelus? 10. *Et cum magna dis-*
sensio facta esset, timens tribunus, ne discerpe-
retur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere,
et rapere eum de medio eorum, ac deducere eum
in castra. 11. *Sequenti autem nocte assistens ei*
Dominus, ait: Constans esto. Sicut enim testifi-
catus es de me in Jerusalem, sic te oportet et Ro-
mae testificari. 12. *Facta autem die collegerunt se*
quidam ex Judaeis, et devoverunt se dicentes, ne-
que manducaturos, neque bibituros, donec occide-
rent Paulum. 13. *Erant autem plus, quam quadra-*
ginta viri, qui hanc coniurationem fecerant. 14.
Qui accesserunt ad principes sacerdotum, et se-
niores, et dixerunt: Devotione devovimus nos ni-
hil gustaturos, donec occidamus Paulum. 15. *Nunc*
ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut
producat illum ad vos, tamquam aliquid certius cog-
nituri de eo. Nos vero prius, quam appropiet, pa-
rati sumus interficere illum. 16. *Quod cum audis-*
set filius sororis Pauli insidias (Graece: *Audiens*
autem filius sororis Pauli insidias, Ἀκέσας δὲ ὁ
υἱὸς τῆς ἀδελφῆς Παύλου τὴν ἐνέδραν) *venit, et intra-*
vit in castra, nunciavitque Paulo. 17. *Vocans au-*
tem Paulus ad se unum ex centurionibus, ait:
Adolescentem hunc perduc ad tribunum, habet enim
aliquid indicare illi. 18. *Et ille quidem assumens*

eum, duxit ad tribunum, et ait: Vinctus Paulus rogavit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi. 19. *Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, et interrogavit illum: Quid est, quod habes indicare mihi?* 20. *Ille autem dixit: Judaeis convenit rogare te, ut crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo.* 21. *Tu vero ne credideris illis, insidiantur enim ei ex eis viri amplius, quam quadraginta, qui se devoverunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum; et nunc parati sunt exspectantes promissum tuum.*

22. *Tribunus igitur dimisit adolescentem, praecipiens, ne cui loqueretur, quoniam haec nota sibi fecisset.* 23. *Et vocatis duobus centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos, ut eant usque Caesaream, et equites septvaginta, et lancearios ducentos a tertia hora noctis:* 24. *et iumenta praeparate, ut imponentes Paulum salvum perducerent ad Felicem praesidem.* 25. *(Timuit enim, ne forte raperent eum Judaei, et occiderent, et ipse postea calumniam sustineret, tamquam accepturus pecuniam) scribens epistolam continentem haec:* Quod parenthesi inclusum est in hoc versiculo, non existit in Graeco, nec in Orientali aliqua antiqua versione, sed nec ab S. Chrysostomo in eius homiliis in Acta legitur. Videtur ergo haec adnotatio, cum facta fuisset prius in margine, deinde irrepsisse in ipsum textum in versione Latina. 26. *Claudius Ly-*

sias optimo praesidi Felici, salutem. 37. *Virum hunc comprehensum a Judaeis, et incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui, cognito, quia Romanus est.* 28. *Volensque scire causam, quam obiiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum.* 29. *Quem inveni accusari de quaestionibus legis ipsorum, nihil vero dignum morte, aut vinculis habentem criminis.* 30. *Et cum mihi perlatum esset de insidiis, quas paraverant illi, misi eum ad te, denuncians et accusatoribus, ut dicant apud te. Vale.* 31. *Milites ergo secundum praeceptum sibi, assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem.* 32. *Et postera die dimissis equitibus, ut cum eo irent reversi sunt in castra.* Nempe ab Antipatride soli equites usque Caesaream tantum profecti sunt cum Paulo. Eo vero ab Jerosolyma additi fuerunt etiam pedites, et lancearii, quousque periculum insidiarum, ne ab Judaeis Paulus eriperetur, et occideretur, durabat. Cum vero Antipatridem esset perventum, pedites reversi sunt Jerosolymam, ubi stativa eorum erant castra. Inter Joppen, et Caesaream Antipatris civitas fuit sita, ab Herode, qui infantes innocentes occidit, aedificata in honorem patris sui Antipatri. 33. *Qui cum venissent Caesaream, et tradidissent epistolam praesidi, statuerunt ante illum et Paulum.* 34. *Cum legisset autem, et interrogasset, de qua provincia esset, et cognoscens, quia de Cilicia,* 35. *audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Jussitque in praetorio Herodis custodiri eum.*

CAPVT XXIV.

Jerosolyma Judaei adhibito Tertullo oratore Caesaream se conferunt ad accusandum praesidi Paulum. Diluit obiecta sibi crimina Paulus. Praeses iudicium suspendit ad adventum Lysiae tribuni. Interea praeses, et uxor eius Drusilla saepe accersunt, et audiunt Paulum de Religione disserentem. Ei in provincia succedit Portius Festus. In gratiam Judaeorum Felix Paulum relinquit vinctum.

1. *POST quinque autem dies descendit princeps sacerdotum, Ananias cum senioribus quibusdam, et Tertullo quodam oratore, qui adierunt praesidem adversus Paulum.* 2. *Et citato Paulo coepit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace agamus per te, et multa corrigantur per tuam providentiam,* 3. *semper, et ubique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione.* 4. *Ne diutius autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia.* 5. *Invenimus hunc hominem pestiferum, et concitantem seditiones omnibus Judaeis in universo orbe, et auctorem seditionis sectae Nazarenorum.* Hoc est, auctorem seditionis, quae seditio excitari solet a secta Nazarenorum. Sic vero istius sectae nomine Christianos appellavit a Domino nostro Jesu Nazareno. 6. *Qui etiam templum violare conatus est, quem et apprehensum voluimus secundum legem nostram iudicare.* 7. *Superveniens autem tribunus Lysias, cum vi magna*

eripuit eum de manibus nostris, 8. *iubens accusatores eius ad te venire; a quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum.* 9. *Adiecerunt autem et Judaei, dicentes haec ita se habere.* 10. *Respondit autem Paulus, annuente sibi praeside dicere: Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam.* 11. *Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies, quam duodecim, ex quo adscendi adorare in Jerusalem.* 12. *Et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbae, neque in synagogis*, 13. *neque in civitate: neque probare possunt tibi, de quibus nunc me accusant.* 14. *Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt haeresim.* Graece *secundum viam*, κατὰ τὴν ὁδὸν, vitae, religionis institutum, quam dicunt haeresim, *sic deservio Patri, et Deo meo, credens omnibus, quae in lege, et Prophetis scripta sunt*, 15. *spem habens in Deum, quam et hi ipsi exspectant, resurrectionem futuram iustorum, et iniquorum.* 16. *In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, et ad homines semper.* 17. *Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam veni, et oblationes, et vota.* 18. *In quibus invenerunt me purificatum in templo, non cum turba, neque cum tumultu.* 19. *Quidam autem ex Asia Judaei, quos oportebat apud te praesto esse, et accusare, si quid haberent adversum me.* Arabs: At vero quosdam Judaeos

ex Asia, qui me criminati fuerant, oportebat praesto esse coram te, neque accusare, si quod crimen habebant adversum me: 20. *aut hi ipsi dicant, si quid invenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio,* 21. *nisi de una hac solummodo voce, qua clamavi inter eos stans: Quoniam de resurrectione mortuorum ego hodie iudicor a vobis.* 22. *Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac.* Graece: *exquisitius cognoscens, quae de via hac,* ἀκριβέϛερον εἰδὼς τὰ περὶ τῆς ὁδȣ̃, scilicet de hoc negotio qui tunc per Lysiam tribunum diceret se adcuratius instruendum, *dicens: cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos.* 23. *Jussitque centurioni custodire eum, et habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.* 24. *Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quae erat Judaea, vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem, quae est in Christum Jesum.* 25. *Disputante autem illo de iustitia, et castitate, et de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade; tempore autem opportuno accersam te.* 26. *Simul et sperans, quod pecunia ei daretur a Paulo. Propter quod et frequenter accersens eum, loquebatur cum eo.* 27 *Biennio autem expleto accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam praestare Judaeis Felix, reliquit Paulum vinctum.*

CAPVT XXV.

Coram Festo accusantibus Judaeis iterum in iudicium producitur Paulus. Qui interrogatus a praeside, num iudicium de se vellet fieri Jerosolymae, appellat caesarem. Negotium praeses confert cum rege Agrippa.

1. *FESTUS ergo cum venisset in provinciam, post triduum adscendit Jerosolymam a Caesarea.*
2. *Adieruntque eum principes sacerdotum, et primi Judaeorum adversus Paulum, et rogabant eum,*
3. *postulantes gratiam adversus eum, ut iuberet perduci eum in Jerusalem, insidias tendentes, ut interficerent eum in via.* 4. *Festus autem respondit servari Paulum in Caesarea: se autem maturius profecturum.* 5. *Qui ergo in vobis, ait, potentes sunt,* Graece: δυνατοὶ, *qui possunt*, quibus commodum est, *descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum.* 6. *Demoratus autem inter eos dies non amplius, quam octo, aut decem, descendit Caesaream, et altera die sedit pro tribunali, et iussit Paulum adduci.* 7. *Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Jerosolyma descenderant Judaei, multas, et graves causas obiicientes, quas non poterant probare.* 8. *Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Judaeorum, neque in templum, neque in caesarem quidquam peccavi.* 9. *Festus autem*

volens gratiam praestare Judaeis, respondens Paulo dixit: Vis Jerosolymam adscendere, et ibi de his iudicari apud me? 10. *Dixit autem Paulus: Ad tribunal caesaris sto, ibi me oportet iudicari. Judaeis non nocui, sicut tu melius nosti.* 11. *Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si vero nihil est eorum, quae hi accusant me, nemo potest me illis donare. Caesarem apppello.* 12. *Tunc Festus cum concilio locutus, respondit: Caesarem appellasti? ad caesarem ibis.*

13. *Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex, et Bernice descenderunt Caesaream ad salutandum Festum.* Iste Agrippa fuit iunior, alterius Agrippae Herodis, qui Jacobum apostolum interemit, et Petrum in vinculis tenuit, filius, quemadmodum iam hoc ad initium capitis duodecimi dictum est. 14. *Et cum dies plures ibi demorarentur; Festus regi indicavit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus a Felice vinctus.* 15. *De quo, cum essem Jerosolymis, adierunt me principes sacerdotum, et seniores Judaeorum, postulantes adversus illum damnationem.* 16. *Ad quos respondi: Quia non est Romanis consvetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* 17. *Cum ergo huc convenissent sine ulla dilatione, sequenti die sendens pro tribunali iussi adduci virum.* 18. *De quo cum stetissent accusatores,*

nullam

nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum. 19. *Quaestiones vero quasdam de sua superstitione habebant adversus eum, et de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere.* 20. *Haesitans autem ego de huiusmodi quaestione, dicebam, si vellet ire Jerosolymam, et ibi iudicari de istis.* 21. *Paulo autem appellante, ut servaretur ad Augusti cognitionem, iussi servari eum, donec mittam eum ad caesarem.* 22. *Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam et ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum.* 23. *Altera autem die, cum venisset Agrippa, et Bernice cum multa ambitione, et introissent in auditorium cum tribunis, et viris principalibus civitatis, iubente Festo adductus est Paulus.* 24. *Et dicit Festus: Agrippa rex, et omnes, qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judaeorum interpellavit me Jerosolymis, petentes, et acclamantes, non oportere eum vivere amplius.* 25. *Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, iudicavi mittere.* 26. *De quo, quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, et maxime ad te, rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam, quid scribam.* 27. *Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, et causas eius non significare.*

CAPVT XXVI.

Paulus a Festo praeside coram Agrippa productus fidei suae rationem exponit, demonstrans, quo pacto agnoverit Christum. Insaniae illum arguit Festus. Agrippa vero declarat insontem esse, et dimitti potuisse, si caesarem non appellasset.

1. *AGRIPPA vero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu coepit rationem reddere.* 2. *De omnibus, quibus accusor a Judaeis, rex Agrippa, aestimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie,* 3. *maxime te sciente omnia, et quae apud Judaeos sunt consvetudines, et quaestiones. Propter quod obsecro, patienter me audias.* 4. *Et quidem vitam meam a iuventute, quae ab initio fuit in gente mea in Jerosolymis, noverunt omnes Judaei,* 5. *praescientes me ab initio, si velint testimonium perhibere*, Arabs: Jam etiam norunt me olim a pueritia mea, si testimonium de hoc ferre velint, *quoniam secundum certissimam sectam nostrae religionis, vixi Pharisaeus.* 6. *Et nunc in spe, quae ad patres nostros repromissionis facta est a Deo, sto iudicio subiectus.* 7. *In quam duodecim tribus nostrae, nocte, ac die deservientes, sperant devenire. De qua spe accusor a Judaeis, rex.* 8. *Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?* 9. *Et ego quidem existimaveram, me adversus nomen Jesu Nazareni debere multa con-*

traria agere. 10. *Quod et feci Jerosolymis, et*
multos sanctorum ego in carceribus inclusi, a prin-
cipibus sacerdotum potestate accepta: et cum oc-
ciderentur, detuli sententiam. 11. *Et per omnes*
synagogas frequenter puniens eos, compellebam
blasphemare, et amplius insaniens in eos, perse-
quebar usque in exteras civitates. 12. *In quibus,*
dum irem Damascum cum potestate, et permissu
principum sacerdotum, 13. *die media, in via vidi,*
rex, de caelo supra splendorem solis circumful-
sisse me lumen, et eos, qui mecum simul erant.
14. *Omnesque nos cum decidissemus in terram, au-*
divi vocem loquentem mihi Hebraica lingva: Sau-
le, Saule, quid me persequeris? durum est tibi
contra stimulum calcitrare. 15. *Ego autem dixi:*
Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum
Jesus, quem tu persequeris. 16. *Sed exsurge, et*
sta super pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi,
ut constituam te ministrum, et testem eorum, quae
vidisti, et eorum, quibus apparebo tibi: id est,
quorum tibi adhuc manifestationem faciam. 17. *eri-*
piens te de populo, et gentibus, in quas nunc ego
mitto te, 18. *aperire oculos eorum, ut convertan-*
tur a tenebris ad lucem, et de potestate satanae
ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum,
et sortem inter sanctos per fidem, quae est in me.
De iisdem gentibus, et populo, iste vero Judaeo-
rum populus intelligitur, dixerat Dominus se se
erepturum Paulum, ad quorum aperiendos oculos
ipsum miserat: quem scilicet ex omnibus adversis

erepturus esset. Quomodo vero semper eripuit, qui tanta tam saepe perpessus, extremum capite plexus est? Est hoc ea ratione dictum, qua illud ab eodem Domino nostro: „Nolite timere eos, qui „occidunt corpus, animam autem non possunt occidere." Matth. 10. v. 28. Ista consideratione etiam sapiens, mortem, quam iustis inferrent impii, negavit esse mortem: nec ipsos tangi a morte dixit, quamvis occiderentur. „Justorum animae, „inquit, in manu Dei sunt, et non tanget illos „tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium „mori, et aestimata est afflictio exitus illorum, et „quod a nobis est iter, exterminium: illi autem „sunt in pace." Sap. 3. v. 1. 19. *Unde, rex Agrippa, non fui incredulus caelesti visioni.* 20. *Sed his, qui Damasci sunt, primum, et Jerosolymis, et in omnem regionem Judaeae, et gentibus annunciabam, ut poenitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna poenitentiae opera facientes.* 21. *Hac ex causa me Judaei, cum essem in templo, comprehensum tentabant interficere.* 22. *Auxilio autem adiutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque maiori, nihil extra dicens, quam ea, quae Prophetae locuti sunt futura esse, et Moyses.* 23. *Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annunciaturus est populo, et gentibus.* Ubi voculam, *si* Latinus interpres posuit, in Graeco est: εἰ, quae vero hic subiunctivae vocis, *quod* significationem habet: quemadmodum ista ratione etiam istius ca-

pitis versu octavo haec eadem vocula, ἐι in Graeco, et quam etiam ibi Latinus interpres vertit isto modo, quo hic, ponendo *si*, fuit usurpata. Quare Syrus locum istum sic vertit: *Testimoniumque perhibeo tum parvis, tum magnis, cum nihil extra Moysen, et Prophetas dicam, sed ea, quae ipsi praedixerunt ventura, nempe passurum Christum, futurumque primitias resurrectionis a mortuis, et praedicaturum lucem huic populo, et gentibus.*

24. *Haec loquente eo, et rationem reddente, Festus magna voce dixit: Insanis Paule. Multae te literae ad insaniam convertunt.* 25. *Et Paulus: Non insanio, inquit, optime Feste, sed veritatis, et sobrietatis verba loquor.* 26. *Scit enim de his rex, ad quem et constanter loquor. Latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum gestum est.* 27. *Credis, rex Agrippa, Prophetis? Scio; quia credis.* 28. *Agrippa autem ad Paulum: In modico svades me Christianum fieri.* In modico: Ἐν ὀλίγῳ. Sensus vero est: Aliquantulum mihi incipis persvadere, ut Christianus fiam. Ubi Interpres verbum posuit *svades*, in Graeco est, πείθεις, quod vero Graecis tam svadendi, quam persvadendi significationem habet. 29. *Et Paulus: Opto apud Deum, et in modico, et in magno*, et aliquantulum, et multum, sive potius, non tantum aliquantulum verum etiam multum, *non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his.* 30. *Et exsurrexit rex, et prae-*

ses, et Bernice, et qui assidebant eis. 31. *Et cum secessissent, loquebantur ad invicem dicentes: Quia nihil morte, aut vinculis quid dignum fecit homo iste.* 32. *Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset caesarem.*

CAPVT XXVII.

Paulus maritimo itinere mittitur Romam: eius naufragium ad Melitam insulam.

1. *Ut autem iudicatum est navigare eum in Italiam, et tradi Paulum cum reliquis custodiis centurioni nomine Julio cohortis Augustae,* 2. *adscendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Asiae loca, sustulimus*, anchoram videlicet, qua sublata navis solet committi vento ad cursum, *perseverante nobis cum Aristarcho Macedone Thessalonicensi.* Adrumetum, unde nomen navis, qua Paulus vehebatur, acceperit, est civitas in Africa, in Lybia. At vero in Graeco non est Adrumetina, sed Adramyttena navis. Adramyttum vero fuit civitas maritima Asiae in Mysia. Hinc ergo navis denominationem accepit, unde illa esset. 3. *Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humane autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, et curam sui agere.* 4. *Et inde, cum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii.* 5. *Et pelagus Ci-*

liciae, et Pamphyliae navigantes, venimus Lystram, quae est Lyciae. Lystrae non Lyciae, sed Lycaoniae fuit civitas quemadmodum est supra cap. 14. v. 6. et procul a mari. In Graeco est: εἰς Μύρα τῆς λυκίας, *in Myram Lyciae.* Eodem modo est in versione Syriaca, et apud S. Chrysostomum. Haec ergo lectio priori est anteponenda. 6. *Et ibi inveniens centurio navem Alexandrinam, navigantem in Italiam, transposuit nos in eam.* 7. *Et cum multis diebus tarde navigaremus, et vix devenissemus contra Gnidum,* promontorium hoc est e regione insulae Cretae, *prohibente nos vento, adnavigavimus Cretae, iuxta Salmonem.* Etiam istud fuit promontorium in Orientali parte Cretae. 8. *Et vix iuxta navigantes* Et aegre Graece, μόλις, praeternavigantes, *venimus in locum quemdam, qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat civitas Thalassa.* Boniportus ex Boreali parte insulae Cretae fuit portus. 9. *Multo autem tempore peracto, et cum iam non esset tuta navigatio, eo quod et ieiunium iam praeteriisset, consolabatur eos Paulus* Graece: παρῄνει *monebat* Paulus, 10. *Dicens eis: Viri, video, quoniam cum iniuria, et multo damno non solum oneris, et navis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse navigatio.* Erat ieiunium hoc apud Judaeos in die expiationis, die decima mensis septimi, quem Judaei *Tisri* appellaverunt, et tempore aequinoctii autumnalis. Hoc vero tempore periculosae iam incipiunt esse navigationes in mari. Hoc ergo erat, quod Paulus monuerat, ne ulterius

eo tempore progrederentur navigando, sed ut in eo, in quo erant loco, hiemandi causa manerent.

11. *Centurio autem gubernatori, et nauclero magis credebat, quam his, quae a Paulo dicebantur.* 12. *Et cum aptus portus non esset ad hiemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent, devenientes Phoenicem, hiemare, portum Cretae respicientem ad Africum, et ad Corum.* Phoenix fuit portus in eadem Creta insula ad eius occidentalem partem. Huc igitur volebant pervenire hiemandi causa. Africus, et Corus sunt ventorum nomina ad designandam plagam, ex qua situs esset iste portus in Creta. 13. *Adspirante autem Austro, aestimantes propositum se tenere, cum sustulissent de Asson, legebant Cretam.* Assos haec non eadem est, cuius facta est mentio supra cap. 20. v. 13. quaeque non longe sita erat a Troade: sed erat aliquod oppidum Cretae, siquidem sit eos legisse, hoc est praeternavigavisse Cretam. 14. *Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo.* 15. *Cumque arrepta esset navis, et non posset conari in ventum*, resistere vento, *data nave flatibus ferebamur.* 16. *In insulam autem quamdam decurrentes, quae vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham.* Insula fuit vicina Cretae. Graecus habet fuisse vocatam κλαύδην. Scapharum nomine intelliguntur minora navigia, quae maiori navi solent adnecti, in mari excursionum gratia. Hanc itaque vix poterant obtinere, ut eam intro traherent,

ne vi venti abriperetur. 17. *Qua sublata adiutoriis utebantur, accingentes navem, ne in syrtim inciderent, submisso vase sic ferebantur.* Scapha in navim attracta, navim instruxerunt eiusmodi praesidiis, ut si impingeret in scopulos, non conquassaretur. Istud vero fecerunt accingendo navim, hoc est, proram, atque puppim muniendo trabibus, quibus elideretur ictus, si impingeret ad saxum, atque navis ictu non dissolveretur. Vas vero submiserunt, hoc est, vela deposuerunt. Graece est σκεῦος, quo vero nomine Graece genus omne utensilium vocari consvevit.

18. *Valida autem nobis tempestate iactatis, sequenti die iactum fecerunt.* 19. *Et tertia die suis manibus armamenta navis proiecerunt,* Graece: τὴν σκευήν: quo nomine intelligitur id omne quo navis erat ornata, et instructa. 20. *Neque autem sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, et tempestate non exigua imminente,* ipsis incumbente, *iam ablata erat spes omnis salutis nostrae.* 21. *Et cum multa ieiunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, o viri, audito me, non tollere a Creta, lucrique facere iniuriam hanc, et iacturam.* 22. *Et nunc svadeo vobis bono animo esse. Amissio enim nullius animae erit ex vobis, praeterquam navis.* 23. *Adstitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, et cui deservio,* 24. *dicens: Ne timeas, Paule, caesari te oportet assistere: et ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum.* 25. *Pro-*

pter quod bono animo estote viri. Credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi. 26. *In insulam autem quamdam oportet nos devenire.* 27. *Sed posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur nautae apparere sibi aliquam regionem.* Adriae nomine mare compellatur, in quo navigarunt. Idem quod etiam modo Adriaticum appellatur. Sed secundum Strabonem mare isto nomine usque ad Joniam protendebatur. 28. *Qui et submittentes bolidem, invenerunt passus viginti, et pusillum inde separati, invenerunt passus quindecim.* Bolis est perpendiculum nauticum, quo altitudinem maris metiuntur demisso plumbo ex fune. 29. *Timentes autem, ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri.* 30. *Nautis vero quaerentibus fugere de navi, cum misissent scapham in mare, sub obtentu, quasi inciperent a prora anchoras extendere,* 31. *dixit Paulus centurioni, et militibus: Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.* 32. *Tunc absciderunt milites funes scaphae, et passi sunt eam excidere.*

33. *Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie exspectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes.* Si quatuordecim diebus nihil cibi sumpsissent, durare naturaliter in vita non potuissent. Quid igitur? Nempe istud nihil, non intelligitur prorsus nihil: sed quod vix aliquid, et nihil nota-

bile esset ob metum, et consternationem, qua angebantur. Qua ratione propter victus parcitatem Joannes Baptista quoque dicitur fuisse non manducans, neque bibens. Matth. 11. v. 18. 34. *Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peribit.* 35. *Et cum haec dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium, et cum fregisset, coepit manducare.* 36. *Animaequiores autem facti omnes, et ipsi sumpserunt cibum.* 37. *Eramus vero universae animae in navi ducentae septuaginta sex.* 38. *Et satiati cibo alleviabant navim, iactantes triticum in mare.* 39. *Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant: sinum vero quemdam considerabant habentem litus, in quem cogitabant, si possent, eiicere navem.* 40. *Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes iuncturas gubernaculorum, et levato artemone secundum aurae flatum tendebant ad litus.* Artemon est genus aliquod veli, quod in posteriore parte navis appenditur. Hoc igitur nunc adhibuerunt expeditioris cursus gratia ad litus, quo tendebant, et cuius rei gratia etiam remos, et gubernacula laxaverunt, quo celerius moverentur, navisque velocius impelli posset. 41. *Et cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem: et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi maris.* Dithalassus est vox Graeca et significat quasi bimare, vel duplex mare. Erat scilicet locus e continente prominens, ad mareque

intro pertinens, qui utrinque fluctibus allueretur, et verberaretur. Huc igitur inciderunt. 42. *Militum autem consilium fuit, ut custodias occiderent, ne quis, cum enatasset, effugeret.* 43. *Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri, iussitque eos, qui possent natare, emittere se primo, et evadere, et ad terram exire.* 44. *Et ceteros alios in tabulis ferebant, quosdam super ea, quae de navi erant:* Scilicet, transtra, remos, aliaque quae haberi possent ex navi, adhibuerunt ad enatandum. *Et sic factum est, ut omnes animae evaderent ad terram.*

CAPVT XXVIII.

A Melitensibus Paulus, ceterique benigne habentur. Publii, qui princeps in ea insula erat, patrem febricitantem curat, itemque aegros alios multos, qui ad eum ex tota insula deportabantur. Romae Paulus excipitur ab obviam sibi venientibus Christianis. Ad custodiam vero positus, et concessa facultate adeundi ad eum omnibus, qui vellent; primores Judaeorum ad se vocat, et causam cur vinctus a Romanis missus sit, ipseque caesarem appellaverit exponit. Cumque illis verba de fide in Christum fecisset; aliqui crediderunt, alii contradixerunt. Biennium servatur Romae in custodia, et accedentes ad se omnes libere docet.

1. *ET cum evasissemus, tunc cognovimus, quia Melita insula vocabatur. Barbari vero praesta-*

bant non modicam humanitatem nobis. 2. *Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, et frigus.* 3. *Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, et imposuisset super ignem; vipera a colore cum processisset, invasit manum eius.* 4. *Ut vero viderunt barbari pendentem bestiam de manu eius, ad invicem dicebant: Utique homicida est homo hic. Qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere.* 5. *Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.* 6. *At illi existimabant eum in tumorem convertendum, et subito casurum, et mori. Diu autem illis exspectantibus, et videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se, dicebant eum esse Deum.* 7. *In locis autem illis erant praedia principis insulae, nomine Publii, qui nos suscipiens, triduo benigne exhibuit.* 8. *Contigit autem, patrem Publii febribus, et dyssenteria vexatum iacere. Ad quem Paulus intravit: et cum orasset, et imposuisset ei manus, salvavit eum.* 9. *Quo facto, omnes, qui in insula habebant infirmitates, accedebant, et curabantur.* 10. *Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, et navigantibus imposuerunt, quae necessaria erant.* 11. *Post menses autem tres navigavimus in navi Alexandrina, quae in insula hiemaverat, cui erat insigne Castorum.* Graece, Διοσκέρων: Dioscuri autem erant Castor, et Pollux, duo gentilium numina e genere semideorum. 12. *Et cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo.*

13. *Inde circumlegentes devenimus Rhegium, et post unum diem flante Austro, secunda die venimus Puteolos.* Syracusae princeps civitas fuit in Sicilia. Rhegium, et Puteoli iam erant civitates ipsius Italiae. 14. *Ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem, et sic venimus Romam.* 15. *Et inde* (Roma) *cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii forum, ac tres Tabernas.* Haec quoque locorum in Italia sunt nomina. *Quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.*

16. *Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo, manere sibimet cum custodiente se milite.* 17. *Post tertium autem diem convocavit primos Judaeorum. Cumque convenissent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Jerosolymis traditus sum in manus Romanorum.* 18. *Qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me.* 19. *Contradicentibus autem Judaeis, coactus sum appellare caesarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare.* 20. *Propter hanc igitur causam rogavi vos videre, et alloqui. Propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum.* Israel sperabat, et exspectabat Christum, quem sibi habebat promissum. Christi autem causa in illa catena fuit Paulus. Ergo propter eum, qui spes erat Israel, vincula illa tulit. 21. *At illi dixerunt ad eum: Nos neque literas accepimus de te a Judaea,*

neque adveniens aliquis fratrum nunciavit, aut locutus est quid de te malum. 22. *Rogamus autem a te audire, quae sentis. Nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* 23. *Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat, testificans regnum Dei, svadensque eis de Jesu ex lege Moysi, et Prophetis, a mane usque ad vesperam.* 24. *Et quidam credebant his, quae dicebantur; quidam vero non credebant.* 25. *Cumque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros,* 26. *dicens: Vade ad populum istum, et dic ad eos: Aure audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non perspicietis.* 27. *Incrassatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.* Isa. 6. v. 9. Hoc, quod Paulus illis dixit, non unum verbum fuit, sed e pluribus constitit. In Graeco est: ῥῆμα ἕν: *unum dictum.* 28. *Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient.* 29. *Et cum haec dixisset, exierunt ab eo Judaei multam habentes inter se quaestionem.* 30. *Mansit autem biennio toto in suo conducto.* Nempe Paulus non in carcerem erat positus, sed ubi maneret, hospitium ipse sibi conduxerat, ita tamen, ut catenam ge-

reret, atque miles eum custodiret. Quare Syrus vertit: „Conduxit autem sibi Paulus aere suo ae„des, in eisque egit biennium.“ *Et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum,* 31. *praedicans regnum Dei, et docens, quae sunt de Domino nostro Jesu Christo cum omni fiducia sine prohibitione.*

EPISTOLA

EPISTOLA
B. PAULI APOSTOLI
AD ROMANOS.

PRAEFATIO.

EPISTOLAS S. Paulus habet quatuordecim. Inter has prima est ad Romanos: non quod omnes alias tempore antecesserit; sed ob Ecclesiae Romanae dignitatem, ad quam scripta est. Nam scriptam esse post utramque ad Corinthios, inde docet S. Chrysostomus in Prooemio suarum Homiliarum in Epistolas S. Pauli, quod ad quas eleemosynas conferendas pro Jerosolymitanis fidelibus fideles in Macedonia, atque Achaja adhortatus erat in Epistolae secundae ad Corinthios capite octavo, et nono; cum his iisdem, cum iam essent collectae, in huius Epistolae suae ad Romanos capite 15. v. 25. demonstret se iturum, easque, perlaturum Jerosolymam. Etiam Epistolam priorem ad Thessaloni-

censes non tantum ante hanc ad Romanos, verum etiam ante utramque ad Corinthios esse a Paulo datam intelligitur ex collatione huius primae ad Thessalonicenses episolae capitis 3. versus 1. cum decimo septimo, et decimo octavo capite Actuum Apostolicorum. Athenis enim illam epistolam ad Thessalonicenses dedit, cum Corinthi nondum aliqua Ecclesia fuisset, et ab Atheniensibus tantum ad Corinthios Evangelii praedicandi causa deinde Paulus se se contulisset. Sed aliis etiam epistolis hanc ad Romanos tempore posteriorem esse, manifestum fiet tum, cum de singulis epistolis, speciatim in earum praefationibus dicetur, et earum tempus, quo scriptae sint, inquiretur. *Nemo autem hunc laborem*, ait S. Chrysostomus in iam laudato Prooemio *extra rem esse, neque hanc disquisitionem superfluam, et ex curiositate fieri putet. Nam epistolarum tempus non parum ad quaesita solvenda confert. Cum enim video Paulum Romanis, et Colossensibus de iisdem rebus scribere, neque tamen simili modo, sed illis cum indulgentia magna, ut cum dicit: Infirmum vero in fide assumite, non in disceptationibus rationum: alius quidem credit se comedere posse omnia, qui autem infirmus est, olera manducet*, Rom. 14. v. 1. *Colossensibus autem de iisdem rebus non ita loquitur, sed cum maiore libertate: Si mortui estis*, inquit, *cum Christo, ab elementis mundi cur adhuc, tamquam viventes in mundo decernitis, ne tetigeritis, ne gustaveritis, ne contrectaveritis*, Colos. 2. v.

20. *non aliam huius differentiae causam invenio, quam rerum, et temporis conditionem. Initio quippe indulgentia uti oportebat, sequenti vero tempore non item.*

Corintho esse datam hanc ad Romanos epistolam, probat Origenes in sui Commentarii ad hanc epistolam praefatione, quod missa sit per Phoeben feminam fidelem, quae erat in ministerio Ecclesiae, quae erat in Cenchris, siquidem eam Paulus Romanis, ut eam benevole excipiant, commendet huius epistolae capite 16. versu 1. Cenchrae autem fuit oppidum prope Corinthum, et portus iam ipsius Corinthi: item quod Paulus Romanos salutet Caii hospitis sui nomine capite 16. v. 23. Is vero habitaverit Corinthi, quem Paulus a se baptizatum esse doceat epistolae suae primae ad Corinthios capite 1. v. 14. Scripta vero est anno Aerae Vulgaris 54, Christi 58, ut quidem Chronologi in hunc annum iter illud S. Pauli conferunt, dum cum eleemosynis ex Achaja, et Macedonia collectis profectus esset Jerosolymam, et de quo Pauli itinere Actuum Apostolicorum caput tractat vicesimum primum. Mileto autem ingressus est hocce iter, sed cum paulo ante peragrasset Macedoniam, atque Graeciam. Tum ergo ex Graecia, et Corintho misit hanc ad Romanos epistolam.

Pertinet epistola generatim ad fideles, qui erant Romae, et quorum alii ex Judaeis, alii ex gentilibus erant ad fidem conversi. Nam Judaeos etiam fuisse, quique ibi habitarent etiam ex Actuum Apo-

stolicorum ultimo capite, ubi est Paulum, ubi Romam perductus esset, ad se convocavisse primores Judaeorum, in comperto est. Causam, quae Paulum moverit ad scribendum, explicat S. Augustinus in sua huius Paulinae epistolae inchoata expositione. *In Epistola*, inquit, *quam Paulus apostolus scripsit ad Romanos, quantum ex eius textu intelligi potest, quaestionem habet talem: Utrum Judaeis solis Evangelium Domini nostri Jesu Christi venerit propter merita operum legis, an vero nullis operum meritis praecedentibus, omnibus gentibus venerit iustificatio fidei, quae est in Christo Jesu, ut non, quia iusti erant homines, crederent, sed credendo iustificati, deinceps iuste vivere inciperent. Hoc ergo docere intendit, venisse gratiam Evangelii Domini nostri Jesu Christi. Quod propterea etiam gratiam vocari ostendit, quia non, quasi debitum iustitiae redditum est, sed gratuito datum. Coeperant enim nonnulli, qui ex Judaeis crediderant, tumultuari adversus gentes, et maxime adversus apostolum Paulum, quod incircumcisos, et legis veteris vinculis liberos admittebat ad Evangelii gratiam praedicans eis, ut in Christum crederent, nullo imposito carnalis circumcisionis iugo. Sed plane tanta moderatione, uti nec Judaeos superbire permittat, tamquam de meritis operum legis; nec gentes merito fidei adversus Judaeos inflari, quod ipsi receperint Christum quem illi crucifixerunt: tamquam enim, sicut alio loco dicit* (2. Cor. 5. v. 20. Eph 2. v. 20.) *pro ipso*

Domino legatione fungens, hoc est pro Lapide angulari, utrumque populum tam ex Judaeis, quam ex gentibus connectit in Christo per vinculum gratiae, utrisque auferens omnem superbiam meritorum, et iustificandos utrosque, per disciplinam humilitatis associans.

Istud vero primarium epistolae argumentum Paulus sic tractat, ut omnium primo demonstret, neminem fuisse sine peccato, et gentiles sine lege peccatores, et Judaeos legis praevaricatores, atque adeo indignos fuisse omnes gratia. Ubi hoc demonstrasset a capitis 3. versu 19. docet iustificationem esse per fidem gratuitam. Id quod capite 4. probat exemplo Abrahae, cui fides sit reputata ad iustitiam, cum circumcisus nondum esset. Ad causam deinde ipsam capite 5. atque ad fontem venit peccati originalis, unde illa indignitas fluxerit, in quam genus humanum incidit erga Deum, ut non aliud, quam supplicium, et mortem mereatur, et unde nisi gratia Jesu Christi nos liberet. Hoc dum agit, ut demonstret ad caput usque 8. declarat deinde, quis sit effectus gratiae, et Spiritus Christi habitantis in nobis. Nec alios, quam quos Deus gratuito elegit, docet pervenire ad hanc gratiam. Ab hac vero eorum, qui electi a Deo sunt, praedestinatione transit capite 9. ad Judaeorum reprobationem, et tam praedestinationem, quam reprobationem in Dei voluntatem refundit. Iustificationis gratiam, quae subtracta sit Judaeis, docet capite 10. collatam esse, et effusam in omnes gen-

tes. Eumdem vero Deum capite 11. demonstrat iterum propitium futurum Judaeis, atque, ubi plenitudo gentium intraverit, totum Israelem salvandum. Cur autem Deus alios vocando, et impertiendo gratiam, alios excludendo ab eadem gratia, et reprobando sic agat, atque istis se iustum, illis misericordem praebeat, incomprehensibilia esse iudicia eius. Hic terminatur argumentum, quod dixi epistolae primarium de gratia, et iustificatione. Nam deinceps ab initio capitis 12. usque ad versiculum 8. capitis 15. documenta tradit vitae Christianae moralia de abstractione sui ab amore seculi, de charitatis officiis, cum aliis, tum ipsis etiam inimicis exhibendis, de debita subiectione erga magistratus, et principes, de cavendis scandalis, atque offendiculis erga infirmos in fide. Per reliquam vero partem illius eiusdem capitis 15. cum illud iterum repetiisset, quod erat caput epistolae, gratuitam esse vocationem ex Dei promissione erga Judaeos, et misericordia erga gentiles, suum declarat desiderium videndi Romanos, atque etiam suum illis adventum pollicetur. Demum capite 16. cum Phoeben illis feminam commendasset, cuius iam superius mentionem feci, salutationes partim suo, partim aliorum nomine adscribit erga Romanos. Sic se habet tota epistola.

Cuius argumentum de gratia, et iustificatione cum altum per se, ac subtile sit; non etiam ab Apostolo sic explicatur, ut quod dicitur, satis planum, atque apertum sit, propterea quod posi-

tis rationibus, unde conclusiones facit, ad has non pedetentim descendat, sed quosdam gradus, per quos descendendum est, transiliendo: et quae in medio ratiocinationis positae res nisi pervideantur, et explicentur, totum manet in obscuro, quod demonstratur. Est non tantum haec reliquis Pauli epistolis difficilior, sed unus etiam e Scripturae libris difficillimis, ut de epistolis Pauli Petrus loquens ad hanc cumprimis digitum intendisse videatur, cum dixit, esse in his omnibus quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem, 2. Petr. 3. v. 16. Quare, quam operosum esset, hanc epistolam tractare, et explicare, ipsi Patres, qui summi ingenio, atque in sacris Literis, omnique scientia exercitatissimi erant, non dubitarunt etiam de se confiteri. S. Hieronymus in Epistola ad Algasiam, *Si voluero*, inquit, *cuncta disserere, nequaquam mihi unus liber, sed multa, et magna erunt scribenda volumina.* S. Augustinus cum ipsius expositionem suscepisset, post septimi versiculi illa verba: *Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo*, substitit, nec ultra progressus est, incoeptumque laborem reliquit. Cuius omissionis illam causam fuisse dicit Retractationum lib. 1. cap. 25. *Quod huius operis, si perficeretur, plures libri erant futuri, quorum unum*, inquit, *in sola disputatione ipsius salutationis absolvi. Sed deinde alia volumina cessavi adiungere exponendo Epistolam totam, ipsius*

operis magnitudine, ac labore deterritus. In operibus autem suis, quae scripsit contra Pelagianos non magis aliunde, quam ex Paulo depromptis argumentis pro gratia adversus illius hostes dimicavit. Ex Patribus autem, qui presse in hanc ad Romanos Pauli, ceterasque eius epistolas interpretationem fecissent, eminet unus omnium, et exsplendescit maxime S. Chrysostomus. Quorum ego vestigia Chrysostomi videlicet, et Augustini in illis etiam ipsius operibus, quae edidit de Gratia, tamquam discipulus, si tamen hoc ipso etiam nomine dignus aliquomodo sum, summa diligentia, atque fide studebo premere, atque persequi.

Tam haec, quam reliquae omnes Pauli epistolae scriptae sunt idiomate Graeco. Quae lingva ipsis etiam Romanis, illa aetate, iam adeo facta fuerat familiaris, ut Juvenalis Satyra sexta illis exprobret, atque vitio det, quod Graecae lingvae studio dediti ignorarent Latinam. Et cum tam ad eos, qui origine essent Romani, quam ad Judaeos, qui Romae domicilium haberent, scripta haec ad Romanos sit epistola, et Judaei ii, qui sparsi per orbem essent, Graece omnes loquerentur; intelligitur, cur adhibenda haec Apostolo lingva ad scribendam hanc epistolam fuerit, utpote, quae utrisque, ad quos scriberetur, communis esset. Sed et idiotismi lingvae Graecae, et quod nullum uspiam, ne per famam quidem vestigium exstet ex omni antiquitate de exemplari aliquo Latino, quod non versum fuisset, confirmant scriptam esse

Graece. Quamobrem nec Salmeron, quod Tomi sui primi Prolegomeno 35. propter convenientiam ad Latinos scribendi Latine, posuit scriptam esse hanc ad Romanos epistolam lingva Latina; nemini, quantum scio, opinionem hanc adhuc suam probavit.

CAPVT I.

Gratias agit Deo, quod ad fidem vocaverit Romanos, seque ipsum paratum offert ad Evangelium iisdem praedicandum, in quo Dei iustitia reveletur. Arguit eos omnes, qui Deo ex creaturis agnito, non ut dignum erat, gloriam tribuerint, sed pro Deo simulacra hominum, et brutorum coluerint: et quos propterea Deus suae libidini, ut in seipsos agerent inconvenienter, dereliquerit.

1. *PAULUS, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei,* 2. *quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis* 3. *de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem,* 4. *qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri,* 5. *per quem accepimus gratiam, et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius,* 6. *in quibus estis et vos vocati Jesu Christi,* 7. *omnibus, qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis, gratia vo-*

bis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Paulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus: Quemadmodum mos ferebat ea aetate scribendi literas; ita ipse quoque in principio epistolae nomen suum ponit, seipsumque declarat, quid esset, qui scriberet, Paulus. Vocatum autem se esse ad apostolatus munus dicit: „Nec enim „quisquam sibi sumit honorem, sed qui vo„catur a Deo, tamquam Aaron:“ Hebr. 5. v. 4. atque ipse factus est Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem. Gal. 1. v. 1. *Segregatus in Evangelium Dei:* „Qui me, inquit idem Paulus ad Ga„latas cap. 1. v. 15. segregavit ex utero matris „meae, et vocavit per gratiam suam, ut reve„laret Filium suum in me (per me) ut evangeli„zarem illum in gentibus.“ Neque vero maternus ipsius uterus tamquam terminus cogitandus est, et quasi Pauli segregatio ad Evangelium, atque destinatio tum facta esset. Nam si generatim de fidelibus omnibus loquitur ad Ephesios cap. 1. v. 4. esse hos electos a Deo ante mundi constitutionem, quanto minus huius rei dubium esse potest de Paulo, qui vas electionis meruit singulariter appellari. Act. 9. v. 15. Nec Dei consilium, quo Paulum segregavit, novum, atque recens fuit, et a Deo tum tantum susceptum, dum Paulus gestaretur in utero materno. Quod enim in Deo consilium, et quae voluntas est, quae non sempiterna esset? *Quod ante promiserat per prophetas suos in Scri-*

pturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri. Hoc: *Jesu Christi Domini nostri*, ab Latino interprete in genitivo casu positum, non bene cohaeret cum oratione antecedente. Idem enim, qui factus est ex semine David, qui praedestinatus est Filius Dei; est Jesus Christus Dominus noster. Itaque haec omnia in Graeco sunt in eodem casu hocce modo: *περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμι, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, de filio suo facto ex semine David secundum carnem, praedestinato Filio Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, Jesu Christo Domino nostro.* Qui factus est ei, pronomen *ei*, quemadmodum non est in textu Graeco, ita nec existit in versione aliqua vetere Orientali: sed neque in omnibus editionibus Latinis reperitur: eumdemque locum sic sine pronomine non tantum legit S. Chrysostomus, verum etiam Tertullianus adversus Praxeam cap. 27. Latinus igitur Interpres maioris tantum claritatis causa addidit hocce pronomen, quo apertius exhiberetur una, eademque Dei Filii in Christo persona, ut quamvis haec nativitas ex semine David secundum carnem pertineret ad humanam eius naturam; tamen nec ista ratione humanae naturae alter in Christo

esset hominis, et alter Dei Filius, sed in duabus naturis unus idemque Dei Filius, quique Deo Patri aeterna generatione aequalis, iterum secundum naturam humanam natus sit ei in tempore ex Maria Virgine. *Qui factus est*, Graece, γενομένε, Graecis hoc verbum significat et nasci, et fieri. Quamobrem Syrus vertit: *De Filio suo, qui genitus est, et provenit ex semine Davidis in carne humana.* Nec tamen verbum: *Factus est*, aliquod etiam offendiculum parere debet de Christo. Dici enim hoc etiam potest de natura eius hamana, quae omnino facta est; et cuius humanae naturae ratione Dei Filius, quam assumpsit, factus homo est. *Qui praedestinatus est Filius Dei*, Graece: τοῦ ὁρισθέντος ὑιȣ̃ Θεȣ̃, Graecum verbum autem ὁρίζω significat definire, declarare, ut ipsum quoque vocabulum: *definitio*, sumimus pro explicatione, dum dicere volumus, quid res aliqua sit. Sed et ipse Interpres Latinus Actorum cap. 2. v. 23. „Hunc definito consilio, et praescentia Dei tradi„tum" Et rursum cap. 17. v. 26. „Definiens „statuta tempora" cum utrobique in Graeco verbum ὁρίζω esset, istud sic vertit. Dicitur deinde Christus praedestinatus, sive, ut ego iuxta Graecum dixi esse intelligendum, declaratus esse Filius Dei *in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Atqui Christus per suam resurrectionem a mortuis tantum fuit declaratus, non praedestinatus Filius Dei. „Quid sibi vult „illud definitus? (ὁρισθέντος) quaerit S. Chrysosto-

„mus homil. 1. in Epist. ad Rom. ac postea sic re-„spondit: Declaratus, indicatus, confessus omnium „iudicio, et calculo a prophetis, ab inexspectato „ortu secundum carnem, a potentia signorum, a „Spiritu, per quem sanctificationem dedit, a re-„surrectione, qua mortis tyrannidem solvit.“ Declaratus ergo dicitur Christus esse Filius Dei *in virtute secundum Spiritum sanctificationis*, hoc est, per virtutem, quae est secundum Spiritum sanctificantem, vel adhuc apertius, quae est secundum Spiritum sanctum: ita ut utrobique in Graeca Pauli oratione Hebraismus sit, praepositionem *in* ponendo loco praepositionis *per*, cuius rei iam alibi etiam exempla plurima fuerunt, et nomen substantivum usurpando in locum adiectivi: quemadmodum ista ratione: urbs fortitudinis pro urbe forti, vir roboris pro viro robusto, ut plena est Scriptura eiusmodi exemplis, solent usurpari. Itaque et Arabs, et Syrus simpliciter hic Spiritum sanctum verterunt. Per Spiritus sancti ergo virtutem Christus declaratus est Filius ex resurrectione mortuorum, sive ut S. Petrus 1. Epist. cap. 1. v. 3. aliter expressit *ex mortuis*, ἐκ νεκρῶν: dum ipsum videlicet mortuum, atque tumulatum ex numero ceterorum mortuorum, tamquam dormientium omnium primitias, ad vitam suscitasset. Etiam Actorum capite 13. v. 32. idem S. Paulus, et Actorum capite 2. versu 32. S. Petrus resurrectionis documentum adhibent, quo utantur velut certissimo argumento ad demonstrandum, Jesum esse illum, qui per Scripturas promissus es-

set Christus, quemque Deus ideo a morte suscitaverit, quod esset Filius ipsius.

Fuitne autem etiam Christus a Deo praedestinatus? Nam hoc ipsum memini me iam docuisse alicubi, et asseruisse. Divinam praedestinationem sic definit S. Augustinus de Dono Perseverantiae cap. 17. „Namque, inquit, in sua, quae falli, „mutarique non potest, praescientia, opera sua „futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam „est praedestinare.“ Potestne autem aliquod esse dubium, quin Deus Incarnationis, et humanae redemptionis opus per Christum eo modo, quo factum est, in sua praescientia ab aeterno disposuerit? Dum ergo Jesus Christus dicitur Filius Dei esse declaratus ex resurrectione mortuorum; tanto magis intelligitur fuisse a Deo praedestinatus. Neque enim declarari potuisset, nisi reipsa Dei Filius fuisset. Neque etiam ille homo, qui fuit in Christo, factus Dei Filius fuisset, nisi hoc, ut fieret, praedestinatum a Deo fuisset. Quare S. Augustinus de Praedestinatione Sanctorum cap. 15. non tantum hoc testimonio Pauli docet Christum esse praedestinatum, verum etiam nostrae praedestinationis absque ullis nostris praecedentibus meritis, quibus Deus motus sit ad nos praedestinandos, clarissimum lumen. „Est etiam, ipsius sunt verba, prae„clarissimum lumen praedestinationis, et gratiae „ipse Salvator, ipse Mediator Dei, et hominum „homo Christus Jesus. Qui, ut hoc esset, quibus „tandem suis vel operum, vel fidei praecedentibus

„meritis natura humana, quae in illo est, compa„ravit? Respondeatur, quaeso, ille homo, ut a „Verbo, Patri coaeterno in unitatem personae as„sumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc „meruit? Quod eius bonum qualecumque praeces„sit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, „ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveni„ret? — — — Appareat itaque nobis in nostro „capite ipse fons gratiae, unde secundum uniuscu„iusque mensuram se per cuncta eius membra dif„fundit. Ea gratia fit ab initio fidei suae homo qui„cumque Christianus; qua gratia homo ille ab ini„tio suo factus est Christus. De ipso Spiritu et hic „renatus, de quo est ille natus: eodem Spiritu fit „nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum „est, ut nullum haberet ille peccatum. Haec se „Deus esse facturum profecto praescivit. Ipsa est „igitur praedestinatio Sanctorum, quae in Sancto „sanctorum maxime claruit: quam negare quis pot„est recte intelligentium eloquia veritatis? Nam „et ipsum Dominum gloriae, in quantum homo fa„ctus est Dei Filius, praedestinatum esse didi„cimus."

Per quem accepimus gratiam, et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius. De se loquitur Paulus, in numero vero plurali, tamquam qui unus e reliquorum Apostolorum choro sit, eamdemque apostolatus gratiam, quam reliqui apostoli, consecutus a Deo per Christum sit. Cuius vero rei gratia? ad obediendum fidei in

omnibus gentibus, ut omnes gentes credant Evangelio. Deinde se dicit accepisse apostolatum pro nomine eius: hoc est, pro ipso Christo, per quem accepit apostolatum. „Pro Christo enim, inquit, „legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per „nos.“ 2. Cor. 5. v. 20. *In quibus estis et vos vocati Jesu Christi:* In quibus gentibus, quae ut fidei obedirent, apostoli constituti, et ad eas missi sunt; estis et vos Romani, vocati Jesu Christi: quos scilicet Christus suos effecerit per suae vocationis gratiam. *Omnibus, qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis.* Hoc nectitur cum primis verbis Epistolae: *Paulus servus Jesu Christi*, pertinetque ad inscriptionem ipsius epistolae. Inter initium vero, atque finem istius inscriptionis haec interiecta fuerunt, de quibus modo fuit ad declarandum, quodnam esset illud Dei Evangelium, ad quod se Paulus Apostolum vocatum, et segregatum una cum suo nomine posuerat. *Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.* Est salutatio, quam moris esset in principio epistolarum praemittere, sed verbis concepta Christianis.

8. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in universo mundo.* Observavit hic acute S. Chrysostomus homil. 2. fidem Romanorum esse a Paulo memoratam, quae annuncietur in toto mundo. „Fides, inquit, vestra annunciatur in „toto mundo: Fides, non disceptationes, non quae-

„stiones,

„stiones, non syllogismi:“ Quemadmodum iam nunc e contrario nihil hominibus levissimis in Religione placet credere, nisi hoc illi prius ad ingenium suum mensurent. Fidem Apostoli non illorum arbitrio, quibus eam praedicaverunt, et ingenio discutiendam commiserunt, sed cum illius veritatem certissimis notis, atque characteribus prodigiorum, propheticorumque oraculorum testimoniis demonstrassent; assensum deinde ab his, quos docuerunt, exegerunt: sin minus, in sua eos caecitate, qui suae prudentiae vellent inniti, reliquerunt. Ingenione suo aliquis, ac ratione definiet omnino Deum eumdem, unum in essentia, esse trinum in Personis, et Filii Dei esse factam incarnationem, quemadmodum fides Catholica docet? Et quomodo Religionis revelatae a Deo aliqua erunt mysteria, si ea, quae ad credendum proponuntur, omnia eiusmodi putantur esse oportere, ad quae capienda ipsa ratio, atque hominis mens possit pertingere, atque sufficere? Aut Religioni ne denegabitur illa dignitas, ut nihil eiusmodi offerre ad credendum debeat, quod esset Divinius, atque supra humani ingenii captum, et comprehensionem? Praestabilius igitur erit nequidem via revelationis illa de Deo cognoscere, quo perveniri sola ratione non potest, atque melior erit illius, quod homini summum bonum est, ignoratio, quam huius per revelationem cognitio? Quid si autem, ut reipsa sic est, Deus, qui hominis Creator, et Dominus est, hominem ista lege circumscripsit, ut ad felicitatem, ad quam illum condidit, alia

via quam revelationis pertingere non possit, prudentiane erit, eligere potius ignorantiam, ne cuipiam veritati mentem subiiciat, quam non comprehendit, et iacturam illius felicitatis facere, ad quam hominem Deus per viam revelationis ducit; quam revelante Deo illa cognoscere, quae per seipsam mens attingere non potest, et quorum cognitio illum felicem, atque beatum efficiat? Equidem non crederem aliquos esse, qui Deo etiam vellent praescribere, ne ab homine exigat eiusmodi Religionem, in qua credere oporteat mysteria. „O homo, tu „quis es, dicit infra Paulus cap. 9. v. 20. qui re„spondeas Deo?"

Sed inquient, cur ergo Deus homini dedisset rationem, si eum nollet uti ratione? Et quid magis est rationale, quam Deo asseveranti credere, etiamsi tu mente illud non concipias? An in humanis rebus humana auctoritas valebit, ut credatur illud, quod fide dignis testibus comprobatur, etiamsi tu illa, quae dicuntur, propriis sensibus non perceperis, et non tantumdem in Divinis, captumque nostrum excedentibus rebus, auctoritati tribuendum erit Divinae? Quare tibi etiam oculi corporis sunt, si tamen credis, et tam multa credis, quae tu ipse tuis oculis non vidisti, tantum ideo, quia ab aliis, qui illa viderunt, narrantur? Et in quem tandem finem ratio tibi data est, ut more aliorum animalium, et quadrupedum mente humi haereas, in terrenisque tantum fixus sis, an ut agnoscas Deum, atque intelligas, quae illius sit dignitas, et magnitudo, emi-

nereque illum supra te, atque omnem creaturam tantum, quantum non caelum distat a terra, sed intervallo prorsus infinito? Nam, si Deum infinitum non cogitas, et non agnoscis; nec tu illum quidem, qui Deus est, ullatenus mente, atque cogitatione attigisti. Qui enim infinitus non est, nequidem Deus est. Si vero infinitum agnoscis, qua ratione tibi sumere potes, ut quod infinitum est, decempeda tuae rationis metiaris, nisi fortasse ita sine ratione es, ut aut infinitum a finito, qualis es tu, comprehendi posse putes; aut teipsum infinitum, ac proinde etiam Deum infinita tua stultitia facias. Quod si autem maxime secundum rationem est, Deo, eiusque revelationi fidem, atque assensum adhibere, etiamsi res eiusmodi ad credendum proponantur, quae mentis, atque ingenii captum excedunt, siquidem illud rationale sit, cum parvitatem suae mentis homo agnoscit, ut se subiiciat Deo, cuius infinita magnitudo est, nec ad ea se velit erigere, quae infinito intervallo supra ipsum sunt, consequens est, ut contra rationem, et stultum sit non credere, quae a Deo sunt revelata, dum Divina eorum revelatio certis documentis, atque indiciis comprobatur.

Quidquid vero secundum Evangelium credimus; id omne in illis libris Scripturae sacrae, quos Judaei iam ante Christi adventum habuerunt, continebatur: omnia, quae in lege, et Prophetis ostendebantur esse futura, ea cernuntur per Evangelium esse impleta: et ne viderentur illa tunc tantum es-

se scripta, quae in Evangelio leguntur esse facta, libros illos ipsi exhibent sibi a maioribus suis ab illis antiquissimis ante Christum natum temporibus traditos, et apud se semper summo studio conservatos, Judaei, caeci ad illas prophetias, et Christianae Religionis hostes. Si haec non per Divinam revelationem fuerunt praedicta, sequitur, ut Judaei illa suo ingenio confinxerint. Et quomodo illa tam adcurate tangere, et praedicere potuissent? et cur illa confinxissent, quae tamen postea ipsi, ubi evenissent, credere noluerunt? Non illa ergo, quae de Christo in veteri Testamento sunt praedicta, et per typos tam affabre depicta, ac delineata, sunt humanae mentis, sed Divinae revelationis opificium. Ergo quod Evangelium de Christo Divinae praedictionis charactere insignitum est, siquidem ea, quae futura sunt, quaeque cum ordinario cursu rerum in mundo nexum aliquem necessarium non habent, ab alio, quam a Deo praevideri, atque praedici non possint, certum etiam est, Divinae esse auctoritatis. Quid, quod idem Evangelium non tantum a Christo cum aliis innumeris prodigiis, quae ante mortem suam patravit, tum propria resurrectione, verum etiam per Apostolos, dum illud praedicassent, miraculis, quae naturae vires omnes superarent, et nonnisi virtute Divina fieri poterant, confirmatum sit? Scilicet haec omnia dicent esse conficta tantummodo.

Sed fingant sibi haec prodigia omnia esse conficta, ad istud enim figmentum, ne vi veritatis vi-

cti esse videantur, solent recurrere, quid facient de illis praedictionibus, et Prophetarum oraculis, quibus ea, quae gesta per Dominum nostrum Jesum Christum in Evangelio exhibentur, tanto antea, et tam manifeste praemonstrata sunt? num etiam ista suo figmento dicent esse conficta? et si prodigia ab Apostolis tantum essent conficta, quomodo duodecim homines, iique rudes, et piscatores totum mundum, quamvis eorum praedicationi vi omni ubique resisteretur, ad credendum figmentis inducere potuerunt? Illisne omnibus furfures pro cerebro fuerunt, qui se decipi tam facile, et inconsiderate permiserint, aut potius, qui ita loquuntur, absque cerebro sunt? Et quibus tandem praemiis, qua spe, aut voluptatum illecebris allecti, ad Christianam Religionem deserta avitica convolarunt, ut Christum crucifixum pro Deo susciperent, Judaeis scandalum, gentibus stultitiam, atque ita susciperent, ut ne tormenta quidem, et atrocissima supplicia, quibus in Christianos ubique est saevitum, Religionis istius causa reformidarent? Non tot illi omnium nationum homines omnis aetatis, et ordinis, nec tantum rudes, verum etiam scientiis exculti, et philosophi, cum Evangelicae praedicationi cederent, et fidem, quae Divinae revelationis tam manifestis documentis esset instructa, fidem susciperent, stulti, atque sine mente fuerunt. Si vero hi, qui Evangelio crediderunt, sapientes in credendo fuerunt; quid nisi amentes, et stulti sunt, qui non credunt? Fidesne autem Romanorum, et fama de eorum fide fuit di-

vulgata per totum mundum? Nempe per totum mundum, quousque Romani imperii fines se se protenderent: quemadmodum ea descriptio, quam Augustus caesar imperaverat, etsi extra eius imperium, ubi nihil iuris habebat, non esse facta, tamen Lucae cap. 2. v. 1. dicitur toti orbi esse imperata. Fiebat Romam, ubi sedes erat imperii, non tantum omnium nationum, quae in Romano imperio erant, concursus; sed eo legationes quoque exterarum gentium conveniebant. Cum ergo Christiana Religio Romae percrebuisset, per eos, qui Romam venerant, fama illius spargebatur undique per omnes totius imperii provincias, et ipsas exteras etiam regiones.

9. *Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio:* 10. *semper in orationibus meis, obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam, in voluntate Dei, veniendi ad vos.* Cui servio in spiritu meo: servitium intelligitur, quod fieret a Paulo ex animo. Sic namque ipse Ephesiis etiam praescribebat: „Ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex „animo.“ Eph. 6. v. 6. et quomodo Christus docebat Deum esse adorandum: „Spiritus, inquit, est „Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu, et ve„ritate oportet adorare.“ Joan. 4. v. 24. Sine intermissione autem se se illorum memoriam facere testabatur, qui scilicet, ut deinde e vestigio, declarationis causa, subsequitur, semper in suis ora-

tionibus Deum obsecraret, uti per eius voluntatem Romam sibi veniendi facultas contigeret.

11. *Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos,* 12. *id est, simul consolari in vobis, per eam, quae invicem est, fidem vestram, atque meam.* Quam prius gratiam spiritualem vocavit ad confirmandos Romanos; hanc deinde aliis verbis vocat consolationem ex mutua collatione suae cum illorum fide. Nempe utrumque hoc cum idem esset, alterum tamen istud lenius est dictum, ne sibi supra Romanos magisterium videretur insolentius arrogare, illosque arguere, quasi in fide nondum satis essent fundati. Quam ergo prius confirmationem illorum dixit, hanc explicat ea ratione esse peragendam, ut cum ex mutua collatione ab ambobus, et ab illis, atque a se, intellecta et agnita esset ea, quae vera, atque germana esset Jesu Christi fides; ex hac intelligentia, et agnitione utrique consolationem caperent. Cum vero ipse esset Apostolus, nec opus haberet, ut ab illis disceret ea, quae essent rectae fidei; mutua haec collatio ad solos Romanos, ut inspecta Pauli fide, atque doctrina, intelligerent, qua ratione ipsis quoque esset sapiendum, atque sentiendum, pertinebat. Ad aequalitatem autem se se cum illis demisit, quo illud, quod ab ipso audirent, sive postea coram, sive iam nunc per epistolam, quodque ad confirmandos ipsos in fide esset, libentius, et promptiore animo exciperent. Hinc vero perspicuum etiam fit, quam hic

gratiam spiritualem Paulus intellexerit, confirmationem videlicet in fide, et si quid minus recte in ea sentirent, nondumque perfecti essent, uti perficerentur. „Non enim sine causa, ait S. Chrysosto-„mus homil. 2. ut multi iam superfluas, inutilesque „peregrinationes suscipiunt, illo se conferre vole-„bat, sed pro necessariis, urgentibusque negotiis. „Id quod ille clare non enunciat, sed aenigmati-„ce. Neque enim dixit, ut doceam vos, ut insti-„tuam, ut quod deest, impleam, sed ut quid im-„pertiam; indicans, se non sua dare illis, sed „quae accepit tradere. Hic etiam modeste loqui-„tur, cum dicit: *Ut aliquid.* Paululum, inquit, et „secundum meum modulum. Et quidnam est illud „paululum, quod iam daturus est? Illud est, in-„quit, ad confirmandum vos. Ergo ex gratia est il-„lud, non vacillare, sed firmiter stare. Gratiam ve-„ro cum audis, cave, putes excludi mercedem il-„lam ex proposito voluntatis. Gratiam enim dicit, „non quod propositi laborem reprobet, sed ut ar-„rogantiae fastum succidat. Ne itaque, quia Paulus „istud gratiam vocavit, animo concidas. Grati enim „animi causa solet recte facta gratiam vocare, quo-„niam in hisce nos multa egemus superna gratia. „Cum autem dixit, ad confirmandos vos, latenter „indicat, agere illos magna correctione. Hoc enim „vult significare. A multo tempore desiderabam, „et in optato habebam vos videre, non alia de cau-„sa, quam ut vos confirmarem, et probe stabili-„rem in timore Dei, ut ne perpetuo vacilletis. At

,,non ita dixit, sic enim illos perstrinxisset, sed ,,alio modo, remissiusque idipsum subindicat. Certe ,,cum dixit, ad confirmandos vos, hoc ipsum si- ,,gnificat; deinde quia illud valde molestum erat, ,,vide quomodo per ea, quae addit, illud mitiget. ,,Ne dicerent enim: Quid ergo? An vacillamus? ,,an circumagimur, et tua egemus lingva, ut fir- ,,miter stemus? hanc praevertit obiectionem his ver- ,,bis: *Hoc est autem, simul consolari in vobis per* ,,*mutuam fidem, vestram, et meam.* Ac si diceret, ,,ne suspicemini, me accusandi causa id vobis di- ,,xisse. Non hac mente locutus sum. Sed quid vo- ,,lui dicere? Multas passi estis aerumnas ab iis, qui ,,vos sunt persecuti. Vos ergo videre desideravi, ,,ut consolarer, imo potius, non ut consolarer tan- ,,tum, sed etiam, ut ipse consolationem accipe- ,,rem. Vide sapientiam Doctoris. Dixit ad confir- ,,mandos vos. Noverat grave, et onerosum disci- ,,pulis esse illud, quod dixerat, et addit, ad con- ,,solandum vos. Sed illud quoque molestum erat, ,,non perinde tamen, atque illud, quod prius di- ,,xerat. Asperitatem itaque mitigat, ut sermonem ,,reddat acceptum. Non enim simpliciter dixit, con- ,,solari, sed simul nos consolari. Neque id illi sa- ,,tis fuit, sed et illam mitigationem addidit, di- ,,cens: *Per mutuam fidem, vestram, et meam.* Pa- ,,pae! quanta humilitas? seipsum his egere indi- ,,cavit, seque illis indigere, nec illos solum ipso ,,opus habere, atque discipulos magistrorum loco ,,habuit, nullam sibi praerogativam relinquens, sed

„ aequalitatem magnam ostendens. — — — Hoc „ vero dicebat, non quasi ipse illorum commilitio, „ (συμμαχία) opus haberet. Absit. Quomodo enim „ Ecclesiae columna, ferro, et petra fortior, spi- „ ritualis ille adamas, qui innumeris sufficiebat ci- „ vitatibus, illis opus haberet? Sed, ut ne molestus „ sermo, neve correctio vehementior esset, se illo- „ rum consolatione opus habere dixit. Quod si quis „ hic consolationem, et laetitiam, ex fide, et in- „ cremento illorum ortam, opus habuisse Paulum „ dixerit, hic certe non aberraverit. Si ergo, inquies, „ id desideras, et optas, et consolationem acce- „ pturus, daturusque es, quid impedit, quo minus „ venias? Hanc ergo solvens suspicionem, adiicit:"
13. *Nolo autem vos ignorare fratres, quia saepe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam, et in vobis, sicut et in ceteris gentibus.* Infra capitis 15. versu 22. causam, cur eousque fuerit impeditus, venireque ad eos non potuerit, quod in obeundis illis regionibus, in quibus Evangelium nondum esset praedicatum, fuisset versatus hactenus, atque occupatus.

14. *Graecis, ac barbaris, sapientibus, et insipientibus debitor sum.* 15. *Ita, quod in me, promptum est, et vobis, qui Romae estis, evangelizare.* Graeci omnes eos, qui Graeca lingva non uterentur, quod sonum aliarum omnium lingvarum incultiorem putarent, barbaros nominarunt. Idemque postea etiam Romani fecerant, atque omnes alios praeter se, et Graecos, in barbarorum numero ha-

buerunt. Certe autem Paulus Romanos, quorum sibi prius etiam benevolentiam studuit conciliare, inter barbaros non collocavit. Quare dum Graecis, et barbaris se se debitorem professus est; Graecorum nomine ipsos quoque Romanos complexus est. Sapientium vero, atque insipientium nomine itidem duas hominum omnium classes intellexit, et quorum alii literis, atque philosophia essent exculti, alii non item: quosque alteros insipientes vocat, non quasi his etiam sana mens defuisset; sed tantum quod literis, atque philosophia carerent, cuius apud Graecos summa erat ostentatio, quosque Graecos aemularentur Romani. In epistola secunda ad Thimotheum capite 1. versu 11. positum se Paulus dicit in Evangelio praedicatorem, et Apostolum, et magistrum gentium. Qui ergo a Deo constitutus fuerat magister gentium, hic officium habuit has docendi. Ex quo consequebatur, debitorem ipsum fuisse omnibus. Itaque, quod ad se attineret, et quantum in voluntate ipsius, animique promptitudine situm esset, dicebat esse se paratum ad evangelizandum etiam Romanis.

16. *Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judaeo primum, et Graeco.* Christus per Evangelium praedicabatur, et praedicatur crucifixus. ,,Nos autem, ,,inquit Paulus 1. Cor. 1. v. 23. praedicamus Chri- ,,stum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gen- ,,tibus autem stultitiam.“ Hoc ergo, quo Judaei offenderentur, et quod gentilibus stultum habere

tur; non erubuit utrisque praedicare. Iam illud, quod deinde subiicit: *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti:* perspicuum est, instar causae esse ab eo positum illius prioris, cur non erubesceret Evangelium. Quamvis enim sperandum non esset ratione naturali, ut ab illis Evangelium susciperetur, quibus illud scandalum, atque stultitia esset, atque adeo stultum videri deberet, agere negotium, unde nihil nisi ignominiosa repulsa exspectanda esset; tamen se se illud non erubescere, nec hanc ignominiam reformidare, siquidem Dei virtus sit in salutem omni credenti, hoc est, Deus sua virtute in iis, qui credunt, ut credant, operetur, unde salutem adipiscerentur. Judaeo vero primum, deinde Graeco. Quandoquidem Graecus quoad temporis ordinem confertur cum Judaeo; nec ad solos Graecos, et Romanos pertinuerit post Judaeos Evangelii gratia; in hac comparatione Graeci cum Judaeo, per Graecum non iam Graecus, et Romanus, sed omnis prorsus cuiuscumque nationis intelligitur gentilis. „Cur autem hic dicit, „Judaeo primum, et Graeco? verba sunt S. Chry„sostomi homil. 2. Quid sibi vult illa differentia? „Atqui saepe dixit: Neque circumcisio quidquam „est, neque praeputium. Quomodo igitur hic di„stingvit, Judaeum Graeco anteponens? Ecquid „hoc? Neque enim, quia primus est, maiorem „accipit gratiam, idem enim donum et huic, et „illi tribuitur, sed ordinis solum est illud: *pri„mum.* Neque enim ideo plus habet, quod ma-

„ iorem acceperit iustitiam, sed in hoc solum ho-„ noratur, quod primus acceperit." S. Paulus Actorum cap. 13. versu 46. sic locutus est Judaeis: „Vobis oportebat, inquit, primum loqui verbum „Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos „vos iudicatis vitae aeternae, ecce convertimur ad „gentes." Judaei enim sibi habebant promissum Christum; cuius vero promissionis spem gentiles non habuerunt, qui hospites essent testamentorum. Ephes. 2. v. 12.

17. *Iustitia enim Dei in eo, revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit.* Non eam iustitiam hic intelligi, quae reveletur in Evangelio, qua Deus punit; sed quam Deus homini tribuat, iustificando ipsum per fidem; perspicuum fit ex eo, quod istius confirmandi causa testimonium posuit, Justum ex fide vivere. „Quae „ideo iustitia Dei dicitur, ait S. Augustinus „lib. de Spir. et Lit. cap. 11. quod impertiendo „eam iustos faciat, sicut Domini est salus, qua „salvos facit." Quid vero illud sibi vult: *Ex fide in fidem?* S. Chrysostomus homilia 2. istud sic accepit, quasi ex fide veteris Testamenti ad fidem, quae proponeretur per Evangelium in testamento novo. „Auditorem, inquit, remisit ad oeconomias „illas, a Deo in veteri testamento factas, quas ad „Hebraeos scribens cum multa sapientia enarrat, „atque etiam tunc et iustos, et peccatores iustifi-„catos ostendit." S. Augustinus lib. de Spiritu, et Lit. cap. 11. cum istud sic explicuisset: „Ex

„fide annunciantium, in fidem obedientium;“ deinde in libro 2. Evangelicar. Quaestion. Quaestione 39. aliam pressiorem, atque adcuratiorem explicationem tradit. „Ex fide in fidem, id est, inquit, „ex fide verborum, quibus nunc credimus, quod „nondum videmus, in fidem rerum, qua in aeternum, quod nunc credimus, obtinebimus.“ Ubi ergo positum est: *Ex fide*, fides intelligitur, quae in nobis est, et qua assensum praestamus rebus a Deo revelatis, ubi vero est: *In fidem*, firmitas intelligitur Divinarum promissionum, quaeque promissiones illi nostro assensui factae sunt. Et sane in Evangelio revelatur Dei iustitia, eiusque nos iustificans gratia, non tantum ea, quae hic nobis exhibetur, dum in hoc mundo adhuc peregrinamur a Domino, et ambulamus per fidem; sed ex Evangelio in eos, qui illi credunt, redundabit etiam illa gratia, qua vita ipsis aeterna exhibebitur, quae a Deo promissa est. Atque hoc est, quod etiam in testimonio Prophetico est: *Justus ex fide vivit.* Ex Habacuc autem capitis 2. versu 4. istud est. Iustus enim est, cui Dei iustitia revelata est, et qui per hanc sibi a Deo exhibitam iustus factus est. Is vero ex fide dicitur victurus, sive, quod idem est, ex fide hac, qua his, quae a Deo revelata sunt, firmiter assensum praestat, qui sit ad vitam perventurus, quae credentibus ab eodem Deo promissa est. Atque ista ratione idem Paulus etiam infra huius eiusdem Epistolae capite 3. v. 3. primum pro assensu, cuique ex adverso in-

credulitas sit, sumit, deinde vero pro Divinarum promissionum firmitate. „Quid enim, inquit, si- „ quidam illorum non crediderunt? numquid incre- „ dulitas illorum fidem Dei evacuabit?" Sunt, qui post Theophilactum, et Oecumenium, istud de fide in fidem, sic etiam sumendum putant, quemadmodum illud Psalmi 83. v. 8. est: „Ibunt de „ virtute in virtutem" vel vero illud Pauli 2. Corinth. 3. v. 18. „Nos vero omnes revelata facie „ gloriam Domini speculantes in eamdem imagi- „ nem transformamur a claritate in claritatem." ut quasi progressio ulterior, atque profectus in fide intelligatur, et qua ratione Apostoli Christum rogaverint, dicendo: „Adauge nobis fidem," Luc. 17. v. 5. At quoniam illa prior explicatio S. Augustini cum Prophetico quoque testimonio magis congruit, quo ad suum assertum confirmandum Paulus usus est, in eoque distincte vita est posita, ad quam iustus ex fide venturus sit; sequitur, ut per fidem, ad quam Dei iustitia, quae in Evangelio revelatur, ex fide perducit; idem illud magis vitae aeternae praemium intelligatur, quod Deus vi suae promissionis illis exhibebit, qui ei crediderunt.

18. *Revelatur enim ira Dei de caelo, super omnem impietatem, et iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iustitia detinent.* 19. *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit.* 20. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intel-*

lecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus, et Divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Est anterioris sententiae ulterior declaratio, atque ex contrario demonstratio. Nam cum dixisset, iustitiam Dei in Evangelio revelari ex fide in fidem, atque iustum ex fide vivere; nunc iram Dei de caelo dicit revelandam super omnem impietatem, et iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Quemadmodum videlicet in Evangelio vita revelatur, et praedicatur, quae iis, qui credunt, a Deo praestabitur; ita in eodem Evangelio ira etiam Dei de caelo demonstratur ventura in eos, qui Deum non agnoverunt, et non coluerunt. Hanc vero impietatem, et iniustitiam vocat hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Quod qua ratione intelligendum sit, illud deinde demonstrat, quod in his iisdem manifestum illud sit, quod notum est Dei. Qua vero etiam istud ratione? quod scilicet Dei invisibilia ex creatura mundi (*ἀπὸ κτίσεως κόσμȣ*) hoc est, ex operibus in mundo creatis, per ea, quae fiunt intellecta (*τοῖς ποιήμασι νοȣ́μενα*) conspicerentur. Non ipse Deus, nec illius providentia, potentia, sapientia, et quidquid est Divinae virtutis, atque perfectionis in se homini est conspicuum, sed tantum in rebus, quae ab eo fiunt, cernitur, et tamquam causa intelligitur ex effectu. Hac igitur via, quod notum est Dei, Graece: *τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ* *quod cognoscibile est Dei*, illis, de quibus est sermo, manifestum fuit, siquidem Deus hoc illis manifestaverit

festaverit per creaturas suum illis lumen, unde eum agnoverint, praebendo. Nam cum observatur aliquid existere, quod non semper fuit, quod si in aliis rebus non quotidie homo experiretur, quae oriuntur, et occidunt; tamen sui ipsius non conscius esse non potest, non se semper fuisse; nec vero illud, quod non fuit, agere quidquam, dum nondum esset, ac proinde nec existentiam etiam sibi suam tribuere potuerit; sequitur, ut homo, ratione praeditus omnis, non potuerit non advertere ex seipso, atque ex rebus omnibus ceteris, quae existunt in mundo, existere aliud aliquod supremum Ens, quod non, ut cetera omnia existere aliquando coeperit, sed quod semper fuerit, et a quo alia omnia, quae existunt, existentiam suam acceperint. Lumen vero rationis Deus hominibus ad hoc pervidendum, atque perspiciendum dedit. Ergo ea, quae de Deo cognosci possunt, Deus hominibus manifestavit praebendo illud lumen, seque ipsum exhibendo in rebus a se factis, quae conspiciuntur, et unde agnosci posset. Iisdem vero, adversus quos agit, gentiles autem intelligit, dicit id, quod notum est Dei, hoc est, quemadmodum iam demonstratum est, quod cognosci de Deo potest, notum fuisse; sempiternam quoque illius virtutem, et Divinitatem, ita ut sint inexcusabiles. Neque enim naturali lumine omnia de Deo cognosci possunt, verbi gratia, quod trinus in Personis sit. At vero ratio cogit agnoscere Deum, huiusque esse virtutem sempiternam, ac potentiam. Nam simul atque ex

rebus creatis, et quae, cum aliquando non fuissent, ortae sunt, devenitur ad ens, quod semper fuerit, et esse debuerit, intelligitur idem quoque aeternum, vimque eius, atque potentiam sempiternam esse oportuisse, secus enim idipsum in rerum creatarum numero habendum esset, quod similiter aliud aliquod Ens, a quo originem acceperit, habere ante se debuerit, consequenter Deum omni perfectione infinitum fuisse. Nam et infinitae virtutis oportuit illud ens esse, quod haec tanta omnia, quae in mundo conspiciuntur, potuit efficere, e nihiloque producere, atque hanc vim semper in eo esse, siquidem aeternum, prout est, non fuisset, nec infinitum in omni genere, si ei quidpiam aliquando defuisset. Et revera nulla fuit natio, nulla gens, quantumcumque fera, atque inculta, quae non aliquod agnovisset numen. Hoc gentiles ipsi de se recognoverunt. „In „hominibus nulla gens est, ait Cicero de legibus, „neque tam immansveta, neque tam fera, quae non, „etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, ta- „men habendum sciat" Et Seneca „Nec ulla gens „usquam est, ait Epist. 117. adeo extra leges, „moresque proiecta, ut non aliquos deos credat." Hoc ergo est, quod Paulus impietatem, et iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, vocat, quod cum Deum ex operibus agnovissent; hanc existentiae illius, quam agnoverunt, veritatem in seipsis suppresserint, et quam gloriam colendo ipsum huic, qui Deus est, tribuere oportuisset, hanc inique, atque impie aliis,

quos sibi imaginatione sua constituerunt deos, detulerint.

21. *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum.* 22. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt,* 23. *et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.* Olim Chaldaei, Aegyptii, postea Graeci, atque Romani sapientiae sibi laudem tribuerunt, erantque dediti summo studio philosophiae, iactabantque se sapientes; et apud quos nihilominus ad maximum stultitiae culmen provecta fuit idololatria, cum in effingendis et multiplicandis falsis numinibus nulla regio fuerit feracior, quam Graecia, et postea Roma.

24. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* „Illud: „*Tradidit*, ait S. Chrysostomus homil. 3. hic si„gnificat, permisit. Quemadmodum enim dux exer„citus, si ingravescente pugna discesserit, milites „hostibus tradit, non ipse impellens, sed auxilio „suo privans; sic Deus eos, qui noluerunt sua ac„cipere, sed primi resilierunt, dimisit, postquam „omnia sua impleverat.“ S. Augustinus quoque in libro de Natura, et Gratia contra Pelagium capite 22. cum ex hoc ipso, quem nunc tractamus, Pauli loco, itemque ex ceteris documentis, quae sunt

adhuc toto isto capite, argumentum sumpsisset ad probandum, esse quaedam sic peccata, ut haec, poenae etiam sint anteriorum peccatorum, et adversus hoc Pelagium induxisset sic fortasse reponentem „Deum ad ista non cogere, sed dignos dese- „ri tantum deserere" sic ipse rursus reponit: „Si „hoc dicit, inquit, verissime dicit. Deserti quip- „pe, ut dixi, luce iustitiae, et per hoc contene- „brati, quid pariant aliud, quam haec omnia, quae „commemoravi opera tenebrarum?" Quatenus ergo Deus aliquos deserit, suumque illis auxilium subtrahit, sine quo nihil boni fieri a nobis potest, et cum postea ii, qui deseruntur, suapte voluntate ad ulteriora peccata prolabuntur, in quae per concupiscentiam suam feruntur, dicitur Deus hos tradere. Itaque, quod nunc Paulus dixit de gentibus, esse has a Deo traditas desideriis sui cordis, idem hoc ipse aliis verbis sic expressit Actorum capite 14. v. 15. „Qui in praeteritis generationibus dimi- „sit omnes gentes ingredi vias suas." Per immunditiem autem, et foedas voluptates, luxurieique peccata dicit ipsos corpora sua contumelia affecisse in semetipsis, siquidem foeditas istius peccati redundet in proprium illius corpus, qui illud perpetrat. „Omne enim peccatum, inquit S. Paulus 1. Cor. „6. v. 18. quodcumque fecerit homo, extra corpus „est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat."

25. *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturae potius, quam Creatori, qui est benedictus in secu-*

la. Amen. Mendacii nomine intelliguntur idola, quibus Dei nomen tribueretur, cum non essent Deus. Servierunt creaturae, in Graeco est: ἐλάτρευσαν, *adorarunt*, religioso cultu prosecuti sunt creaturam, quam scilicet pro Deo colerent. Amen vero subiecit Paulus vel maioris asseverationis gratia, Deum esse benedictum in secula; vel per modum optandi, ut Deus benediceretur in secula, et numquam non. 26. *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae:* in passiones ignominiosas. *Nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam.* Subsequente deinde versu est similiter masculos relicto naturali usu feminae in seipsos invicem exarsisse per libidinem. Itaque idem hoc de feminis quoque sic intelligendum est, quod modo positum est, immutasse eas naturalem usum. 27. *Similiter autem et masculi relicto naturali usu feminae exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* Error iste erat, quo pro Deo coluerunt idola. In seipsis autem mercedem huius sui erroris receperunt, qui idcirco in passiones ignominiae istas traditi a Deo, contumelia affecerint, seipsos, et propria corpora.

28. *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt.* Et sicut non probaverunt Graece: ἐδοκίμασαν, *suo iudicio censuerunt* non habendum esse Deum in notitia, tradidit

illos Deus in reprobum sensum Graece: ἀδόκιμον, *in rationi contrarium sensum*, ut facerent ea, quae non convenirent, Graece: τὰ μὴ καθήκοντα, *indigna se.* 29. *Repletos omni iniquitate*, *malitia* Graece: πονηρία, nocendi studio, *fornicatione, avaritia, nequitia*, Graece κακία, maleficio, *plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate*, Graece, κακοηθεία, habitu prave agendi, *susurrones,* 30. *detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes,* 31. *insipientes, incompositos* Graece: ἀσυνθέτες dissolutos per vivendi videlicet, et quidvis agendi licentiam, *sine affectione, absque foedere, sine misericordia.* 32. *Qui cum iustitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus.* Graece: Ὅιτινες τὸ δικαίωμα τȣ̃ Θεȣ̃ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτȣ εἰσὶν, ὀυ μόνον αὐτὰ ποιȣ̃σιν, ἀλλα καὶ συνευδοκȣ̃σι τοῖς πράσσȣσι: *Qui cum iustitiam Dei cognoverint, quod qui talia agunt, digni sint morte; non solum ipsi faciunt ea, sed etiam facientibus consentiunt.* Cum Graeco conveniunt etiam versiones Orientales, Syriaca, Arabica, et Aethiopica. Vulgatae nihilominus lectio etiam in pluribus vetustis Graecis Manuscriptis, et apud S. Clementem Papam in eius epistola ad Corinthios, apud Origenem in Epist. ad Romanos, apud S. Ambrosium de Bono mortis cap. 7. pluresque alios Patres reperitur. Culpantur

itaque, et perstringuntur illi gentilium etiam sapientes, qui cum obscoena illa flagitia agnovissent contraria esse Divinae aequitati; haec tamen et ipsi perpetraverint, et in aliis probaverint. Hoc in genere S. Chrysostomus homilia 4. Solonem, et Athenienses, qui sapientissimi haberentur, notat, qui lascivum puerorum amorem cum inter servos prohibuissent; hunc tamen inter liberos concesserunt suis legibus: et vix aliquis est philosophorum, qui non infami libidine fuisset notatus, quemadmodum est in Laertio, quamvis morum magistros se profiterentur.

CAPVT II.

Judaeos non habere, cur se gentilibus possent anteponere, quod habendo legem, eadem tamen etiam ipsi, quae gentiles nefanda agerent. Judaeum illum esse, qui animo Judaeus, et circumcisus corde, non tantum in carne esset.

1. *PROPTER quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis, quae iudicas.* Gentilium corruptissimis moribus expositis, unde intelligeretur, quam se indignos gratia Evangelii fecerint; nunc ad Judaeos, sed latenter, ac tacite, transit, hos illis nihilo meliores, ac proinde nec Evangelii gratia digniores esse asserens. Nam de Judaeis Paulum hic modo agere, qui se sua opi-

nione supra gentiles erigerent, illosque, veluti impios, longissime infra se despicerent; ex subsequente oratione manifestum fit, ubi versu huius capitis nono, ac deinceps, clare iam expromit, inter Judaeum, et Graecum, hoc est gentilem, qua ratione istud usurpari nomen nunc, iam ad superioris capitis versum 16. demonstratum est, se se instituere comparationem, atque de his se loqui: quod deinde versu 21. adhuc magis explicatur, et aperitur, ubi demonstrat eos, qui legem sibi habuissent a Deo datam de furto, de moechia non committenda; ista nihilominus, et plura flagitiosa commisisse, quamvis in lege, et circumcisione gloriarentur. „Transit ad eos, ait S. Augustinus lib. de „Spir. et lit. cap. 26. qui iudicant, et agunt talia, „qualia condemnant, nimirum propter Judaeos, „qui de lege Dei gloriabantur, quamvis eos nomi„natim non exprimat, et ideo dicit: Ira, et indi„natio, tribulatio, et angustia in omnem animam „hominis operantis malum, Judaei primum, et „Graeci: gloria autem, et honor, et pax omni „operanti bonum, Judaeo primum, et Graeco.“ Gentiles nimirum spectabant Judaei veluti homines sine Deo, et ad omnia flagitia proiectos. Quos, inspectis eorum actionibus, dum iudicabant esse malos; seipsos condemnabant eadem, quae in illis vituperarent, agendo.

2. *Scimus enim, quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt.* Judicium secundum veritatem idem est, quod iudicium

verum, aequum, ac iustum. Quod vero eo pertinet, quod cum in eos, qui eiusmodi agunt, Dei iudicium iustum sit futurum; eos, qui eadem facinora admisissent, eadem etiam ratione esse a Deo puniendos. 3. *Existimas autem, o homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* 4. *An divitias bonitatis eius, et patientiae, et longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?* 5. *Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis iusti iudicii Dei,* 6. *qui reddet unicuique secundum opera eius.* 7. *Iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam, et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam,* verbum, *reddet* ex superiore versu intelligitur. 8. *Iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, et indignatio.* Christus Matthaei cap. 10. v. 22. ubi adversitates exposuisset Apostolis, quas ferre deberent causa Evangelii; subiecit postea: „Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus „erit.“ Intelligitur ergo per patientiam boni operis perseverantia in bono, quamvis obstent adversa. Illud vero, quod prius dixerat: *Iis, qui sunt ex contentione*, intelligitur, quid sit, ex eo, quod subiecit, istud ipsum explicandi, et declarandi gratia: *Qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati.* Qui scilicet adversus veritatem insurgerent, eamque impugnarent, quando iniquitas, e

falsitas inciperet ipsis praeplacere adversus veritatem, atque isto pruritu contentiones moverent.

9. *Tribulatio, et angustia in omnem animam hominis operantls malum, Judaei primum, et Graeci.* 10. *Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judaeo primum, et Graeco.* 11. *Non enim est acceptio personarum apud Deum.* Ex Deuteronomii capite 10. v. 17. est hoc testimonium de personarum acceptione, quae non sit apud Deum. Si vero haec apud Deum non est, cur nihilominus, quemadmodum tribulatio, et angustia, ita gloria quoque et honor, et pax Judaeo primum, ac deinde Graeco dicitur futura, hoc quidem, si bene, illud, si male operarentur? Jam ad superioris capitis versum 16. demonstratum est, quoad temporis ordinem Judaeos esse antelatos gentilibus in beneficio vocationis ad gratiam Evangelii. Iidem vero Judaei, dum male operarentur, magis erant poena digni, quam gentiles, siquidem legem haberent. „Nam, qui maiore imbutus fuit doctrina, ait S. „Chrysostomus homil. 5. maiori supplicio dignus „fuerit, si inique agat.“ Cum ergo ista ratione, et quoad poenam primas detulisset Judaeo; easdem primas partes etiam quoad praemium eidem defert, sed iam solius ordinis ratione, non quasi Judaei, et Graeci, si utriusque idem meritum esset, Judaeo tamen amplior prae Graeco honor habendus esset; sed quod illi prae isto honor prius competeret propter gratiae priorem collationem secundum Dei promissionem. Non enim, inquit, acceptio est

personarum apud Deum. Quod ponit, unde intelligeretur, nec Judaeum minus poenae subiturum, si idem mali fecisset, quod Graecus; et hunc illi esse aequiparandum in praemio, si idem utriusque meritum in bene agendo fuisset. Pertinet igitur istud eo, ut ostendat Deum nec in puniendo, nec in praemiando discrimen aliquod facturum inter Judaeum, et Graecum. „Non enim est distinctio Judaei, et „Graeci. Nam idem Dominus omnium, dives in „omnes, qui invocant illum.“ Rom. 10. v. 12.

Quid autem, quando Deus alios praedestinavit ad suam gloriam, alios non; alios vocat, suamque illis gratiam dat, alios negligit, non est acceptio personarum apud Deum, dum ii, qui vocantur, qui gratiam accipiunt, saepe peiores, magisque indigni sunt, quam hi, qui praetereuntur? Non. Nam gratia est mere gratuita. „Acceptio personarum, „ait S. Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pe„lagianorum cap. 7. ibi recte dicitur, ubi ille, qui „iudicat, relinquens causae meritum, de qua iudi„cat, alteri contra alterum suffragatur, quia inve„nit aliquid in persona, quod honore, vel misera„tione sit dignum. Si autem quispiam duos habeat „debitores, et alteri velit dimittere debitum, al„terum exigere; cui vult, donat, sed neminem „fraudat: nec acceptio personarum dicenda est, „quando iniquitas nulla est. Alioquin eis, qui pa„rum intelligunt, potest acceptio personarum vide„ri, ubi vineae dominus operariis, qui una hora „illic opus fecerunt, tantum dedit; quantum illis,

„qui pertulerunt pondus diei, et aestus, aequales „faciens in mercede, quorum tam magna distantia „fuerat in labore. Sed quid respondit de hac vel- „uti acceptione personarum adversus patrem fami- „lias murmurantibus? *Amice*, inquit, *non facio* „*tibi iniuriam. Nonne ex denario convenisti me-* „*cum? Tolle, quod tuum est, et vade. Volo au-* „*tem et huic novissimo dare, sicut et tibi. An* „*non licet mihi, quod volo, facere? An oculus* „*tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth. 20. v. „13, 14, 15. Nempe, hic tota iustitia est: Hoc volo: „tibi, inquit, reddidi, huic donavi: neque ut huic „donarem, tibi aliquid abstuli, aut quod debebam, „vel minui, vel negavi. An non licet mihi facere, „quod volo? An oculus tuus nequam est, quia „ego bonus sum? sicut ergo hic nulla est acceptio „personarum, quia sic alius gratis honoratur, ut „alius debito non fraudetur; sic etiam, cum secun- „dum propositum Dei vocatur alius, alius non vo- „catur; vocato datur gratuitum bonum, cuius boni „est vocatio ipsa principium; non vocato reddi- „tur malum, quia omnes rei sunt ex eo, quod per „unum hominem peccatum intravit in mundum. „Rom. 5. v. 12. Ubi autem dicitur: Ergo cui vult, „miseretur, et quem vult, indurat, qui facit aliud „vas in honorem, aliud in contumeliam, Rom. 9. „v. 18, et 21. bonum quidem immerito, et gratis „datur, quia ex eadem massa est, cui non datur; „malum vero merito, et debitum redditur, quia in „massa perditionis malum malo non male redditur;

„et ei, cui redditur, malum est, quia supplicium „eius est: ei vero, a quo redditur, bonum est, quia „recte factum eius est. Nec ulla est acceptio per-„sonarum in debitoribus duobus, aequaliter reis, si „alteri dimittitur, alter exigitur, quod pariter ab „utroque debetur.“

12. *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: et quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur.* 13. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Quicumque sine lege peccaverunt, gentiles intelliguntur, qui legem a Deo scriptam, quemadmodum Judaei, non acceperint, atqui hi sine lege dicuntur perituri, qui scilicet, quamvis condemnandi sint; tamen non ideo damnationem subituri sint, quod legem scriptam, quae Judaeis data est, non observaverint, utpote, quam nec sibi habuerint datam; sed quod nihilominus extra illam legem positi, peccaverint. Id quod ex altera parte versus perspicuum fit, ubi per antithesim est: *Et quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur.* Judaei igitur per legem scriptam iudicabuntur, et qui hanc transgressi sunt, condemnabuntur. Gentiles vero secundum hanc legem non iudicabuntur: attamen qui non habita etiam hac lege peccaverunt, similiter damnabuntur. Pertinet hoc utrumque ad id, quod antecessit confirmandum, tribulationem, et angustiam in omnem animam, operantis malum, venturam, Judaei primum, et Graeci, citra aliquam acceptionem personarum apud

Deum. Quare autem gentiles damnabuntur, qui peccaverunt? quia, quamvis scriptam legem, prout Judaei, non habuerint; praesto tamen eis fuerit lex naturalis, et quam praevaricando rei damnationis facti sint. „Hic non modo aequalitatem, ait S. „Chrysostomus homil. 5. inter Judaeum, et Grae„cum indicat, sed etiam Judaeum a lege valde gra„vatum esse demonstrat. Graecus enim sine lege „iudicatur. Hic autem sine lege, non gravius, sed „minus quidpiam indicat, id est, non habet accu„santem se legem. Illud enim: sine lege, hoc est, „sine damnatione ex lege facta, et ex naturalibus „solum ratiociniis condemnatur. Judaeus vero ex „lege, id est, cum lege natura incusante. Quanto „enim maiore cura dignatus est; tanto maiores da„bit poenas.“ Ad quod vero (nempe Judaeum esse condemnandum, quamvis legem habuerit, si eam esset praevaricatus) rursus pertinet, quod deinde sequitur: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Quamvis ergo Judaei haberent legem, si tamen hanc non exsequerentur, et observarent; non iustos, sed iniquos futuros apud Deum, quantumvis per ostentationem legis apud homines iustitiae aliquam speciem sibi possent conciliare, ac proinde esse damnandos: e contrario autem esse eos apud eumdem Deum iustificandos, et pro iustis habendos, si legem exsequerentur, et observarent, etiamsi hanc quemadmodum Judaei auribus suis non excepissent, sed solius rationis ductu cognovissent.

Dicit vero idem Paulus subsequentis capitis tertii versu 20: „Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim „cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei „manifestata est, testificata a lege, et prophetis. „Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, „et super omnes, qui credunt in eum.“ Et rursus inferius versu 28. „Arbitramur enim (Graece λογι„ζόμεθα οὖν, quod vero verbum Graecis significat, „aliquid ratiocinando colligere) iustificari homi„nem per fidem sine operibus legis:“ Qua ratione ergo nihilominus nunc factores legis dicuntur iustificandi apud Deum? Haec enim sibi videntur esse contraria: Factores legis iustificari, et hominem per fidem sine operibus legis iustificari. Nec hic, ubi factores legis dicuntur iustificandi, in verbo: *iustificari*, de significatione laborandum est, cum utrobique, et hic, et ubi Paulus dicit hominem sine operibus legis per fidem iustificandum, idem verbum sit, ac proinde in eadem etiam proculdubio significatione sit sumendum. Certe autem Apostolus sibi contraria locutus non est. Necesse igitur est, utrumque verum esse. Videndum vero est, et considerandum, qua ratione inter se haec, ad speciem tam dissidentia, cohaereant. Quid agit, quid contendit sequenti capite demonstrare Paulus, nisi Judaeos, quamvis legem habuissent, quamvis opera legis etiam exercuissent; tamen non vi istorum operum, et quasi aliquo suo merito consecutos esse iusificationis gratiam, sed gratis, et per fidem in

Jesum Christum? Nam si gratia ista fuit; iam ergo non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Rom. 11. v. 6. Intelligitur ergo haec prima iustificationis gratia sine ullis praecedentibus meritis aliquorum operum per solam fidem in Jesum Christum, et quae ipsa etiam fides fiat in homine, qui iustificatur, per gratiam Dei. „Quid enim habes, quod non accepisti?" 1. Cor. 4. v. 7. Et ad Philippenses cap. 1. v. 29. „Quia vobis donatum „est pro Christo, non solum ut in eum credatis, „sed ut etiam pro illo patiamini." „Cum ergo dicit „Apostolus, ait S. Augustinus lib. de Fide, et „operibus cap. 14. arbitrari se, iustificari hominem „per fidem sine operibus legis; non hoc agit, ut „percepta, ac professa fide opera iustitiae contemnantur: sed ut sciat se quisque per fidem posse „iustificari, etiamsi legis opera non praecesserint. „Sequuntur enim iustificatum, non praecedunt iustificandum."

Num vero hanc iustificationis gratiam, quam consecutus est per fidem in Christum, is retinebit, et perstabit iustus apud Deum; qui posteaquam iustificatus per fidem in Christum est; legem deinde non observat, nec opera legis facit? Hoc ergo est illud: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Nam, qui per fidem in Christum iustificatus est, si postea tantum auditor fuerit legis, et non factor; non erit iustus apud Deum: sed iustitiam, quam per fidem in Christum adeptus est, per praetermissionem ope-

rum

rum perdet, et habebit fidem, sed quae sine operibus mortua erit. Hoc ergo est, quod exemplo Abrahae etiam demonstrat Jacobus Apostolus: „Abraham, pater noster, nonne ex operibus iusti-„ficatus est, offerens Isaac filium suum super al-„tare? Vides, quoniam fides cooperabatur operi-„bus illius, et ex operibus fides consummata est, „et suppleta est Scriptura dicens: Credidit Abra-„ham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam, Gen. „15. v. 6. et amicus Dei appellatus est. Videtis, „quoniam ex operibus iustificatur homo, et non „ex fide tantum." Jac. 2. v. 21. Dum ergo Paulus dixit, *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*, Judaeos spectavit, tamquam sub lege positos, sed utique non absque fide in Christum. In hunc enim venturum et illi crediderunt. Sic enim de ipsis ipse loquitur Paulus 1. Corinth. 10. v. 1. „Nolo enim vos igno-„rare fratres, quoniam patres nostri omnes sub „nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes „in Moyse baptizati sunt, in nube, et in mari, et „omnes eamdem escam spiritalem manducave-„runt, et omnes eumdem potum spiritalem bibe-„runt, bibebant enim de spiritali, consequente „eos petra: petra autem erat Christus. Sed non in „pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam pro-„strati sunt in deserto." Omnes de consequente eos petra, et de Christo biberunt. Ergo omnes hi fidem in Christum habuerunt, de quo biberunt. Et tamen non dicit postea, in omnibus eorum fuisse

beneplacitum Deo, verum sic: „Sed non in pluri-
„bus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati
„sunt in deserto." Ergo hi, qui prostrati sunt, quamvis habuerint fidem, quia tamen in alio offenderunt, prostrati sunt. Ista ergo ratione, et sub lege veteri Judaei, utique habentes fidem in venturum Christum, tamen non iustificabantur apud Deum, nisi factores essent legis: nam „Maledictus omnis, qui
„non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in
„libro legis, ut faciat ea;" Gal. 3. v. 10. Deut. 26. v. 27. et nunc quoque in Christo Jesu nihil aliud valet, quam fides, quae per charitatem operatur. Gal. 5. v. 6.

Ergo si ex operibus legis fit iustificatio, non fit iustificatio per fidem? Negatur. Quid dicit Paulus? „Legem ergo destruimus per fidem? Absit:
„sed legem statuimus." Rom. 3. v. 31. Nam, qui Divinae legi morigerum se exhibet, faciendo id, quod praeceptum est, et opus legis; facto suo probat, a se agnosci Deum, quem si non recognosceret, utique legem illius non curaret. Illine autem Deum credunt, qui illius mandata flocci pendunt?
„Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?"
Malach. 1. v. 6. „Confitentur se nosse Deum, ait
„S. Paulus, factis autem negant." Tit. 1. v. 16. Et S. Joannes 1. Epist. 2. v. 4. „Qui dicit se nos-
„se eum, et mandata eius non custodit, mendax
„est, et in hoc veritas non est." Hoc ergo, quod Paulus dicit factorem legis iustificari, non est contrarium illi, quod ipse idem rursus dicit hominem

iustificari sine operibus legis per fidem, quia opera tantummodo excluduntur, quae praecesserint, unde promerita sit fides, et iustificationis gratia; non quibus exhibenda sit fides, et sine qua operum exhibitione mortua, atque ei, qua etiam daemones credunt, et contremiscunt, Jac. 2. v. 19. similis est fides. Quam fidem sine operibus, de qua loquitur Paulus ad ostendendum donum gratuitum gratiae, dum isti, qui se totos in Augustana, et Helvetica Confessione ad Scripturam factos, et fabrefactos haberi volunt, velut alienam, et dissonam spectarunt operibus, quae fiunt ex fide; opera excluserunt a fide etiam illa, quae fierent ex fide, atque sine operibus mortuam apud se induxerunt fidem, et de qua Apostolus dicit: „Numquid poterit fides „salvare eum?“ Jac. 2. v. 14.

14. *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* 15. *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus* 16. *in die, cum iudicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum per Jesum Christum.* Hoc de gentibus, quae legem non habentes, tamen naturaliter ea, quae legis sunt, facerent, instar demonstrationis esse positum rei, quae antecesserit; vox causalis, *enim*, indicat. Antecessit autem, non auditores legis, sed factores esse apud Deum iustificandos. Cum ergo per audi-

tores legis Judaeos designasset, quibus etiam a Christo sic dictum est: „Nonne Moyses dedit vobis „legem, et nemo ex vobis facit legem?“ Joan. 7. v. 19. per legis factores intellexit gentiles. Cum autem hi scriptam legem, quemadmodum Judaei, non habuissent, ac proinde, quomodo legem observare possent, quam nec haberent, res sic videri posset, quae nec fieri potuerit; istud ipsum demonstraturus, gentes dixit, quae legem non haberent, naturaliter ea, quae legis sunt, facere, ipsasque sibi esse legem, quae opus legis ostenderent sibi scriptum esse in cordibus suis. Hoc, quod nunc Paulus dixit de gentibus naturaliter ea, quae legis sunt, facientibus, Pelagius in Commentario, et adhuc apertius in epistola ad Demetriadem accepit, et interpretatus est sic, ut hinc inferret, ab homine solis naturae viribus absque gratia Christi posse legem impleri, quasi, quemadmodum hae gentes, quae naturaliter ea, quae legis sunt, fecissent, quae hic ab Apostolo laudantur. Haec vero Pelagii sententia, istiusque loci interpretatio a concilio Milevitano in Africa capite quinto damnata est. Eamdem postea iterum seculo decimo sexto suscitavit Zvinglius, quique non dubitavit Numam, Catonem, Scipionem, pluresque istorum similes, quasi quod naturali legi solius naturalis rationis ductu conformiter vixerint, in caelo collocare. Eadem haec etiam Juliani Pelagiani fuit sententia, adversus quem sic S. Augustinus scripsit lib. 4. cap. 3. „Illi, quos „commemorare, inquit, voluisti, de quibus ait

„Apostolus : *Gentes legem non habentes*, *ipsi sibi* „*sunt lex*, *qui habent opus legis scriptum in cor-* „*dibus suis*, quid te adiuvent, non video. Per hos „enim probare conatus es, etiam alienos a fide Chri- „sti, veram posse habere iustitiam, eo quod isti, „teste Apostolo, naturaliter, quae legis sunt, fa- „ciunt. Ubi quidem dogma vestrum, quo estis ini- „mici gratiae Dei, quae datur per Jesum Christum „Dominum nostrum, qui tollit peccatum mundi, „evidentius expressisti, introducens hominum ge- „nus, quod Deo placere possit sine Christi fide, „lege naturae. Hoc est, unde vos maxime Chri- „stiana detestatur Ecclesia.“ Cum Zvinglianis au- tem in unum corpus coaluerunt Calviniani. Quod si ita esset, quid adhuc alicui opus esset fide in Christum, in qua tamen iterum sola, etiam sine operibus, totam iustificationis, salutisque obtinen- dae rationem constituunt sectatores iidem Calvini. S. Hieronymus in Commentario in Ezech. cap. 29. hoc eodem Pauli testimonio usus est ad probandum, posse ab infidelibus leges aliquas naturales etiam absque supernaturali gratia impleri. Quae sententia aliena a veritate non est. Neque enim omnes infi- delium actiones peccata sunt. Quod si autem non omnia apud eos peccata sunt, ergo etiam non ubi- que in suis actionibus peccant, nec legem semper transgrediuntur. Sed tamen eiusmodi actiones, pro- pter absentiam supernaturalis gratiae, aeternae vi- tae meritoriae non sunt; qua gratia, qui infideles sunt, instructi non sunt, siquidem haec aliter non

obtineatur, quam per fidem in Jesum Christum. Justitia enim Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum, Rom. 3. v. 22. et Joannis capite 1. v. 17. „Lex per Moysen „data est, gratia et veritas per Jesum Christum „facta est.“

Loqui vero hic Paulum, ubi dicit gentes ea, quae legis sunt, naturaliter facere, de illis gentilibus, qui legem naturalem observarent non sine fide in Christum, et auxilio supernaturalis gratiae, hae sunt, quae demonstrent. Istae enim gentes, quae naturaliter ea, quae legis sunt, facerent, iidem illi sunt, quos utpote factores legis apud Deum iustificandos superiore versu dixit. Atque Justitia Dei in omnes, et super omnes nonnisi per fidem est Jesu Christi. Ergo, cum hi dicantur iustificandi apud Deum; non etiam alii esse possunt, quam ii, qui ea, quae legis sunt, naturaliter facerent, hoc est, qui naturalem legem implerent, per gratiam Christi ex fide in ipsum. Est deinde ab eodem Paulo dictum supra: „Gloria, et honor, et pax omni „operanti bonum, Judaeo primum, et Graeco.“ Atqui gloria, honor, et pax Graeco, operanti bonum, convenire non potest; nisi illud bonum, quod operatus est, per fidem operatus sit in Christum, siquidem sine fide impossibile sit placere Deo, Hebr. 11. v. 6. et idem Paulus doceat, ipsum Abrahamum etiam, si ex operibus iustificatus esset, non habiturum fuisse gloriam apud Deum, sed hoc, quod crediderit, esse ei reputatum ad iustitiam: „Si enim

„Abraham, inquit, ex operibus iustificatus est, ha-
„bet gloriam, sed non apud Deum: Quid enim di-
„cit Scriptura? Credidit Abraham Deo: et reputa-
„tum est illi ad iustitiam.“ Rom. 4. v. 2. Graeco autem operanti bonum gloria tribuatur, et honor, et pax, non minus atque Judaeo, si operatus esset idem bonum: neque vero ipsi etiam Judaeo conveniret gloria, et honor apud Deum, et pax ab eodem Deo, ex operibus sine fide, quemadmodum de ipso Abrahamo modo demonstratum est, consequens ergo est, gentes, quae ea, quae legis sunt, naturaliter facerent, eas intelligendas esse, quae legem, quamvis ex auditu, quemadmodum Judaei cognitam non haberent, hanc tamen novissent per naturale lumen rationis, et exsequerentur auxilio supernaturalis gratiae per fidem in Christum, sine qua impossibile esset placere Deo, et gloriam, atque honorem habere apud eumdem Deum, aut pacem, cum haec ipsa pax sit nonnisi per fidem dicente eodem Paulo: „Justificati ergo ex fide pa-
„cem habeamus ad Deum per Dominum nostrum
„Jesum Christum.“ Rom. 5. v. 1. „Proinde non
„videtur hic alios significasse, ait S. Augustinus
„lib. de Spiritu, et lit. cap. 26. sub nomine gen-
„tium, quam eos, quos nomine Graeci supra si-
„gnificabat, cum diceret: *Judaeo primum, et Grae-
„co.* Porro, si Evangelium *virtus Dei est in salu-
„tem omni credenti, Judaeo primum, et Graeco,
„et ira, et indignatio, et tribulatio, et angustia
„in omnem animam hominis, operantis malum,*

„*Judaei primum*, *et Graeci; gloria autem*, *et*
„*honor*, *et pax omni operanti bonum*, *Judaeo*
„*primum*, *et Graeco;* iste autem Graecus nomine
„gentium significatus est, naturaliter, quae legis
„sunt, facientium, et quae scriptum habent opus
„legis in cordibus suis; profecto ad Evangelium
„pertinent gentes, quibus lex in cordibus scripta
„est. Eis quippe credentibus virtus Dei in salutem
„est. Quibus autem gentibus bene operantibus glo-
„riam, et honorem, pacemque promitteret, extra
„Evangelii gratiam constitutis? Quia enim perso-
„narum acceptio non est apud Deum, et non au-
„ditores legis, sed factores iustificantur; ideo sive
„Judaeus, sive Graecus, hoc est, quilibet ex gen-
„tibus crediderit, salutem in Evangelio pariter ha-
„bebit. *Non enim est distinctio*, sicut postea di-
„cit cap. 3. v. 22. *Omnes enim peccaverunt*, *et*
„*egent gloria Dei*, *iustificati gratis per gratiam*
„*ipsius.* Unde autem factorem legis Graecum iusti-
„ficari diceret, sine gratia Salvatoris? Nec moveat,
„(ibidem cap. 27.) quod naturaliter eos dixit, quae
„legis sunt, facere, non Spiritu Dei, non fide, non
„gratia. Hoc enim agit Spiritus gratiae, ut imagi-
„nem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instau-
„ret in nobis. Vitium quippe contra naturam est,
„quod utique sanat gratia, propter quam Deo di-
„citur: *Miserere mei*, *sana animam meam*, *quo-*
„*niam peccavi tibi.* Psal. 40. v. 5. Proinde natu-
„raliter homines, quae legis sunt, faciunt. Qui
„enim hoc non faciunt, vitio suo non faciunt. Quo

„vitio lex Dei est deleta de cordibus, ac per hoc, „vitio sanato, cum illic scribitur, fiunt, quae legis „sunt, naturaliter, non quod per naturam negata „sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura."

Naturaliter ergo hae gentes dicuntur ea, quae legis sunt, facere, quod cognitionem legis non sic sibi haberent traditam, quemadmodum Judaei, in tabulis lapideis, et per vocem in monte Sinai; Exod. 20. v. 18. sed illius cognitionem per lumen naturale haberent ex illius Scriptura in tabulis cordis sui carnalibus „ quaeque Scriptura, ut idem Paulus inquit, facta esset non atramento, sed Spiritu Dei vivi. 2. Cor. 3. v. 3. Itaque hos etiam sibi ipsos dicit esse legem, utpote, quae lex non aliud sit, quam ipsa ratio, quae nobis a Deo data est ad declinandum a malo, et faciendum bonum; et quod opus legis, atque eius scripturam hae gentes, quae eam naturaliter exsequerentur, impressam declararent sibi esse in suis cordibus, dum eos propria conscientia vel accusatura, vel defensura sit in die, cum Deus iudicaturus est occulta hominum, quemadmodum hoc ab ipso Paulo praedicatum esset. Nam si cognitionem legis non in seipsis gentes hae haberent, etiamsi, prout Judaei, eam in tabulis lapideis scriptam non accepissent; non eos conscientia posset arguere, vel defendere, cuius notitiam nullam haberent. Ex hoc vero, quod de his iisdem gentibus, naturaliter ea, quae legis sunt, facientibus, sit defensuras se in die iudicii propria conscientia; rursus confirmatur illud, quod iam demonstratum est, omnino esse hic sermonem de his

gentibus, quae opera legis facerent sed non citra fidem, et gratiam Christi, quod in die iudicii defendere se se nullus possit, ne condemnetur, qui non credidit. Qui enim non credit, iam iudicatus est. Joan. 3. v. 18. Et rursus eiusdem capitis versu ultimo sit: „Qui credit in Filium, habet vitam „aeternam: qui autem incredulus est Filio, non „videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.“ „Quid eis prodest, ait S. Augustinus l. 4. contra „Julianum cap. 3. quod secundum Apostolum de„fendent eos cogitationes suae, in die, qua iudi„cabit Deus occulta hominum? Si autem, qui de„fendentur cogitationibus suis, eo, quod naturaliter „fecerint opera legis, non sunt steriliter boni, et ob „hoc inveniunt aeternam mercedem apud Deum; pro„culdubio propterea iusti sunt, quia ex fide vivunt.“

Et ex his, quae hactenus antecesserunt, et quae adhuc nunc subsequentur, apparebit scopum totius istius disputationis Pauli esse hunc, Judaeos, quamvis a Deo habuerint sibi datam legem; tamen non observavisse legem: quam vero observent, et exsequantur gentes, quamvis sine illa, quae Judaeis per Moysem data est, lege fuerint, per Spiritum Evangelii, atque fidei, atque istos ex gentibus esse veros Judaeos secundum interiorem hominem, atque corde circumcisos, quique Judaeos legem quidem habentes, sed sine sua voluntate in eadem lege, quam semper praevaricati essent, carneque tantum circumcisos, non corde, et animo condemnaturi essent. „Et iudicabit id, quod ex

„natura est praeputium, legem consummans, te, „qui per literam, et circumcisionem praevaricator „legis es. Non enim, qui in manifesto Judaeus est: „neque quae in manifesto, in carne; est circum- „cisio: sed qui in abscondito Judaeus est, et cir- „cumcisio cordis in spiritu, non litera. Cuius laus „non ex hominibus, sed ex Deo est." Infra huius capitis versu 27.

17. *Si autem tu Judaeus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo*, Graece: Ἴδε σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ, *Ecce tu Judaeus cognominaris*, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo, 18. *et nosti voluntatem eius, et probas utiliora, instructus per legem*, 19. *confidis teipsum esse ducem caecorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt*, 20. *eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae*, Graece: μόρφωσιν *formationem*, hoc est, qui noverit alios informare, et tradere ipsis scientiam. Nempe ista omnia Judaei de se profitebantur, atque his se rebus iam perfectos existimabant, quod legem haberent, quod Deus voluntatem suam illis declarasset, cuiusque hunc erga se favorem sibi tenerent cognitum. Requiescere in re aliqua, prout de ipsis est, requievisse in lege, significat, sic totum ponere in re aliqua, ut nihil praeterea putetur requirendum. Sic ergo Judaei totum posuerunt in lege, quam Deus ipsis dedisset, non quod eam observarent, sed qui se iam securos de Dei favore putarent, ideo quod Deus legem ipsis dederit, etiamsi il-

lam non observassent. 21. *Qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui praedicas non furandum, furaris: 22. Qui dicis non moechandum, moecharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis:* Graece: ἱεροσυλεῖς, quod verbum stricte significat *spoliare illud, quod sacrum est*, latius vero profanationem qualemcumque Divini cultus, et quando aliqua ratione Deo debitus honor subtrahitur. 23. *Qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras.* In Graeco, quemadmodum illud primum: *Qui ergo alium doces, teipsum non doces?* ita etiam reliqua hucusque sunt cum interrogatione. Quemadmodum ergo hoc cum interrogatione: *Teipsum non doces?* hoc intelligitur, quod omnium primo erga seipsum facere deberet, qui se aliorum profitetur esse doctorem; ita in reliqua quoque enumeratione sic est, ut semper quaeratur, num ipse hoc facere debeat, verbi gratia, furari, qui praedicat, non esse furandum. Ita res hae eaedem cum affirmatione etiam positae in Versione Latina, sensu, ac significatione non discrepant ab oratione Graeca. 24. *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est.* In Isaiae capite 52. v. 5. et Ezechielis capite 36. v. 20. est hoc de Judaeis scriptum cum per captivitatem suam, quam subierunt in Babylonia propter sua flagitia, ansam gentilibus praebuissent male opinandi, et loquendi de Deo, quasi eius impotentia factum esset, quod Judaei, ipsius populus, devenerint in captivitatem, cuique hostes praevaluerint suis viribus.

25. *Circumcisio quidem prodest, si legem observes. Si autem praevaricator legis sis, circumcisio tua praeputium facta est.* Dicit Paulus ad Galatas cap. 5. v. 2. „Ecce ego Paulus dico „vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis „nihil proderit.“ Sed hic loquitur Paulus de tempore, quando adhuc in suo vigore erat lex. Quod perspicuum fit ex principio etiam capitis sequentis: „Quid ergo amplius Judaeo est? aut quae utilitas „circumcisionis? multum per omnem modum. Pri- „mum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.“ Quamvis ergo circumcisi essent, si tamen legem praevaricati essent, circumcisionem ipsorum factam esse praeputium, hoc est, etiam circumcisos, non tamen fuisse circumcisos. Vocat deinde infra capite 4. versu 11. Paulus circumcisionem signaculum iustitiae fidei. Iam vero, quemadmodum hoc secundo capite antecessit. „Non auditores legis iu- „sti sunt apud Deum, sed factores legis iustifi- „cabuntur:“ Ac proinde quamvis hocce signaculum iustitiae fidei, et circumcisionem in carne sua haberent, si tamen legem essent praevaricati, non erant iusti, neque illud habebant, cuius circumcisio fuit signum, et forinsecus atque in carne erant circumcisi, mente autem, atque animo, unde pravas non abscidissent cupiditates, erant incircumcisi. Itaque hoc est, quod ipsis etiam exprobrabat S. Stephanus: „Dura cervice, et incircumcisis cordibus, „et auribus, vos, inquit, semper Spiritui sancto

„resistitis, sicut patres vestri, ita et vos.“ Act. 7. v. 51. Nempe, ut S. Augustinus dicit Enarratione in Psalmum 74. per circumcisionem carnis intelligebatur circumcisio cordis. „Circumcisionem „autem cordis dicit, verba sunt eiusdem S. Au„gustini lib. de Spir. et lit. cap. 8. puram scilicet „ab omni illicita concupiscentia voluntatem.“ Cum Adam, in quo omnes peccavimus, peccando excussisset subiectionem erga Deum; punitus vicissim est a Deo, ut omnia, quae sibi habebat subiecta, detrectarent ei subesse, atque propria ipsius caro rebellaret adversus spiritum, nolletque iam parere ratione. Unde factum est, ut caro concupiscat adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Gal. 5. v. 17. Neque vero haec concupiscentia, in alia parte corporis, quam ubi circumcisio erat imperata, magis se exerit, et dominatur. Cumque iustificatio legis impleri in nobis non possit, si secundum carnem ambularemus; Rom. 8. v. 4. hoc, quod perficiendum erat per Spiritum gratiae Christi, ut liberaremur a lege peccati, et mortis, sic enim citato nunc loco Apostolus eamdem vocat concupiscentiam, atque caro adversus spiritum concupiscens a nobis vinceretur; idem designabatur etiam per circumcisionem, fraenandam concupiscentiam, et cupiditates, ad quas caro incitaret, esse ei amputandas, qui legem vellet implere. Quas ergo cupiditates, qui non coerceret, atque reprimeret, et per concupiscentiam adversantem legi, iustificationem legis non impleret in se, quam-

vis carne esset circumcisus, haec tamen circumcisio perinde in eo erat, ac si nulla esset, qui id, cuius signum circumcisio in carne fuit, per animum legi subiectum non exhiberet.

26. *Si igitur praeputium iustitias legis custodiat, nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur,* 27. *et iudicabit id, quod ex natura est praeputium, legem consummans, te, qui per literam, et circumcisionem praevaricator legis es?* Litera est forinsecus sonans lex, eiusmodi fuit vetus illa, quae Judaeis data est lex, per quam quidem ostenderetur, quid esset agendum, et quid cavendum; cum tamen infirmum, et egenum esset elementum, Gal. 4. v. 9. nec vires posset praebere ad se implendam, eo autem magis irritaretur concupiscentia, quae se constringi non pateretur; et „delectatur ut S. Augustinus inquit „lib. 1. ad Simplicianum Quaest. 1. etiam contra „legem facere, cum tanto magis libet, quanto „minus licet" lex tantum facta est ministratio mortis. 2. Cor. 3. v. 7. Cum ergo Judaei per literam, et circumcisionem, illam videlicet in carne, legem praevaricarentur, quarum alteram tantum in carne sua haberent, et non in corde; per alteram eo gravius in peccata ruissent, siquidem lex subintraverit, ut abundaret delictum, Rom. 5. v. 20. carne autem incircumcisae gentes iustitias legis custodirent, nonne, inquit hae pro circumcisis reputandae sunt? nonne hae iudicaturae, et condemnaturae sunt Judaeos, qui circumcisi legem per ipsam legem prae-

varicantur, cuius occasione tantum gravius ab ipsis peccatum esset?

28. *Non enim, qui in manifesto, Judaeus est, neque quae in manifesto, in carne, est circumcisio.* 29. *Sed qui in abscondito, Judaeus est, et circumcisio cordis in Spiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Vult scilicet docere, illum vere, et proprie esse Judaeum, qui corde esset circumcisus, quaeque circuncisio non consisteret in litera, et ea lege, qua circumcideretur caro, sed cor in Spiritu, hoc est, per Spiritum, cuius videlicet Spiritus sancti gratia fieret haec circumcisio cordis. „Circumcisionem cordis dicit, verba sunt S. Augustini, „quae iam supra etiam posui, puram scilicet ab „omni illicita concupiscentia voluntatem, quod „non fit litera docente, et minante, sed Spiritu „adiuvante, atque sanante. Ideo laus talium non ex „hominibus, sed ex Deo est, qui per suam gratiam „praestat, unde laudentur, de quo dicitur: *In Domino laudabitur anima mea* Psal. 33. v. 3. et „cui dicitur: *Apud te laus mea*, Psal. 21. v. 26. „non quales illi sunt, qui Deum laudari volunt, „quod homines sunt, se autem, quod iusti sunt." Huius igitur rei laudem, quod aliquis in abscondito Judaeus, atque circumcisus corde sit; docet, non esse homini a seipso, sed ex Deo, utpote cuius donum sit. Sic namque se ipse Deus declaravit esse, qui circumcideret cor, et legem inscriberet cordi, Deuteronomii cap. 30. v. 6. „Circumcidet „Dominus

„Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis „tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto „corde tuo, et in tota anima tua, ut possis vive- „re.“ Et Jeremiae cap. 31. v. 33. „Dabo legem „meam in visceribus eorum, et in corde eorum „scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt „mihi in populum.“ „Quid sunt ergo, ait S. Au- „gustinus lib. de Spiritu, et lit. cap. 21. leges „Dei ab ipso Deo scriptae in cordibus, nisi ipsa „praesentia Spiritus sancti, qui est digitus Dei, „quo praesente diffunditur charitas in cordibus „nostris, quae plenitudo legis est, et praecepti finis?“

CAPVT III.

Docet quibus tamen rebus Judaei praecelluerint gentilibus. Attamen utrosque fuisse sub peccato, et eguisse gloria Dei: nec aliunde donum iustificationis esse, quam per fidem in Jesum Christum.

1. *Quid ergo amplius Judaeo est? aut quae utilitas circumcisionis?* 2. *Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Aequiparaverat prius Judaeum cum gentili, qui habendo legem, et circumcisionem tamen non differret ab incircumciso per incircumcisum cor, atque legis praevaricationem: quin gentilem, qui legem observaret, esse prae illo Judaeum per circumcisionem cordis. Quare ne nimiopere videretur depressisse Judaeos infra gentiles, et quasi nihilo praecelluissent hos; demonstrat, in quo tamen Judaei potiores fuerint gentilibus. Sed Dei favores

omnes erga ipsos tantum eiusmodi commemorat, quae tantummodo pure externa essent beneficia, et quibus nihilo meliores, Deoque gratiores sint effecti, qui illa acceperint. Cuiusmodi illud est, quod ipsis eloquia Dei credita sint. Nec plura hic exponit, sed haeret tantum in explicando hoc uno. Sed infra capite nono, versu quarto insuper plura alia proponit. „Quorum, inquit, „adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, „et legislatio, et obsequium, et promissa, quo„rum patres, et ex quibus est Christus secundum „carnem.“ Per Dei eloquia autem intelligitur lex, intelliguntur prophetiae, quibus a Deo fuerunt instructi, et quod sui eloquii beneficium aliis nationibus Deus non exhibuit. „Non fecit taliter omni „nationi, et iudicia sua non manifestavit eis.“ Psal. 147. v. 20. et Moyses: „Interroga de die„bus antiquis, qui fuerunt ante te ex die, quo „creavit Deus hominem super terram a summo „caelo usque ad summum eius, si facta est ali„quando huiuscemodi res, aut unquam cognitum est, „ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio „ignis, sicut tu audisti, et vixisti.“ Deut. 4. v. 32.

3. *Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? absit.* Quod eo pertinet, non eo minus fuisse illa firma, quae in suis ad Judaeos eloquiis Deus promisit, etiamsi ipsi increduli fuissent, atque fidem fefellissent Deo, quamvis ne istud quidem factum sit ab eorum omnibus. Neque enim illorum incredulitas Dei fidem potuerit evacuare,

atque efficere, ut id, quod Deus promiserat, non esset firmum, atque ratum. 4. *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum iudicaris.* Illud: *Omnis homo mendax*, testimonii causa est desumptum ex Psalmi 115. v. 2. Cuius sensus est, quemadmodum ibi a me declaratum est, spem, quae in homine poneretur, esse incertam, atque fallacem, cumque mendax sit, nec promissionum quidem illius esse certam firmitatem. Alterum vero testimonium est ex Psalmi 50. versu 6. Ubi cum David suum Deo confessus fuisset peccatum, veniam illius precando, et dixisset: „Tibi soli peccavi, et malum „coram te feci“ subiunxerat postea istud: *Ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum iudicaris.* Cum Deus peccatori veniam promiserit, si eam poenitens quaesivisset, Deut. 30. v. 1. ab eo; hanc David a Deo flagitavit nixus ista eius promissione, ut, inquit, iustificeris in sermonibus tuis, hoc est, ut sermonum ipsius, atque promissionum aequitas constaret, neque in iis, quod absit de Deo, aliqua falsitas appareret. Erat ergo in hac praecatione Davidis agnitio, et confessio Divinae veracitatis, et unde hue modo Paulus testimonium sumit ad demonstrandam eamdem Dei veracitatem. In altera parte istius Davidici testimonii: *Et vincas cum iudicaris*, idem illud esse, quod in anteriore parte fuit, alia tantum verborum forma, atque sensum, facto examine ad textum

Hebraeum, ut se Deus mundum in iudicando, nec adversus illam promissionem de concedenda venia quidpiam agendo exhiberet, explicatum est ad illum Psalmi istius locum.

5. *Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? numquid iniquus est Deus, qui infert iram?* 6. *Secundum hominem dico. Absit: alioquin, quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* Praecessit paulo ante: „Omnis „homo mendax:“ Secundum hominem ergo, dum se hoc dicit dixisse: *Numquid iniquus est Deus, qui infert iram?* perinde est, atque si dixisset, sic quidem hominem aliquem posse de Deo, sed falso, suspicari, et ad hanc praeposteram de Deo delabi consequentiam, quod si iniquitas nostra Dei iustitiam commendet, iniquum esse, si inferat iram. Non esse autem Deum iniquum. Quomodo enim iudicaturus esset orbem, hoc est, condemnaturus? Mundus enim damnabitur, dicente eodem S. Paulo: „Dum iudicamur autem, a Domino cor„ripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.“ 1. Cor. 11. v. 32. „Mundus enim totus in maligno „positus est.“ 1. Joan. 5. v. 19. Quorsum vero hoc totum pertinet? Id egit, et agit Paulus, ut ostendat omnes esse sub peccato, quod deinde exprimit clare versu nono: „Causati enim sumus, in„quiens, Judaeos, et Graecos omnes esse sub „peccato“ et rursus magis inferius versu 23. „Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.“ Judaeos vero iam probaverat superiore capite,

quamvis in lege gloriarentur, per praevaricationem legis Deum inhonorare, et adhuc isto capite versu decimo, iniustos esse probabit omnes. Cum ergo nunc dixisset, ipsis esse commissa eloquia Dei, nec ipsorum incredulitate esse evacuatam fidem Dei, istudque comprobasset exemplo Davidis, qui cum peccavisset, sic Deum interpellaverit veniae causa: *Ut iustificeris in sermonibus tuis*, hinc vero illud videretur esse consequens, ut cum dando veniam Deus iustificetur, eiusque iustitia commendetur, et promissi fides de concedenda venia peccanti, unde gloriam habeat; neque vero hanc veniam tribuere posset, atque adeo neque gloriam istius suae fidelitatis habere, nisi essent, qui peccarunt; ostendit secundum hominem hinc posse inferri, neque a Deo debere aliquem ob peccatum damnari, ex quo peccato ipse laudem, et fidelitatis suae in servandis promissis gloriam adipisceretur. Nam unde Deo gloria comparatur, id esse praemio potius, quam supplicio dignum. Ex quo deinde iterum illud esse consequens, nec Judaeos praevaricatores legis, et incredulos esse arguendos, et a Deo damnandos, contra quam Paulus modo disputat causando omnes, Judaeos, et Graecos esse sub peccato. Cui vero ratiocinationi isti secundum hominem, ipse opposuit: *Numquid iniquus est Deus, qui infert iram?* Illaturum vero esse iram, siquidem iudicaturus, et damnaturus sit mundum. Ergo nec nostra iniquitate commendari iustitiam Dei, qua iustificetur in suis sermonibus: nec proinde iniqui-

tate honorari Deum, et quam non oporteret eum punire, tamquam ex qua commodum potius, quam aliquod detrimentum nominis sui nancisceretur. Huc pertinere, quod modo in istis verbis Pauli convolutum fuit, et ego explicare conatus sum, id, quod sequitur, declarat: 7. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego, tamquam peccator iudicor?* 8. *Et non, sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam, nos dicere, faciamus mala, ut veniant bona. Quorum damnatio iusta est.* Quemadmodum Dei fidelitatem in suis promissis veritatis nomine compellavit; sic vicissim infidelitatem, et incredulitatem suam, in persona autem loquitur Judaeorum, mendacium vocat, quemadmodum Israelitas, qui toties Deo datam fidem de observanda eius lege fregerunt, etiam mentitos esse dicit Psaltes: „Et „dilexerunt eum in ore suo, et lingva sua mentiti „sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum „eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius." Psal. 77. v. 36. Hinc vero, quod Paulus dicat: *Sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere: Faciamus mala, ut veniant bona*, illud perspicitur, fuisse quosdam, qui huc detorserint Pauli doctrinam. „Quia cum dicebat Paulus: *Ubi* „*abundavit peccatum, superabundavit gratia*, „traducentes illum, verba sunt S. Chrysostomi „homil. 6. et ad alium sensum dicta detorquentes, „dicebant, oportere malitiam sectari, ut fruamur „bonis. Paulus vero non ita loquebatur, illud au-

„tem corrigens dicebat: *Quid ergo? perseverabimus in peccato, ut gratia abundet? absit.* „Nam de praeteritis temporibus dixi: non ut haec „meditemur, et exerceamus.“ Si autem, dum David sic Deum precatus est in suo peccato: *Ut iustificeris in sermonibus tuis*, non ex peccato commendata est iustitia Dei, et fides in servandis promissis, cum haec Divinae fidelitatis commendatio non citra Dei laudem, atque gloriam sit; unde ergo effloruit, et cui illius laus tribuenda est? Ipsi Deo. Neque enim illius bonitatis, ac clementiae, qua Deus peccatori propitium se praebet, atque illius fidei, quam erga poenitentem servat; peccatum causa est, sed ipse Deus. Neque enim peccatum ipsum movet ad parcendum, cum ad vindictam potius eum provocet; sed propria bonitas, atque misericordia, qua veniam promisit reo, si poenitens eam peteret, et quam vi propriae etiam suae fidelitatis in servandis promissis praestat. „Hoc est autem id, quod dicit, ver„ba sunt S. Chrysostomi homil. 6. Judaeos Deus „honoravit: illum ipsi contumelia affecerunt. Hoc „illi victoriam parat, et magnam eius benignita„tem demonstrat, quod tales cum essent, hono„raverit. Igitur, quandoquidem, ait, quia nos con„tumelias, et iniurias ipsi intulimus; ideo Deus „vicit, et iustitia eius splendida fuit, cur, inquit, „punior, qui per contumeliam ipsi victoriae causa „fui? Quomodo solvit illud? Alia rursum ab„surditate. Si enim tu, inquit, victoriae causa

„fuisti, et postea puniris; iniustum illud est: si „ille non iniustus est, et tamen puniris; iam non „illi victoriae causa fuisti." Victoriae vocabulo in veniae concessione usus est S. Chrysostomus secundum illa verba: *Et vincas, cum iudicaris*, illius testimonii, quod citatum est a Paulo ex quinquagesimo Psalmo. Quare illorum etiam, a quibus blasphemabatur, quasi ex ipsius dictis sequeretur, facienda esse mala, ut eveniant bona, iustam dicit esse damnationem. Neque enim ideo, quia bonus est Deus, et ex bonitate sua veniam se promisit daturum reo, si facti sui illum poeniteret, amplius est offendendus. „An divitias bonitatis „eius, et patientiae, et longanimitatis contemnis? „Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam „te adducit?" Rom. 2. v. 4. Dei enim bonitas ad amandum ipsum provocare unumquemque debet, non ad magis offendendum.

9. *Quid ergo, praecellimus eos? nequaquam.* Nos videlicet Judaei Graecos. Cum Judaeos modo Graecis anteposuisset in beneficiis, quae ipsis collata sunt a Deo, et quibus sua eloquia concredidisset, nunc ambos rursus ad aequalitatem reducit indignitatis ad gratiam propter peccata. *Causati enim sumus Judaeos, et Graecos omnes sub peccato esse,* 10. *sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam,* 11. *Non est intelligens, non est requirens Deum.* 12. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* 13. *Sepulchrum patens est guttur*

eorum, lingvis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labiis eorum. 14. *Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est.* 15. *Veloces pedes eorum ad effundendum sangvinem:* 16. *contritio, et infelicitas in viis eorum,* 17. *et viam pacis non cognoverunt.* 18. *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Primo capite a versu 21. usque ad finem gentilium idololatriae, luxuriei, atque alia omnis generis flagitia descripserat. Judaeum vero capite secundo versu primo in flagitiosa vita aequiparavit gentili. „In quo enim iudicas alterum, inquit, „teipsum condemnas. Eadem enim agis, quae iu„dicas." Intelligitur ergo, ubinam iam utrosque, Judaeos, et Graecos causatus sit esse sub peccato. Sed et nunc adhuc idipsum probat, ac demonstrat. *Sicut*, inquit, *scriptum est: Quia non est iustus quisquam.* In Psalmo autem decimo tertio, versu 1. est hoc scriptum, sed non his ipsis verbis. Sic enim est: „Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt „in studiis suis, non est, qui faciat bonum, non „est usque ad unum." Quod vero Paulus brevius expressit: *Non est iustus quisquam.* Id quod sequitur deinde: *Non est intelligens, non est requirens Deum*, iterum ex eiusdem Psalmi 13. versu 2. est: Non intelligens vero idem ille designatur, quem Psaltes initio illius Psalmi vocavit insipientem. Etiam adhuc istud: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*, est ex eiusdem Psalmi 13. versu 3. Iidemque dicuntur inutiles,

qui nihil facerent boni. Quod sequitur deinde: *sepulchrum patens est guttur eorum, lingvis suis dolose agebant*, est ex Psalmi 5. versu 11. Improbae autem fauces designantur, unde criminationes prodirent ad perdendos inique alios. *Venenum aspidum sub labiis eorum* Hoc ex Psalmi 139. versu 4. est desumptum. *Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est* Ex Psalmi noni parte altera, versu 7. est istud. Amaritudinis nomine intelliguntur acerbitates, quae lingva iactantur in alium vel imprecando, vel minando. *Veloces pedes eorum ad effundendum sangvinem.* Istud et Proverbiorum capite 1. v. 16. et Isaiae cap. 59. v. 7. existit. *Contritio, et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum.* Hoc vero exstat et eodem isto Isaiae cap. 59. v. 7. et Psalmi 35. v. 1. Contritio autem, et infelicitas in viis ipsorum intelligitur, quas adversitates ipsi solerent aliis afferre.

19. *Scimus autem, quoniam quaecumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur, ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo.* Ne quis posset putare ista testimonia, quae modo allegavit, non pertinere etiam ad Judaeos, istique se possent excipere ab improbitate, et iniustitia, in qua omnes esse, modo demonstraverat, docet haec testimonia in ipsorum lege esse. Legem vero utique iis loqui, qui sub eadem lege essent. Legis vero nomine latius Paulus omne Divinarum literarum genus comprehendit. Quod perinde est. Omnis

enim reliqua etiam Scriptura Veteris Testamenti, unde omnia illa documenta deprompta sunt, ad Judaeos pertinuit. „Cum vero dicit Paulus, ait S. „Chrysostomus homil. 7. *ut omne os obstruatur*, „non hoc ait, quod ideo peccaverint, ut os ipsorum obstrueretur; sed ideo confutabantur, ut ne „ignorarent, se peccavisse. *Et totus mundus ob-* „*noxius* (ὑπόδικος) *fiat Deo.* Non dixit Judaeus, „sed tota natura. Illud namque, *Ut omne os ob-* „*struatur*, illos subindicat, licet non manifeste, „ne asperior sermo esset. Illud autem, *Ut totus* „*mundus obnoxius fiat Deo*, simul et de Judaeis, „et de gentilibus dictum est. Non parum autem „confert ad illorum arrogantiam comprimendam, „cum nihil hic plus habeant, quam gentiles, sed „simul tradantur secundum salutis verbum (obno- „xii videlicet.) Nam obnoxius proprie dicitur is, „qui non sibi satis esse possit ad defensionem, sed „alterius indiget ope: qualia erant nostra omnia, „cum ea, quae ad salutem tenderent, amisisse- „mus.“ Ex eo autem, quod antecessit, omnes esse sub peccato, et unde hoc, totum mundum subditum se debere agnoscere Deo, intulit; et quod deinde ponit, postquam reiecisset omnia, atque ipsam etiam legem, unde homo, quasi per seipsum, aliquid posset habere iustitiae, aut saltem quidpiam iuris ad hanc, Justitiam Dei esse per fidem in Jesum Christum in omnes, et super omnes; intelligitur haec eiusmodi subiectio erga Deum, ut non modo homo ex se nihil habeat, cur donum iusti-

tiae accipiat a Deo, sed potius mereatur damnationem: et dum nihilominus iustitiae donum adipiscitur; istius beneficii causam recognoscat solam esse voluntatem, misericordiam, et gratiam Dei.

20. *Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.* 21. *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata a lege, et Prophetis.* 22. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum. Non enim est distinctio.* 23. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* Nectitur hoc cum eo, quod antecessit, ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo, atquè ne Judaei etiam propter legem, quam a Deo acceperunt, et cuius studium multi inter eos ante se tulerint, sibi ius aliquod constituerent iustitiae, quam aliquibus suis operibus observatae legis obtinuerint, istam etiam viam, qua iustitiam assequi potuerint, obstruit, et occludit. *Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Non omnis caro, a partè denominando totum hominem, idem est, atque si dictum esset: Nullus homo. Quaenam vero, et qualis lex intelligitur, cuius operibus negat aliquem iustificandum esse coram Deo? Legem intelligit non solum eam, quae in caerimoniis, et ritibus, constiterit, sed ipsam etiam legem Decalogi. Quod S. Augustinus lib. de Spir. et lit. cap. 8. inde demonstrat, quod Apostolus ipsum hoc declaraverit verbis istis subsequentibus: *Per legem enim cognitio peccati.* „ Ac

„ne quisquam putaret, ipsius sunt verba, hic Apo-„stolum ea lege dixisse, neminem iustificari, quae „in sacramentis veteribus multa continet figurata „praecepta, unde etiam ipsa est circumcisio carnis, „quam die octavo accipere parvuli iussi sunt; con-„tinuo subiunxit, quam legem dixerit, et ait: *Per* „*legem enim cognitio peccati.* Illa igitur lex est, de „qua postea dicit: *Peccatum non cognovi nisi per* „*legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex* „*diceret: Non concupisces.* Rom. 7. v. 7. Nam „quid est aliud, *Per legem enim cognitio peccati?*"
Quamnam vero intelligit Apostolus Justitiam Dei, testificatam a lege, et Prophetis, quaeque per fidem Jesu Christi sit in omnes, et super omnes? Intelligitur non illa iustitia, quae ipsi Deo inest, vel qua punit; sed iustitiae donum, quo nos iustos facit. „Justitia Dei manifestata est, ait S. Augustinus „lib. de Spir. et lit. cap. 9. non dixit iustitia ho-„minis, vel iustitia propriae voluntatis, sed iusti-„tia Dei: non qua Deus iustus est, sed qua induit „hominem, cum iustificat impium. Haec testifica-„tur per legem, et prophetas. Huic quippe testi-„monium perhibent lex, et prophetae. Lex quidem „hoc ipso, quod iubendo, et minando, et nemi-„nem iustificando satis indicat, dono Dei iustifica-„ri hominem per adiutorium Spiritus; prophetae „autem, quia id, quod praedixerunt, Christi im-„plevit adventus. Nam hinc sequitur, et adiungit, „dicens: *Justitia autem Dei per fidem Jesu Chri-„sti*, hoc est, per fidem, qua creditur in Chri-

„stum. Sicut autem ista fides Christi dicta est, non „qua credit Christus; sic et illa iustitia Dei, non „qua iustus est Deus. Utrumque enim nostrum est, „Sed ideo Dei, et Christi dicitur, quod eius no„bis largitate donatur.“ Hac eadem ratione iam etiam capitis primi versu 17. iustitia, quae in Evangelio revelatur ex fide in fidem, et unde iustus vivit, vocata fuit iustitia Dei. Sine lege igitur haec Dei iustitia manifestata est, in Evangelio scilicet, ubi esse illam revelatam iam etiam primo capite fuit, quemadmodum modo dictum est. Quomodo autem sine lege? quam scilicet Deus nulla habita ratione operum legis, sed gratis tribuerit: quemadmodum infra deinde sequitur. „Justificati gratis per „gratiam ipsius;“ et sicut antecessit: *Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.*

Fuit vero superioris capitis versu 13. „Non „auditores legis iusti sunt apud Deum; sed facto„res legis iustificabuntur.“ Si factores legis iustificabuntur, quomodo ergo ex operibus legis tamen dicitur nemo iustificandus esse apud Deum? Sed et Jacobus diserte operibus tribuit iustificationem: „Videtis, inquit, quoniam ex operibus iustificatur „homo, et non ex fide tantum?“ Jac. 2. v. 24. Et non tantum Jacobus fidem sine operibus mortuam esse docet, verum etiam Paulus sic de illa pronunciat: „Si habuero omnem fidem, ita ut mon„tes transferam, charitatem autem non habuero, „nihil sum.“ 1. Cor. 13. v. 2. Plenitudo autem legis est dilectio. Rom. 13. v. 10. Quod si ergo fi-

des non valet sine dilectione; haec vero sita est in Dei mandatorum observantia: „Qui enim habet „mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit „me" Joan. 14. v. 21. atque adeo in operibus legis; quomodo non hoc contrarium est huic, quod modo a Paulo est dictum ex operibus legis neminem iustificari apud Deum, sed sine lege, et per fidem esse iustitiam, fierique iustificationem? Nam qua ratione non consequens erit, ut non tantum etiam ex operibus legis fiat iustificatio, sed haec ne quidem per fidem fiat sine illis? Jam ad superioris capitis versum 13. demonstratum est, ut posteaquam homo per viam solius fidei, pureque ex gratia citra suum proprium aliquod opus, quo iustificationis beneficium obtinere potuerit, iustificatus est; is fidem suam operibus etiam, atque Dei mandatorum observantia testari, exhibereque debeat. Secus futuram illius mortuam fidem, atque inutilem ad salutem, cum in Christo Jesu aliud non valeat, quam fides, quae per charitatem operatur. Gal. 5. v. 6. Nam cum sine fide impossibile sit placere Deo; Hebr. 11. v. 6. quidquid sine fide actum est a quopiam, nec Deo etiam acceptum esse potest. Opera vero pia, et mandatorum Divinorum observantia, quae ex fide erga Deum proficiscuntur, tantum abest, ut fidei contraria esse possint, ut potius illam etiam testificentur, et illius futura esset negatio, nisi per facta etiam illius fiat testatio, secundum illud Pauli: „Confitentur se nosse Deum, „factis autem negant." Tit. 1. v. 16.

Occurrit vero hic, atque se obiicit rursus illud, quod Judaei, quorum opera, ex lege facta, reprobantur, cum ex spiritali consequente eos petra, quae erat Christus, biberint, 1. Cor. 10. v. 4. non fuerint sine fide. Cur ergo, quamvis haberent fidem, in venturum enim Christum crediderunt, ex operibus legis non iustificabantur? quia laudem suorum operum sibi attribuerunt, nec illam ad Deum per fidem in Christum retulerunt. Ex sancto Paulo demonstrat istud S. Augustinus lib. de Spir. et lit. cap. 29. „*Gentes*, inquit, *quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem,* „*quae ex fide est*, impetrando eam ex Deo, non „ex semetipsis praesumendo. *Israel vero, sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit. Quare? quia non fide, sed tamquam ex operibus:* Rom. 9. v. 30. idest, tamquam eam per „semetipsos operantes, non in se credentes operari Deum. *Deus est enim, qui operatur in nobis* „*et velle, et operari pro bona voluntate.* Philip. „2. v. 13. Ac per hoc *offenderunt in lapidem offensionis.* Rom. 9. v. 32. Nam quid dixerit, *quia* „*non ex fide, sed tamquam ex operibus*, apertissime exposuit ad Romanos cap. 10. versu 3. dicens: *Ignorantes enim Dei iustitiam, et suam* „*volentes constituere, iustitiae Dei non sunt subiecti. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni* „*credenti.* Et adhuc dubitamus, quae sint opera „legis, quibus homo non iustificatur, si ea, tamquam sua, crediderit sine adiutorio, et dono Dei,

„quod

„quod est ex fide Jesu Christi, et circumcisionem, „ceteraque talia suspicamur, quia etiam de his sa- „cramentis aliis in locis talia quaedam leguntur? „Sed hic utique non circumcisionem tamquam suam „iustitiam volebant constituere, quia et ipsam Deus „praecipiendo constituit. Nec de illis operibus hoc „intelligi potest, de quibus Dominus eis dicit: „*Reiicitis mandatum Dei, ut traditiones vestras* „*statuatis:* Matth. 15. v. 3. *Quia sectando*, in- „quit, *legem iustitiae*, *in legem iustitiae non per-* „*venit Israel.* Non dixit sectando traditiones suas. „Haec ergo sola distantia est, quia ipsum, *Non* „*concupisces*, et cetera mandata eius sancta, et „bona sibi tribuebant: quae, ut possit homo face- „re, Deus operatur in homine per fidem Jesu Chri- „sti, qui finis est ad iustitiam omni credenti, id „est, cui per Spiritum incorporatus, factusque mem- „brum eius, potest quisque illo incrementum in- „trinsecus dante, operari iustitiam: de cuius ope- „ribus etiam ipse dixit: *Quia sine me nihil pote-* „*stis facere.*" Joan. 15. v. 5.

Ex operibus ergo legis ideo Judaei non iustificabantur, quod sibi illa tribuerint, atque a se suis viribus facta putarent: atque ista ratione ex legis operibus non iustificabantur, perinde atque ne per fidem quidem aliquis iustificabitur, si hanc non gratiae Dei, sed suis viribus attribuet. Negabit enim esse Dei donum, atque ita iustitiae Dei non erit subiectus suam statuendo iustitiam, incurretque in petram scandali, atque lapidem offensionis, seque

ipsum confringet, Matth. 21. v. 44. iustitiae donum, quod a Christo est, sibi cum Christi iniuria attribuendo. Nimirum fons omnis iustitiae nostrae est, unus Christus. „Non enim est in alio aliquo salus. „Nec aliud nomen sub caelo datum est hominibus, „in quo oporteat nos salvos fieri.“ Act. 4. v. 12. Per fidem autem in ipsum, qua illum credimus esse Redemptorem nostrum, atque salutis nostrae auctorem, iustitiae nobis donum confertur per illum. Qui ergo sibi aliquid tribuit, quo coram Deo iustificetur, quasi per seipsum; is eo ipso negat unum salutis suae auctorem sibi esse Christum, sine quo putat iustum se esse posse. Qua ratione cum Judaei erga Christum, quamvis in illum venturum antea credidissent, postquam advenerat, se se gessissent, nec Messiam esse, recognoscere voluissent; a fide in Christum excidentes, quantumcumque legi adhaererent; tamen per opera legis iustificari non potuerunt. *Justitia enim Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum.* Opera autem legis per seipsum non iustificant, nec iustificare possunt, quia sic homo suo opere iustificaretur, et non per Christum: sed si fiant cum fide erga Christum, non quidem per seipsa, sed propter fidem in Christum iustificant eum, a quo illa fiunt. Et tantum abest, ut disconveniant cum fide, ut haec sine illis etiam nonnisi mortua fides sit, nec iam illa fides sit, quam solam Paulus in Christo Jesu valere dicit, quae per charitatem operetur. Et nihilominus gratuita est iustificatio etiam

ex illis operibus, quae cum fide fiunt, quia non suo operi homo, sed soli Christo in acceptis referendum habet iustificationis donum, a quo gratis datur: siquidem nullum opus, qualecumque, ex seipso habet, ut illo nobis Deum demereri, et ad aliquid tribuendum obligare possimus: sed Deus, tantum propter Christum, id omne nobis tribuat, quod tribuit sive erga fidem, sive opus nostrum, atque ipsa etiam fides, et tanto magis etiam opus, quod cum fide fit, sit ipsius Dei donum per eumdem Christum. „Quid enim habes, quod non ac-„cepisti?“ 1. Cor. 4. v. 7. Et „Sine me nihil po-„testis facere.“ Joan. 15. v. 5.

Sic hoc se habet, unde, credo, iam intelligi potest, qua ratione ista inter se apta sint, atque cohaereant, dum iam in Scriptura per fidem sine operibus legis iustificari dicimur, iam ex operibus. Unum hoc proculdubio est ex illis, quae S. Petrus 2. Epist. 3. v. 16. dixit in Epistolis S. Pauli, esse difficilia intellectu, quaeque indocti, et instabiles depravent, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Alterum de operibus cum Pelagiani essent amplexi, quasi his ipse sibi homo, propria sua actione mereretur iustificationem, iustitiae Dei non manserunt subiecti; quae est per Christum: alterum de fide sine operibus, cum secuti fuissent hi, qui in Augustana et Helvetica Confessione de reformata a se Religione gloriantur; induxerunt apud se fidem, quae sine operibus salvare non potest, Jac. 2. v. 14. et quae sine operatione

per charitatem nihil valet in Christo. Gal. 5. v. 6. Ecclesia autem Catholica utrumque profitetur et gratuitum esse iustificationis donum unice per Christum, via fidei in ipsum, nec tantum solis verbis, verum etiam factis probat sibi confitendum esse Deum, et docet, utrumque quod Scriptura tradit; qua ratione inter se non pugnet, sed verum sit. Quia a fide Catholica deviant, et extra rectam fidem pereunt, cur ingenii sui pruritum tantum sequuntur, et non audiunt Ecclesiam?

Cetera, quae fortasse hic adhuc indigerent aliqua declaratione, sunt ista. Pro huius rei causa, quod ex operibus legis nemo iustificetur coram Deo, Paulus posuit hoc: *Per legem enim cognitio peccati:* Neque enim lex aliam, quam ostendendi vim habebat, quid agendum, quid omittendum sit: et nec vires tribuebat ad agendum id, quod praeciperetur: et si fortasse metu poenae aliquem adegisset ad observantiam; tamen sine fide erga Christum, impossibile erat, ut placeret Deo. Sine lege autem Dei iustitia manifestata est, siquidem ii, qui iustificationis donum ex Evangelio consecuti sunt, non vi operum, quae secundum legem fecerint, sed per fidem, qua crediderunt in Christum; illud percepe-rint, sine qua fide nihil etiam opera possent Deo placere, et ad salutem prodesse. In omnes autem, et super omnes, *Non enim est distinctio*, in Judaeos videlicet, et gentiles Dei iustitia manifestata est per fidem in Christum, cum etiam Judaeis, etiamsi aliqua legis opera haberent, non quasi

propter meritum proprii operis, sed citra illius intuitum, dono Christi, per fidem iustitiae beneficium tribueretur. Cuius rursus illa ratio est, quod omnes peccaverint, et egeant gloria Dei. Utrique videlicet Judaei, et gentiles erant propter originale peccatum in massa damnationis. Neque vero seipsos ad iustitiam, unde per peccatum exciderunt, reponere ipsi se ullatenus potuerunt. Indiguerunt ergo omnes homines gloria Dei: hoc est, Dei succursu per eius misericordiam, et gratiam, qua ipsis absque ullo suo merito, sed potius immerentibus, iustitiae donum gratis tribueretur: quod Deus praestitit per Christum; et cuius proinde iustitiae, in omnibus, qui ad eam repositi sunt, sive illi Judaei, sive gentiles sint, gloriam ex suo dono solus habeat Deus, et nullam ipse homo.

Quare ita deinde sequitur de his, qui cum omnes peccavissent, egeant gloria Dei: 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Jesu.* 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sangvine eius, ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum.* Gratis iustificati dicimur per gratiam Dei, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, hoc est, per Christum Jesum. Si vero redempti sumus per Christum, atque is sangvinem suum pro nobis dedit, quomodo illa iustificatio, quam Deus nobis praestitit, gratuita fuit? Quia videlicet in Christo Deus suum ipse Unigenitum Filium dedit, qui satisfactionem pro nobis exhiberet, ipsa-

que illa redemptio, non alterius, quam ipsius Dei benignitas, misericordia, donumque fuerit. „Sic „enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum Uni„genitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non „pereat, sed habeat vitam aeternam." Joan. 3. v. 16. Atque hunc proposuit propitiationem per fidem in sangvine ipsius ad ostensionem iustitiae suae, nimirum, quae revelata, quae manifestata est, ut iam antecessit in Evangelio, quaque nos iustificaremur. Sequitur enim hanc ostensionem iustitiae a Deo factam esse propter remissionem praecedentium delictorum. Num vero Christus non etiam satisfactionem suo sangvine exhibuit in redemptionem illorum delictorum, quae postea ad finem usque mundi committerentur? Imo. Sed, qui praecedentia tantum delicta memorat, non propterea alia, quae adhuc subsecuta sunt, et sequentur, negat. Sed praecedentia speciatim commemorat, quod de indignitate hominum omnium agat ad obtinendum iustificationis donum per Christum, quem Deus proposuit propitiationem. Hanc vero indignitatem iam illa delicta, quae redemptionem antecesserunt, meruerint, et nondum illa, quae tum adhuc non fuerunt.

26. *In sustentatione Dei ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore, ut sit ipse iustus, et iustificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.* Nexum est hoc cum antecedente versu: Quem Deus proposuit propitiationem in sustentatione Graece: ἐν τῇ ἀνοχῇ *in patientia Dei*, ut superioris capitis

versu 4. hoc vertit ipse etiam interpres Latinus: hoc est, in sua patientia, et placabilitate, repetendo ipsum nomen in locum pronominis, *ad ostensionem iustitiae eius*, iustitiae suae, *in hoc tempore*, quo scilicet Christum proposuit, per quem haberemus propitiationem, *ut sit ipse iustus, et iustificans eum, qui est ex fide Jesu Christi*, hoc est, ut et ipse Deus agnosceretur esse iustus, nam haec omnino resplenduit, dum pro peccatis nostris satisfactionem exigeret, quae fieret proprio Filii sui sangvine, atque donum suae iustitiae illis praeberet, qui in Christum, quem propitiationem proposuit, crederent.

27. *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? non: sed per legem fidei.* Negat Paulus gloriationem, quae exclusa est, exclusam esse lege factorum Graece: τῶν ἔργων, *operum*, sed per legem fidei. Nempe si Deus, tributurus nobis iustitiam, opera a nobis exegisset, nobis gloriandi facultas relicta esset de iustitia, quam nobismet nostro labore promeruerimus. At vero Deus hanc legem operum nobis non praescripsit, sed legem fidei. Dum ergo per fidem iustificamur, absque aliquo nostro opere, cuius intuitu Deus iustitiam suam nobis largiretur, et gratis illius solo dono; nobis de nobis gloriandi nullus est locus relictus. „Qui „gloriatur, in Domino glorietur." 2. Cor. 10. v. 17.

28. *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Arbitramur*, Graece λογιζόμεθα: quod significat, aliquid ex praeceden-

tibus concludere per rationem inferre, evincere. Ex his videlicet, quae hactenus disputavit de lege, quae per seipsum neminem possit iustificare, quaeque non aliud praestat, quam cognitionem peccatorum; deinde, quod omnes peccaverint, Deique gloria indigeant, istud intulit. Huc ad istum versiculum Lutherus Tomo 4. operum Virtemberg. anno 1551. pag. 475. assuit vocabulum *solam*, ut sic sit ab eo positum: *Arbitramur iustificari hominem per solam fidem.* Quae licentia cum ei fuisset vitio data a Catholicis, sic homo disertissimus reposuit: „Doctor Martinus Lutherus vult sic habere, et dicit „Papistam, et asinum rem esse unam. Sic volo, „sic iubeo; sit pro ratione voluntas. Noluimus enim „Papistarum scholares esse, sed iudices. Lutherus „ita vult, et ait se doctorem super omnes doctores totius Papatus." Utique dum Paulus dicit iustificari hominem sine operibus legis, et rursus ad Galatas cap. 2. v. 16. „Scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut „iustificemur ex fide Christi, et non ex operibus „legis: propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro," atque opera excluduntur; relinquitur, ut tantummodo per fidem intelligatur iustificatio fieri, nec proinde illud additamentum praeter temeritatem assuendi aliquid ad textum de suo, tam grave esset, nisi hoc ipsum a proposito Pauli ad suum tantum ingenium alio derivandi causa et ad reprobanda illa etiam opera, quae ex fide

in Christum fierent, factum esset. De his vero operibus, quonam modo ad iustificationem non pertinere, intelligere oporteat iam fuit dictum paulo ante, et statim iterum se per fidem non destruere legem, sed statuere, declarabit ipse Paulus: quam tamen destruxit Lutherus. Ergo non tantum scholaris Papistarum esse noluit, sed nec ipsius Pauli. Nam ad illud convitium de asino nec respondendum est. Sicut enim prudens, et humanum non fuit, conviciari; ita nec esset, convitium convitio reddere.

29. *An Judaeorum Deus tantum? nonne et gentium? Imo et gentium.* 30. *Quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem.* „Ac si diceret, verba sunt S. Chrysostomi homil. 7. cur enim hoc tibi absurdum videtur esse, quod omnis homo salutem consequatur? Num Deus parti uni tantum favet? Hinc ostendens, illos, dum gentibus molesti esse volunt, Dei gloriam potius labefactare, si non sinunt illum omnium esse Deum. Si autem omnium Deus est, omnibus providet: si omnibus providet, omnes similiter per fidem servat. Ideo ait: *Num Judaeorum Deus tantum? nonne et gentium? Imo et gentium.* Non est enim partis alicuius, ut Graecorum fabulae ferunt, sed communis omnium Deus, et unus. Ideo subiungit: *Quoniam quidem unus est Deus.* Hoc est idem ipse et horum, et illorum Dóminus. Si autem vetera mihi dicis; tunc quoque providentia communis erat, etsi diverso modo. Etenim tibi lex

„scripta data fuit; illis vero lex naturalis. Et hi „nihil minus habebant, si voluissent, sed vincere „poterant." Unum vero Deum esse dixit, qui iustificet, et circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem: nempe quibus utrisque Deus idem donum fidei contulerit, et sine quo neutri iustificati essent: ac proinde Deum se non minus gentibus, quam Judaeis benignum exhibuisse. Nam tametsi hi alteri habuerint sibi circumcisionem datam, tamen non hinc, sed perinde, ut gentiles per fidem esse iustificatos. Hoc vero: *Unus Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem* „non ad aliquam differentiam dictum est, „ait S. Augustinus lib. de Spir. et lit. cap. 29. „tamquam aliud sit *ex fide*, et aliud *per fidem*, „sed ad varietatem locutionis. Alio quippe loco, „cum de gentibus diceret, hoc est, de praeputio: „*Praevidens*, inquit, *Scriptura*, *quia ex fide iu*„*stificat gentes Deus*. Gal. 3. v. 8. Itemque, cum „de circumcisione loqueretur, unde erat ipse: *Nos*, „inquit, *natura Judaei*, *et non ex gentibus pec*„*catores*, *scientes*, *quia non iustificatur homo* „*ex operibus legis*, *nisi per fidem Jesu Christi*, „*et nos in Christum credimus*. Gal. 2. v. 15. Ecce „et praeputium dixit iustificari ex fide, et circum„cisionem per fidem, si tamen circumcisio iusti„tiam fidei teneat."

31. *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus*. Graece: ἱςῶμεν, *stabilimus*. Ex eo enim, quod hactenus probavit, iustificari ho-

minem per fidem sine operibus legis, poterat videri, quasi legem vellet eiicere, atque eliminare tamquam non solum inutilem, sed fidei etiam contrariam. Hoc igitur ipse praeoccupat, et non tantum hanc esse illationem negat, verum etiam infert contrariam. Legem, inquit, non destruimus per fidem, sed statuimus. Quonam vero modo lex non destruitur, si per fidem sine operibus legis fieri ponitur iustificatio? Hic qua ratione per fidem lex non destruatur, sed potius statuatur, non ulterius declarat Paulus. At vero inferius capite 8. v. 3. istud demonstrat. „Nam quod, inquit, impossibile „erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus „Filium suum mittens in similitudinem carnis pec„cati, et de peccato damnavit peccatum in carne, „ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non „secundum carnem ambulamus, sed secundum Spi„ritum.“ Per legem enim tantum cognitio peccati. Vires autem ipsa per seipsam non praebuit ad se implendam. Per fidem autem data est haec a Deo gratia. „Lex non evacuatur, ait S. Augustinus lib. „de Spir. et lit. cap. 30. sed statuitur per fidem, „quia fides impetrat gratiam, qua impleatur.“ Promisit Deus per Jeremiam prophetam cap. 31. v. 33. legem se in Testamento novo scripturum in corda. „Dabo, inquit, legem meam in visceribus „eorum, et in corde eorum scribam eam.“ In vetere autem testamento lex fuerat data in tabulis lapideis. Quodnam ergo est discrimen quoad legem inter vetus, et novum Testamentum? „Lex ibi in

„tabulis, ait S. Augustinus lib. de Spir. et lit. cap. „25. hic in cordibus scribitur, ut quod ibi forin- „secus terret; hic delectet intrinsecus, ibique fiat „praevaricator per occidentem literam, hic dilector „per vivificantem Spiritum.“ Illane ergo lex per fidem destructa est, quam cum Judaeis Deus tantum scriptam dedisset in tabulis lapideis; hanc nunc in testamento novo credentium etiam inscripsit cordibus? aut illa iam nunc non tenet, et frustra illam Deus dedit intro ad cor, aut minus Christianus illius erit praevaricator, habens legem in corde quam Judaeus, qui illam accepit in tabulis lapideis? Legem statuimus, ait Paulus, per fidem. Per fidem legem abrogarunt ii, qui hanc sibi in Augustana, et Helvetica Confessione reformarunt. Qualisnam ergo est haec fides, et estne eadem, quam docuit S. Paulus?

CAPUT IV.

Exemplo Abrahae probat iustificationem fieri per fidem absque proprio hominis merito, sed nec in circumcisione esse eiusmodi aliquod meritum constituendum: et promissionem, quae Abrahae facta est, non fuisse fundatam in lege, sed in sola Dei promittentis fidelitate.

1. Q*UID ergo dicemus invenisse Abraham, patrem nostrum secundum carnem?* Ea, quae prius docuit de iustificatione per fidem sine operibus le-

gis, nunc confirmat exemplo Abrahae, cui fides sit reputata ad iustitiam. In Judaeorum vero persona loquitur, atque ista ratione Abrahamum suum patrem secundum carnem vocat. Judaeorum enim secundum carnem fuit pater, sed per Spiritum fidei fuit omnium credentium pater. „Qui enim ex fide „sunt, ii sunt filii Abrahae." Gal. 3. v. 7. „Illum „patrem, ait S. Chrysostomus homil. 8. secundum „carnem vocavit, eiiciens illos ex germana eius „cognatione, et viam parans gentibus ad propin„quitatem cum illo habendam." Ex Graeco autem, ubi est: *Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrum invenisse secundum carnem?* (Τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν εὑρηκέναι κατὰ σάρκα, dubitatio oritur, istud: *secundum carnem*, sitne referendum ad Abraham patrem, an ad verbum: *invenit*. Syrus ista altera ratione hoc sumpsit sic vertens: *Quid ergo dicemus de Abraham principe patrum, eum adeptum esse carne?* Quare S. Thomas in Commentario hoc: *secundum carnem*, sic accepit: „Id est, inquit, secundum circumcisionem „carnalem." Quem sensum illud deinde confirmat, quod quam quaestionem nunc Paulus isto primo versu posuit, eamdem infra versu 10. repetat applicando ad circumcisionem manifeste. „Quomodo „ergo reputata est, inquiens; in circumcisione, an in „praeputio?" Et utique circumcisio haec opus fuit aliquod legis, et in ea consideratione apud Judaeos; ut in nullo alio, quam in hoc plus reponerent. 2. *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet*

gloriam, sed non apud Deum. Nam si iustificationis beneficium vi suorum operum consecutus esset, utique his iisdem suis operibus, atque sibi tribuere illud posset, ac proinde haberet, unde de se glorietur, qui eiusmodi aliquid egerit, propter quod meruerit iustificari. Si vero istius suae iustificationis gloriam sibi vindicaret, Deus ex collata Abrahamo iustitia gloriam non haberet, cuius hoc erga Abrahamum non fuisset beneficium, sed debitum. Nam istud: *Gloriam apud Deum*, sic esse positum, quod Dei sit beneficium, et gratia; ex versu deinde subsequente quarto perspicuum fiet. Nam ceteroquin, siquidem Abrahamo in Domino fuerit gloriandum; 1. Cor. 1. v. 31. profecto haec ipsius gloria, qua in Deo gloriabatur, etiam fuit apud Deum.

3. *Quid enim dicit Scriptura: Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam.* Genes. 15. v. 6. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* 5. *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei.* Exemplum illius fidei Abrahae memorat, cum nocte quapiam a Deo foras productus, et sideribus plenum caelum intueri, stellasque in eo numerare iussus fuisset, eique Deus promisisset, tantum etiam semen, et tot posteros habiturum, ut numerus eorum iniri non possit, quamvis sine prole ad id tempus fuisset, nec

eius spem ex sterili, et vetula uxore Sara habere potuisset. Et quod cum nihilominus credidisset, a Deo ei reputatum esse in iustitiam, est illo Geneseos loco. Certe autem Abraham non tunc primum iustificatus est, nec haec eius prima fides erga Deum fuit, de quo idem Paulus in Epistola ad Hebraeos cap. 11. v. 8. sic testatur: „Fide, inquit, qui vo-„catur Abraham obedivit in locum exire, quem ac-„cepturus erat in haereditatem, et exiit, nesciens, „quo iret." Sed cum de hac fide Abrahae, quam modo exhibuit Deo, cum ei Deus innumerabilem posterorum multitudinem pollicitus fuisset, manifeste esset ibi positum, reputatam esse ei in iustitiam; hinc exemplum pro documento sumpsit, unde evidenter ostenderet, fidem esse, cui iustificatio tribueretur. Nam hinc consequens erat, ut quoniam Scriptura testaretur, fidem ipsi reputatam esse ad iustitiam; nec alias, et cum a principio fuisset iustificatus, hocce iustitiae donum citra fidem adeptum esse. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Quod eo pertinet, ut illud confirmet, quod antecessit, Abrahamum iustificatum esse per fidem, adeoque secundum gratiam, non secundum debitum, atque propter aliquod opus suum, quo illud iustitiae beneficium a Deo meruerit. *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei.* Hoc est, ei vero; qui non habet opus, unde mereretur iustificari, sed qui

tantum credit in eum, qui potest iustificare impium; fides reputatur ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei. Haec extrema istius versiculi verba: *secundum propositum gratiae Dei*, non existunt in Graeco, sed nec in antiqua aliqua Orientali Versione, aut in Latinis etiam Manuscriptis. Additionem tamen hanc esse pervetustam, apparet ex eo, quod apud Sedulium, et in Commentario existat, qui S. Ambrosii nomine inscribitur in Epistolas S. Pauli. Pertinet autem haec additio eo, quo clarius intelligeretur, quod dum fides cuipiam ad iustitiam imputatur a Deo; haec imputatio fiat ex pura Dei gratia, et voluntate, qui cuius velit, misereatur, Rom. 9. v. 18. et non sit hominis ipsius, vel volentis, vel currentis, et propter proprium aliquod ipsius opus, quo iustitiam sibi promereri potuerit. „Gratia estis salvati, ait idem Apostolus, per fi„dem, et hoc non ex vobis. Dei enim donum „est.“ Eph. 2. v. 8.

6. *Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus.* 7. *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* 8. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert, Graece, λογίζεται, *imputat* iustitiam sine operibus. Idemque hoc verbum est in Graeco, quod etiam Latinus Interpres sic vertit et supra versu 3. et infra versu 8. ponendo Latinum verbum imputare. Est autem testimonium hoc Davidicum, quod deinde producit,

producit, ex initio Psalmi 31. Beati praedicantur, quorum Deus remiserit iniquitates, et quibus non imputaverit peccata. Hinc enim intelligitur, in homine, qui beatus praedicatur, non tantum aliquid non esse, cur beatitas illa ei conferatur; sed hanc ei conferri remittendo iniquitates, et non imputando peccata, et ob quae tantum abest, ut dignus fuerit hac beatitate, quae ei a Deo collata est; ut supplicio etiam potius dignus fuerit: ac proinde non tantum in iustificatione, non esse hominis aliquod proprium meritum, sed potius hanc a Deo conferri immerenti, et non beneficio, sed supplicio digno. Est autem haec illa prima iustificatio hominis, quae semper sic fit, ut ex peccatore fiat is iustus, cui iustitiae donum tribuitur. Nam ubi quis iam iustificatus est, non eo minus ulterior ipsi non tantum fides, verum etiam opera, quae iam iustificatus ex fide erga Deum exercet, ad uberiorem iustitiam imputantur: quemadmodum de Abrahamo paulo ante ostensum fuit, hanc fidem, quam illi Paulus ad iustitiam imputatam esse dixit, non primam ipsius fidem, nec proinde primam etiam iustitiam fuisse: et de ipsius illo opere, quo Isaac filium suum offerebat super altare, itidem ipsum iustificatum esse docet Jacobus Apostolus cap. 2. v. 21. quod eius opus posterius etiam ista fide fuit, quae ei reputata ad iustitiam est, quando Deo credidit, multitudinem posterorum instar stellarum innumerabilium promittenti, cum neque filium adhuc tum habuisset.

Homines Augustanae, et Helveticae Confessionis, qui totam iustitiae, et salutis rationem in sola fide constituunt, quo leviores incedant, et quasi sine operum onere, similiter huic suae vacuae, atque inani fidei, iustitiam etiam talem apud se induxerunt, quae non sit eiusmodi, ut homo, qui iustificatur a Deo, vere fieret iustus, sed cui tantum iustitia Christi imputetur, manente pristina iniustitia, quaeque per iustitiam Christi, quae ei imputetur, tantum quasi quodam pallio tegatur, Deoque abscondatur. In his autem Davidis verbis, aliisque Scripturae locis, ubi eadem loquendi ratio redit, se se fundant. Similiter autem in contrariam partem etiam de peccatis est, Deuteronomii cap. 23. v. 21. cap. 24. v. 15. etc. imputari haec homini a Deo, et peccatores opertos esse iniquitate. Psal. 72. v. 6. Hinc ergo consequeretur, ne eum quidem, qui peccat, atque ipsum primum hominem, cum peccasset, fuisse vere factum peccatorem, sed esse ei peccatum a Deo tantum imputatum, quamvis illud reapse non haberet, (dum enim idem vocabulum in utramque partem usurpatur; illius utrobique eadem etiam esse debet significatio) nec in peccando aliud fieri, quam iustitiam, in qua primus homo creatus est, Eph. 4. v. 24. peccati velo tegi, mansisseque nos, cum in primo homine omnes peccassemus, omnino iustos. Et tamen dum iustificamur, iterum iustitiae velo tegeremur; atque ita nihil nisi pallia, atque vela aliis palliis, et velis superponunt. Jam ergo potius per iustificationem

priorem iniustitiae imputationem, et iniquitatis operimentum sustulissent. Ita homo reipsa iustus, et is qui esset, non rursus in larva comparuisset, nec ille imputationis, et palliorum suendorum labor relictus fuisset. De hoc autem argumento iam ad illum etiam Psalmum 31. et ubi se eiusdem generis loca obtulerunt; unde hocce suum dogma probare conantur, est dictum.

9. *Beatitudo ergo haec in circumcisione tantum manet, an etiam in praeputio?* Has duas voces: *tantum manet* Interpres Latinus adiecit, ad verbi, quod tantummodo intelligeretur, supplendam ellipsim. Clarius expressit Syrus sic: *Ista igitur beatitudo super circumcisionem, an super praeputium fit?* Sensus igitur est, an haec iustificationis felicitas circumcisis tantum contingeret a Deo, atque adeo ad solosne Judaeos restringeretur, vel etiam exhiberetur incircumcisis, et gentilibus? *Dicimus enim, quia reputata est Abrahae fides ad iustitiam.* 10. *Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in praeputio? Non in circumcisione, sed in praeputio.* Neque enim adhuc tum Abraham circumcisus fuerat, cum ei illa fides, cuius exemplum modo propositum fuerat, Genesis capite 15. versu 6. ad iustitiam imputata fuisset. 11. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiae fidei, quae est in praeputio, ut sit pater omnium credentium per praeputium, ut reputetur et illis ad iustitiam:* 12. *et sit pater circumcisionis, non iis tantum, qui sunt ex cir-*

cumcisione, sed et iis, qui sectantur vestigia fidei, quae est in praeputio patris nostri Abrahae. Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiae fidei, hoc est, signaculum illius iustitiae, quam consecutus est per fidem, quae est in praeputio, quam fidem videlicet exhibuerit, cum nondum esset circumcisus, ut per praeputium, hoc est, dum adhuc ipse esset cum praeputio, esset pater omnium credentium, atque his etiam credentibus, quemadmodum Abrahamo, fides reputaretur ad iustitiam: nec non pater etiam esset circumcisionis, nec tantum illorum, qui ex circumcisione, atque Judaeis essent; sed qui sectantes vestigia fidei Abrahae, quam exhibuit, cum nondum circumcisus esset, per fidem filii ipsius essent. Itaque huc ad circumcisionem comprehendit tam Judaeos, quam gentiles, sed circumcisos ea circumcisione, quam capitis secundi versu ultimo circumcisionem cordis vocat in Spiritu, non litera, quique iidem credentes essent, et quorum omnium pater esset. Pertinet ergo eo argumentatio, quod cum Abraham, pater omnium credentium, sit iustificatus non per circumcisionem, sed absque hac per fidem; nec Judaei sibi in circumcisione carnis praerogativam aliquam iustitiae constituerent; sed ad fidem, peraeque ut gentiles, si iustificari vellent, sibi confugiendum scirent.

Quare autem Abraham pater omnium credentium dicitur, cum ante illum fuerint iam, qui crediderint. A fide enim laudatus est iam etiam Abel, laudatus est Henoch, laudatus est Noe. Hebr. 11.

v. 4. Et tanto magis hoc videretur Noemo convenire, quod ab hoc, veluti secundo parente, genus omne humanum sumat originem. Non ideo, quod exemplum fidei post se reliquerit, Abraham pater credentium factus est; sed quod ipsum, eiusque stirpem, atque posteros Deus elegerit ex toto genere hominum, quos in suum peculiarem populum, a quo coleretur, assumpserit. „Eritis mihi in pe„culium de cunctis populis: mea est enim omnis „terra: et eritis mihi in regnum sacerdotale, et „gens sancta.“ Exod. 19. v. 5. et cap. 6. v. 7. „Assumam vos mihi in populum, et ero vester „Deus.“ Abrahae autem etiam Christus est promissus filius, qui eos, qui in eum crediderunt, in suos adoptavit cohaeredes et fratres. Qui ergo per fidem fiunt fratres Christi, iidem etiam fiunt filii Abrahae. Quamobrem Paulus ad Galatas cap. 3. v. 7. „Cognoscite ergo, inquit, quia qui ex fide „sunt, ii sunt filii Abrahae.“ Circumcisio deinde signaculum iustitiae fidei vocatur; Deus Genesis capite decimo septimo versu 11. Abrahamo dixit: „Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in „signum foederis inter me, et vos“ Foedus autem illud erat, ut, quemadmodum paulo ante dictum est, ab illis coleretur, ipseque vicissim eos pro suo haberet populo. Cum ergo Religio, qua obstringerentur ad colendum Deum, esset iustitia fidei, sine qua fide impossibile esset placere Deo; istius foederis quaedam quasi obsignatio facta est in eorum carne per circumcisionem. Quae in carne facta circumci-

sio, cum cordis circumcisionem significaverit, quemadmodum demonstratum est supra ad capitis secundi versum 25. et 29. intelligitur, cur signaculum iustitiae fidei appellatum sit, quod scilicet illud externe in carne testaretur, quod vi istius foederis intus habendum esset in animo.

13. *Non enim per legem promissio Abrahae, aut semini eius, ut haeres esset mundi, sed per iustitiam fidei.* Quaenam fuit promissio Abrahae facta a Deo? haec: ,, Faciam te in gentem magnam, ,, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, ,, erisque benedictus: benedicam benedicentibus ,, tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque ,, in te benedicentur universae cognationes terrae" Gen. 12. v. 2. et rursus Genesis cap. 22. v. 16. ,, Per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quia ,, fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo uni- ,, genito propter me, benedicam tibi, et multipli- ,, cabo semen tuum sicut stellas caeli, et velut are- ,, nam, quae est in litore maris: possidebit semen ,, tuum portas inimicorum suorum, et benedicen- ,, tur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedi- ,, sti voci meae." Deinde seminis nomine, cui promissio est facta, quinam intelliguntur? Istud manifestum fit ex verbis eiusdem Pauli ad Galatas cap. 3. v. 16. ,, Abrahae, inquit, dictae sunt pro- ,, missiones, et semini eius. Non dicit: et semini- ,, bus, quasi in multis, sed quasi in uno: Et se- ,, mini tuo, qui est Christus." Abrahae ergo, et semini eius promissum est a Deo, ut haeres esset mundi, nimirum, ut semen ipsius, atque Christus

fieret haeres totius mundi. Ad Christum est in Psalmo 2. v. 8. dictum a Patre: „Postula a me, „et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et posses„sionem tuam terminos terrae.“ Et rursus Psalmo 71. v. 8. „Dominabitur a mari usque ad mare, et „a flumine usque ad terminos orbis terrarum - - - „Et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes „gentes servient ei.“ Quae promissio Christo facta de subiectione totius orbis erga ipsum per fidem, eatenus etiam ad Abrahamum spectaverat, quatenus amplitudo, et gloria filii etiam redundat in parentem; et deinde, quod iidem, qui in Christum crederent, eiusdem Abrahae etiam fierent filii, quemadmodum paulo ante ad versum 12. demonstratum est. Hanc igitur promissionem Abrahae factam, et eius semini, ut haeres fieret mundi, negat Paulus impletam esse per legem, et cum Deus in monte Sinai Israelitas, Abrahae secundum carnem posteros, sibi assumpsisset in suum populum, legemque eis dedisset. Sed hanc promissionem esse implendam per iustitiam fidei: per quam videlicet iustitiam fidei illud futurum esset, ut Abraham, eiusque semen haeres fieret totius mundi, quemadmodum a Deo psomissum est. Probat nimirum illud, Evangelii gratiam non pertinere ad solos gentiles, sed esse fundendam per universum mundum, ita ut Abraham, quemadmodum superiore versu fuit, non tantum eorum, qui ex circumcisione essent, fieret pater, sed incircumcisorum quoque, dummodo vestigia fidei ipsius sequerentur.

14. *Si enim, qui ex lege, haeredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio.* 15. *Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec praevaricatio.* „Si enim, qui ex lege sunt, „hi sunt haeredes, id est, ait S. Thomas in Com„mentario, si ad hoc, quod aliqui haereditatem „promissam participent, requiritur, quod ex le„gis observantia hoc consequantur; exinanita est „fides, id est, vacua facta est fides, qua Abra„ham credidit Deo promittenti. Et quare sit ina„nis, ostendit subdens, *Abolita*, id est, cassata „est promissio, quia non consequitur suum effe„ctum, contra id, quod dicitur Hebr. 11. v. 11. „*Fidelem credidit esse eum, qui repromiserat.* „Deinde cum dicit: *Lex enim*, probat conditio„nalem praemissam per effectum, sive eventum „legis. Et primo proponit legis effectum, sive „eventum. Secundo probat ibi: *Ubi enim non est* „*lex*. Probat autem conditionalem sic: Si aliqua „promissio sit implenda per id, quod impletionem „promissionis impedit; talis promissio aboletur, „et fides credentis exinanitur. Sed lex impedit „consecutionem haereditatis: lex enim iram opera„tur. Ergo, si per legem sit adimplenda promis„sio, exinanita est fides, abolita est promissio.“ Est quaedam ulterior progressio in eo, quod superiore versu posuit, promissionem Abrahae, et semini eius factam, non esse impletam tum, cum Israelitis esset data lex a Deo. Nam si ista ratione fuisset impleta, atque legis observantiae Deus pro-

missionem suam erga Abraham, eiusque semen factam, alligavisset; eo ipso haec promissio fuisset abolita, siquidem lex occasionem praebeat praevaricationi, et per hanc deinde non Dei favorem, sed iram operetur: et cum legis praevaricatio deinde esset subsecuta, Abraham hoc, quod ei Deus promiserat, frustra etiam, atque inaniter credidisset.

16. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege solum, sed et ei, qui ex fide est Abrahae, qui pater est omnium nostrum.* Ideo ex fide, Dei videlicet fide, et fidelitate, in hac enim fundatur promissionis firmitas, ut secundum gratiam, perque gratuitam promissionem firmum id esset; quod Deus promisit, nec tantum soli Abrahae, verum omni semini, atque omnibus eius filiis, nec tantum his, qui ex lege, et circumcisione secundum carnem eius essent filii; sed etiam illis, qui per fidem facti essent eius filii, quique Abraham omnium esset pater, videlicet credentium, quemadmodum fuit versu 11. sive hi deinde secundum carnem essent circumcisi, sive incircumcisi. Quaenam autem ibi superius versu 14. ubi est: „Si enim, qui ex „lege, haeredes sunt" intelligitur haereditas? Abrahae, et eius semini facta est promissio, ut haeres esset mundi, quemadmodum fuit versu 13. Semen autem hoc fuit Christus: hoc est, ut per fidem se se erga Christum subiiceret totus mundus, et in quibus Christi deinde regnum consisteret. Quoniam

vero iidem fideles bonorum Christi fiunt participes, utpote eius cohaeredes ; Rom. 8. v. 17. vocationis felicitas ad regnum Christi erga eos etiam, qui vocandi essent, haereditatis nomine, quam scilicet per vocationem adipiscerentur, expressa est, et quae, si legis observantiae, tamquam conditioni fuisset adstricta, effectum suum non fuisset sortita.

17. *Sicut scriptum est : Quia patrem multarum gentium posui te, ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, et vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt.* Hoc, quod patrem multarum gentium Deus Abrahamum constituerit, scriptum, atque promissum est ei Genesis 17. v. 4. cum circumcisionis ei praeceptum tradidisset. Est vero hoc nexum cum versus anterioris parte ultima: *Qui est pater omnium nostrum ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, et vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt.* Illud autem: *Sicut scriptum est: Quia patrem multarum gentium posui te*, est per parenthesim interpositum, huius, esse Abrahamum patrem omnium nostrum, demonstrandi gratia. Ante Deum autem omnium credentium factus est pater, qui „ quos filios, ut „ S. Chrysostomus homil. 8. inquit, non habuit ex „ natura, acceperit ex Dei dono." Hoc vero de Deo: *Qui vivificat mortuos, et vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt*, ad facilitatem demonstrandam pertinet, qua Deus Abrahae istos filios potuerit dare. „ Nam si potest mortuos, ait „ S. Chrysostomus homil. 8. ad vitam revocare, et

„ ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt, pro-
„ ducere; potest etiam eos, qui illo nati non sunt, fi-
„ lios ipsius facere. Ideo non dixit, qui producit
„ ea, quae non sunt; sed qui vocat, maiorem fa-
„ cilitatem significans. Sicut enim nobis facile est,
„ ea, quae sunt, vocare; ita et ei facilius, et lon-
„ ge facilius est ea, quae non sunt, producere. Ne-
„ ve Judaeus haec obiiceret, et qui fieri potest,
„ ut ii, qui filii non sunt, filii efficiantur? ser-
„ monem transfert in patriarcham, et ait" 18. *Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei: Sic erit semen tuum.* Cum stellis videlicet, quas ei Deus ostenderat, Genes. 15. v. 5. facta erat assimilatio.
„ Quomodo contra spem, ait S. Chrysostomus ho-
„ mil. 8. in spem credidit? Contra spem huma-
„ nam, in spem Dei."

19. *Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Sarae.* 20. *In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia; sed confortatus est fide, dans gloriam Deo,* 21. *plenissime sciens, quia quaecumque promisit, potens est et facere.* Ubi Isaacum centesimo aetatis suae anno Abraham procreasset; postea mortua Sara ex Cetura, quam alteram duxit uxorem, sex adhuc suscepit filios. Gen. 25. v. 1. Quomodo eius ergo corpus iam fuit emortuum? Respondet S. Augustinus lib. 16. de Civ. Dei cap. 28. „ Quia gignendi donum, quod a Domino ac-

„cepit, etiam post obitum mansit uxoris." Et S. Thomas in Commentario: „Dicunt quidam, inquit, quod mortua erat in eo vis genarativa quantum ad hoc, quod ex muliere antiqua generaret; non quantum ad hoc, quod generaret filium ex iuvencula. Solent enim senes ex iuvenculis mulieribus prolem gignere, non autem ex antiquis, quae sunt minus aptae ad concipiendum. Sed melius dicendum videtur, quod Abrahae miraculose restituta erat vis generandi, et quantum ad Saram, et quantum ad omnes mulieres." Hinc vero, quod de Deo dictum sit, potentem esse, ut ea, quae promisit, faciat, S. Augustinus lib. de Corrept. et grat. cap. 12. deduxit, non tantum Dei opus esse, cum facimus bonum, sed ab illo etiam dari perseverantiam. „Ipse ergo, inquit, illos bonos facit, ut bona faciant. Neque enim propterea eos promisit Abrahae, quia praescivit a seipsis bonos futuros. Nam si ita est, non suum, sed eorum est, quod promisit. Non autem sic credidit Abraham; sed *non est infirmatus in fide, dans gloriam Deo, et plenissime credens, quia quae promisit, potens est et facere.* Non ait, quae praescivit, potens est promittere; aut quae praedixit, potens est ostendere; aut quae promisit, potens est praescire: sed *quae promisit, potens est et facere.* Ipse igitur eos facit perseverare in bono, qui facit bonos. Qui autem cadunt, et pereunt, in praedestinatorum numero non fuerunt. Quamvis ergo de omnibus regene-

„ratis, et pie viventibus loqueretur Apostolus di-
„dicens, *Tu quis es, qui iudicas alienum ser-
„vum? Suo domino stat, aut cadit.* Rom. 14. v. 4.
„continuo tamen respexit ad praedestinatos, et
„ait: *Stabit autem;* et ne hoc sibi arrogarent,
„*Potens est enim Deus*, inquit, *statuere eum.*
„Ipse itaque dat perseverantiam, qui statuere po-
„tens est eos, qui stant, ut perseverantissime
„stent; vel restituere, qui ceciderunt.“

22. *Ideo et reputatum est illi ad iustitiam.* 23. *Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam,* 24. *sed et propter nos: quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis.* 25. *Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram.* Judas Christum tradidit Judaeis, et hi illum Romanis ad mortem; sed tradendo sibi tantum delictum quaesiverunt, non autem, ut propter nostra delicta illum traderent, aliquam cogitationem habuerunt. Propter nostra autem delicta illum tradidit Pater. Sic enim infra cap. 8. v. 32. est: „Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed „pro nobis omnibus tradidit illum.“ Est vero rursus infra capitis sequentis versu 9. „Christus pro „nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iu„stificati in sangvine ipsius salvi erimus ab ira per „ipsum.“ Si ergo per sangvinem Christi iustificati, et per mortem eius, quemadmodum est subsequente versu, Deo sumus reconciliati; cur hic

dicitur resurrexisse propter iustificationem nostram? Non ut eam iam nobis mereretur, sed ut fidem illius, atque spem in nobis firmaret. „Qui regeneravit nos, inquit S. Petrus 1. Epist. 1. v. 3. „in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi „ex mortuis.“ Et rursus ibidem versu 21. „Qui „suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, „ut fides vestra, et spes esset in Deo.“ Peccata nos obnoxios fecerunt morti. Dum pro peccatis nostris satisfecit Christus, atque illa suo sangvine expiavit; consequens erat, ut mors quoque, quae stipendium esset peccati, e medio tolleretur. Si vero Christus in morte adhaesisset, quae potuisset esse spes nostra? qua ratione persvadere nobis potuissemus, resurrecturos nos, et dum mortem nondum videremus exstinctam, peccatum esse expiatum? Ut fides igitur nostra, ac spes esset in Deo, sine qua iustificationis donum obtinere a Deo non possemus, et quae fides, atque spes si in nobis esset, omnino illud consequeremur; Christus iustificationis nostrae causa resurrexit.

CAPVT V.

Ex fide iustificatis in spe gloriae filiorum Dei esse nobis gloriandum inter ipsa etiam adversa. Nam si inimicos Dei Filius morte suo Patri reconciliavit, multo magis iam reconciliatos, sine iam suo labore moriendi, salvos nos esse effecturum, cuius iustitia ita omnes homines iustificantur, quemadmodum unius delictö omnes mortui sunt.

1. *IUSTIFICATI ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* In Graeco verbum est in modo indicativo: εἰρήνην ἔχομεν, *pacem habemus.* Quae lectio, quamvis pro ea etiam, quae in Vulgata existit, non desint argumenta, quod isto modo in Syriaca Versione, et Manuscripto Graeco Alexandrino, et Claromontano reperiatur; ideo tamen videtur anteferenda, quod sic res magis conveniat cum fluxu reliquae orationis. Sic enim deinde succedit oratio: *sed et gloriamur.* Hoc enim declarat antecedens quoque membrum, quod huic respondet: *Pacem habemus*, non *Pacem habeamus*, oportere esse. Utroque vero modo sensus rectus prodit. Indicative quidem, postquam iustificati ex fide per Christum sumus, non iam infensum nobis esse Deum, nec nobis iam ab eo quidquam esse metuendum: qua ratione ab Jobo etiam dictum est: „Quis restitit ei, et pacem „habuit?“ Job. 9. v. 4. Si vero imperative hoc sumatur, ad hanc ipsam pacem, atque eius fiduciam

concipiendam erit adhortatio. 2. *Per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* Per quem, per Christum videlicet accessum habemus ad hanc gratiam pacis, atque reconciliationis cum Deo; in qua gratia, dum stamus, una etiam gloriamur in spe, quae ex hac reconciliatione nobis effloruit, futurae gloriae filiorum Dei.

3. *Non solum autem*, intelligitur illud, quod antecessit: Gloriamur in spe gloriae, *sed et gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur: 4. patientia autem probationem, probatio vero spem: 5. spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Est per gradus progrediens, crescensque oratio, ut in tribulationibus demonstret esse gloriandum, siquidem hinc excitetur spes. Quare autem probatio efficit in nobis, et producit spem? quia dilectionis, et favoris signum est, dum Deus quempiam probat, rebusque adversis exercet. „Quem „enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem „omnem filium, quem recipit.“ Hebr. 12. v. 6. Et Angelus ad Tobiam: „Quia, inquit, acceptus „eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.“ Tob. 12. v. 13. *Spes autem non confundit;* non frustratur, et inani exspectatione non deludit: Spes autem fixa in Deo: quemadmodum etiam a Psalte est dictum: „In te Domine speravi, non „confundar in aeternum:“ Psal. 30. v. 2. *quia charitas*

ritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. „Non dixit, „data est, ait S. Chrysostomus homil. 9. sed diffusa est in cordibus nostris, largitatem indicans.“ Spem ergo dicitur non confundere, quod charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris. Ut ergo non confundat, necesse est, ut una etiam Dei charitas adsit. Nempe, quemadmodum fides in Christo tantum illa valet, quae per charitatem operatur: Gal. 5. v. 6. ita etiam spes illa tantum non confundit, quae sibi coniunctam Dei charitatem habet. Nam certe quidem is, qui Christum invocat, spem in eo suam locat: cur enim hunc invocaret, a quo id, quod petit, se accepturum non existimaret? Neque tamen omnis, qui Christo dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum. Matth. 7. v. 21. Est autem Dei charitas sita in Divinorum mandatorum observantia. „Qui enim habet mandata mea, et „servat ea, ille est, qui diligit me.“ Joan, 14. v. 21. Ergo non alia etiam secura in Deo esse potest spes, quam quae nititur recte factorum conscientia. Quare S. Petrus: „Satagite, inquit, ut per „bona opera certam vestram vocationem, et ele„ctionem faciatis.“ 2. Petr. 1. v. 10. Et. S. Joannes: „Charissimi, si cor nostrum non reprehende„rit nos, fiduciam habemus ad Deum.“ 1. Joan. 3. v. 21. Quaenam vero haec charitas Dei intelligitur, cui innitur spes, illane, qua nos diligimus Deum, an, qua Deus diligit nos? Sic respondit S. Augustinus lib. de Spir. et lit. cap. 32. „Charitas

„Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua „nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos, „sicut dicitur iustitia Dei, qua nos iusti eius mu-„nere efficimur, et Domini salus, qua nos salvos „facit.“ Nam cum in morte maneamus, nisi ipsi diligamus, 1. Joan. 3. v. 14. nec aliter etiam haec spes, quae nos non confundat, quam ex nostro erga Deum amore existere potest. Itaque Concilium Tridentinum Sess. 6. can. 11. „Si quis dixerit, in-„quit, hominem iustificari, vel sola imputatione „iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, „exclusa gratia, et charitate, quae in cordibus eo-„rum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis „inhaereat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, „esse tantum favorem Dei, anathema sit.“ Nam charitas profecto, quae inhaeret, illius intelligitur esse, qui iustificatus Deum diligit. Proculdubio autem cum nos non diligamus Deum, nisi Deus prius diligat nos, dicente Apostolo: „In hoc est charitas, „non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam „ipse prior dilexit nos“ 1. Joan. 4. v. 10. cum diligimus Deum, etiam diligimur a Deo: quem non diligeremus, nisi ab eo, qui prior nos dilexit, donum, ipsum diligendi accepissemus.

6. *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est?* Cum adhuc infirmi essemus „scilicet infirmitate pec-„cati“ ait S. Thomas in Commentario. Atque hoc deinde declarat etiam illud, quod pro iisdem nobis impiis mortuum esse Christum dicat, pro qui-

bus mortuus est infirmis. Illud: *secundum tempus*, S. Hieronymus in Epistola 151. ad Algasiam sic accepit: „Cum omnia plena essent infidelitate, et „peccato, et maxime indigerent Redemptore, et „medico.“ Theodoretus: „Cum tempus a Patre „praescriptum esset expletum“ S. Thomas in Commentario: „Secundum tempus, id est, ut certo „tempore in cruce moreretur, die scilicet tertia sur„recturus.“ Paulus in eorum persona loquitur, qui modo cum scriberet, iam gratiae donum a Deo consecuti essent. „Justificati ergo, inquit versu pri„mo, ex fide pacem habeamus ad Deum:“ et pro ipsis inimicis secundum tempus dicit Christum esse mortuum. Qui autem iam modo erant iustificati, non erant inimici. Hoc ergo: *secundum tempus*, eo refertur, ut significetur, pro ipsis, ut inimicis, et quo tempore adhuc essent inimici, esse Christum mortuum.

7. *Vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori.* 8. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus,* 9. *Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc iustificati in sangvine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.* 10. *Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Pro iusto dicitur aliquis moriturus vix, pro bono autem fortasse. Graece: τάχα: quod vero etiam affirmationis vim habet, et verti potest: *utique.*

Bonus autem Graece, ἀγαθὸς, significat bonum, non tantum in se, verum etiam erga alium, ac beneficum. Pro eo ergo, qui iustus quidem esset, et probus, vix aliquis dicitur mortem oppetiturus, si nullo ipse illi beneficio esset obstrictus: non defuturos autem, quibus tantum animi sit, ut in discrimen vitam suam coniiciant pro iis, quibus beneficio devincti sunt. Nec desunt exempla tam in sacra, quam profana historia, qui pro parentibus, pro patria, pro amico istud non dubitaverint facere. ,,Moriamur in virtute, aiebat Judas Machabaeus ad ,,commilitones suos 1. Mach. 9. v. 10. propter fratres nostros. ,,Eo autem magis, atque illustrius exsplendescere Dei erga nos charitatem, siquidem Christus pro nobis inimicis mortuus sit. Ex quo vero infert, spei illius gratia, quae non confundat, tanto nos magis salutem esse adepturos, postquam iam Deo reconciliati sumus, cum reconciliationis nostrae causa Christo moriendum iam non est, quos ille inimicos etiam suo sangvine Deo reconciliavit. ,,Viden, ait S. Chrysostomus homil. 9. quantum ,,locus hic probationem afferat ad spem futurorum ,,adstruendam? Antehac enim duo nobis erant ad ,,salutem difficilia, quod peccatores essemus, et ,,quod per mortem Domini salutem consequi oporte- ,,ret. Quod creditu difficile erat, antequam fieret, ,,multaque opus habebat charitate, ut fieret. Nunc ,,vero, postquam haec evenere, reliqua faciliora ,,sunt. Etenim amici facti sumus, nec ultra opus ,,morte est. Qui igitur inimicis ita pepercit, ut

„Filio suo non parceret; nunc amicis non patroci-
„nabitur, cum iam nulla sit necessitas, ut Filius
„tradatur?" Illa in versu octavo verba: *secundum tempus*, quaeque iam fuerunt in versu sexto, hic altera vice nec sunt in Graeco, nec in Versione aliqua antiqua Orientali, sed nec in editionibus etiam omnibus Latinis, et absque illis locum istum exhibent S. Irenaeus lib. 3. adv. haer. cap. 18. S. Cyprianus Epist. 52. ad Antonian. S. Hilarius Tractatu in Psalmum 55. S. Augustinus lib. 4. de Trin. cap. 1. et S. Chrysostomus homilia 9. Inde ergo ex versu sexto huc illa oportuit defluere per librariorum, qui exemplaria descripserunt, inconsideratam additionem.

11. *Non solum autem*, intelligitur, quod antecessit: salvi erimus ab ira per ipsum, *sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* 12. *Propterea, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* „Hoc est illud, quod alibi di-
„citur, ait S. Augustinus lib. 6. contra Julian. cap.
„4. Deus erat in Christo mundum reconcilians si-
„bi. 2. Cor. 5. v. 19. Deinde hic sequitur: Non
„solum autem, sed et gloriantes in Deo per Do-
„minum nostrum Jesum Christum. Non solum, in-
„quit, salvi, sed et gloriantes. Per quem nunc et
„reconciliationem accepimus. Et tamquam causa
„quaereretur, quare per unum Mediatorem homi-

„nem fiat ista reconciliatio. Propter hoc, inquit, „sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in „omnes homines pertransiit, in quo omnes pecca„verunt.“ Institutae autem istius comparationis inter Christum, per quem habeamus reconciliationem, et unum hominem, ex quo diffluxerit peccatum in totum mundum, finis est deinde infra tantum versu 18. „Igitur sicut per unius delictum in omnes „homines in condemnationem, sic et per unius iu„stitiam in omnes homines in iustificationem vi„tae.“ Eo usque autem, qua ratione se habuerit peccatum, quod per unum hominem intravit in mundum, explicatur, tamquam per parenthesim, et interpositam locutionem.

Originale peccatum, quod hic manifestissime demonstratur, negarunt olim Pelagiani, et nunc in infantibus, qui e fidelibus parentibus prognati sunt, Zvingliani. Idem originale peccatum inficiantur etiam Sociniani. Hi ultimi cum Pelagianis istud, quod Apostolus docuit de primi hominis peccato, pervasisse totum mundum, de imitatione tantum accipi volunt, quasi quem primum hominem peccantem, secuti deinde omnes alii sint. At vero, si hinc repeteretur peccati contagio, quae pervaserit omne genus humanum, quod Adam, quasi primus suo exemplo induxerit alios ad peccandum; consequens esset, non Adamo, sed diabolo istius originis caussam esse tribuendam, siquidem is prius, quam Adam peccaverit, huncque ipsum ille induxerit ad peccan-

dum. „Imitationis enim peccatum, ait S. Augusti-„nus Operis Imperf. contra Julian. cap. 50. non „per unum hominem, sed per diabolum intravit „in mundum. De Diabolo quippe scriptum est (lib. „2. de Nupt. et Concupisc. cap. 27.) *Imitantur au-„tem eum, qui sunt ex parte ipsius.* Sap. 2. v. 25. „Sed ideo per unum hominem dixit, a quo gene-„ratio utique hominum coepit, ut per generatio-„nem doceret isse per omnes originale peccatum.“ Urget autem istam rem idem S. Augustinus ab infantibus. Qui cum imitari adhuc non possint quidquam defectu rationis, et aetatis; tamen perinde moriantur, ut adulti, cum tamen peccatum testante Apostolo nonnisi per peccatum intraverit in mundum, et in omnes homines pertransierit. „Ipsa te, „ad Julianum autem loquitur Oper. Imp. lib. 2. „cap. 144. convincit in parvulis aequitas Dei: quo-„niam magna est iniquitas, si iugo gravi premun-„tur et parvuli sine ullo merito, vinculoque pec-„cati.“ Constat deinde Abelem, Noemum, pluresque alios fuisse iustos. Cur ergo nihilominus mortem eos subire oportuit, qui peccantem primum hominem imitati non sunt? Et cur in infantes ex iustis, et fidelibus parentibus, adversus Zvinglianos est hoc, mors transiret, quos saepissime mori videre est, antequam peccare adhuc potuissent, in quos peccatum non transierat, cum tamen Apostolus diserte dicat: *Per peccatum mors, et ita,* per peccatum videlicet, *in omnes homines mors pertransiit,* morsque stipendium sit peccati? Rom.

6. v. 24. Pro Israelitis, qui ex Abrahamo, Isaaco, et Jacobo sanctissimis viris originem duxerunt, praeceptum circumcisionis a Deo datum est, tam districte, ut nisi infans octo dierum esset circumcisus, deleretur de populo suo, qui irritum Dei pactum fecerit. Genes. 17. v. 14. „Trahit praeputium pro„les, ait S. Augustinus lib. 6. contra Julian. cap. 7. „quod iam non habet parens: caruit, et tamen tra„didit: amisit, et tamen transmisit: et hoc prae„putium peccatum significat. Ergo et ipsum potest „in parentibus interire, et tamen ad filios pertrans„ire. Attestetur etiam ipse infans, et tacens dicat: „Peritura est anima mea de populo meo, si non „fuero circumcisus octavo die. Qui ergo et origi„nale malum diffitemini, et iustum Deum fatemi„ni, quid peccaverim, dicite.“ Per unum hominem dicit Apostolus peccatum in hunc mundum intrasse, et per peccatum mortem, et ita in omnes homines mortem transiisse, in quo omnes peccaverint. Numquid infantes non pertinent inter eos, quos Apostolus dicit omnes homines? Et si mors per peccatum in omnes transiit a primo homine, in quo omnes peccaverunt, quomodo in infantes mors transiit, in quos peccatum non transiit, cum tamen mors nonnisi per peccatum transierit? et si in primo homine omnes peccaverunt, qua ratione hi infantes, qui ex fidelibus parentibus nati sunt, sine peccato prodierunt? Nam qui sine peccato nascuntur, et concipiuntur, nullum peccatum habuerunt, quod in ipsos transivisset ab illo primo homine,

quomodo ergo in illo peccaverunt? Generalis est sententia Servatoris: „Nisi quis renatus fuerit ex „aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in re„gnum Dei.“ Joan. 3. v. 5. Ergo etiam infantibus omnibus, quamvis ex fidelibus parentibus sint prognati, est renascendum, secus excludentur ex regno caelorum. Peccatum vero e regno caelorum nos excludit, siquidem istius remissione in baptismo, illud nobis aperiatur. Ex Christi vero sententia sequitur, excludendos esse infantes, etiam e fidelibus parentibus natos, si non fuerint baptizati. Ergo in peccato sunt nati.

Quaerebat Julianus ex Augustino, per quam rimam intraverit originale peccatum. Cui ille: „Ri„mam, inquit, quaeris inter tot innocentiae prae„sidia, qua potuerit intrare peccatum, cum tibi „ostendat apostolus Paulus non rimam, sed aper„tissimam ianuam, dicens: Per unum hominem „peccatum intravit in mundum, et per peccatum „mors, et ita in omnes homines pertransiit.“ lib. 3. contra Julian. cap. 24. In primo autem homine omnes peccaverunt „quando, ut idem inquit S. „Augustinus lib. 1. de baptismo Parvulor. cap. 10. „omnes ille unus homo fuerunt.“ Justum esse Deum et fides Christiana, et ratio etiam docet: nec Deus esset, nisi iustus esset. Originale etiam peccatum existere et Scriptura, fidesque Catholica docet, quae fallere non potest, Divinae enim revelationi innititur; et mors, ceteraeque aerumnae, et morbi, quibus conflictatur omne genus humanum a die na-

tivitatis suae, et haec quae inter corpus, et animam pugna existit, testantur. Neque enim Deus, cum iustus sit, nisi iuste istis poenis premere nos posset. „Grave iugum super filios Adam, ait Ec„clesiasticus cap. 40. v. 1. a die exitus de ventre ma„tris eorum usque in diem sepulturae" „Caro concu„piscit adversus spiritum, spiritus autem adver„sus carnem: haec enim sibi invicem adversantur." Gal. 5. v. 17. Deusne creando eiusmodi opus produxit, in quo duas sibi inimicas substantias inter se copulasset, quin tamen inter se congruerent, et consentirent? Ubi illius sapientia, ubi potentia fuisset? „Si te delectaret Divina iustitia, inquit S. Augu„stinus lib. 1. Oper. Imp. contra Julianum cap. 50. „videres profecto, quod ex ipsa veniat, non uti„que iniuste a parvulis incipiens, nota omnibus hu„mana miseria, qua peragitur haec vita, a primis „fletibus nascentium usque ad extremos halitus mo„rientium, sanctis tantum, et fidelibus, sed in alia „vita, felicitate promissa." Si vero poenae, sub quibus gemimus universi, et quas iam illa aetas fert, quae peccare per seipsam nondum potest, declarant antecedere oportuisse peccatum, quod nisi esset, Deus iuste nobiscum non ageret, neque vero fides tantum Christiana istud doceat, sed ipsa etiam ratio in hoc nos convincat; num, non Christianus, sed mente sanus aliquis esse potest, qui peccatum hocce negat, quod nascendo trahimus? tametsi quomodo illud merito nobis imputetur, quod propria nostra voluntate non commisimus, non per-

spiciamus? In extrema parte huius versiculi, quem nunc tractamus, et in illis verbis: *In quo omnes peccaverunt*, quod dubium esse potest in Latino, pronomen relativum, *quo*, referaturne ad antecedens nomen: *peccatum*, vel *hominem*, ex Graeco facillime diiudicatur. Est enim pronomen in genere masculino: ἐφ' ᾧ ac proinde cum homine concordat, non cum peccato, (ἁμαρτία) quod Graecis feminini generis est.

13. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.* Lex haec, ad quam usque Paulus peccatum dicit fuisse in mundo, intelligitur illa, quae Judaeis data est a Deo per Moysem. Sic enim generali nomine legis, Mosaicam legem et superioris capitis versu 13, 14, et 15, èt saepe in hac epistola etiam alibi appellat: idem quoque inde apparet, quod quemadmodum isto versu peccatum dicit fuisse usque ad legem; ita subsèquente versu mortem dicat regnasse ab Adamo usque ad Moysem. Sicut enim peccato mors, veluti eius stipendium, respondet, ita legi Moyses, per quem a Deo data est. Num ergo peccatum tunc desiit, quando lex data est? Non. Sed docere vult Paulus, peccatum iam etiam tum fuisse in mundo, quando lex illa per Moysem nondum esset data, quamvis non agnosceretur, et non reputaretur. *Peccatum autem*, inquit, *non imputabatur, cum lex non esset*. Ergo posteaquam lex illa comparuisset, peccatum imputabatur. Si autem imputabatur, atque lex documento esset,

unde probaretur esse peccatum; superveniente lege non desiit peccatum, sed potius demonstrabatur. Non autem peccatum ante legem non a Deo imputabatur, quomodo enim is illud non imputasset, cum, ut versu sequente est, mors regnaverit ab Adam usque ad Moysem, et mors in mundum intraverit, inque omnes homines pertransierit per peccatum? Sed peccatum non advertebatur, non agnoscebatur ab hominibus. Nam si Paulus de se infra cap. 7. v. 7. fatetur, peccatum se non cognovisse, nisi per legem; quanto minus istud in oculos incurrit aliorum? Quomodo autem peccatum sibi non imputarunt? dum scilicet non adverterent, nec recognoscerent illud, quod impulsu suae concupiscentiae agerent, esse peccatum, quique pravos concupiscentiae motus, et instigationes pro naturalibus propensionibus, et quo ipsa natura inclinaret, haberent, non pro consectario originalis peccati: quemadmodum etiam qui modo ad Evangelii tantam lucem adhuc oculos claudendo, dum omnem libidinem suam faciunt, secundum tamen naturam, atque rationem illuminatissime se se vivere profitentur, tametsi maior quam equo, et mulo non sit ipsis intellectus. „Quid est, non deputabatur? verba sunt S. Augu„stinii lib. 1. de Pecc. meritis cap. 10. nisi igno„rabatur, et peccatum esse non putabatur? Neque „enim ab ipso Domino Deo, tamquam non esset, „habebatur, cum scriptum sit: *Quicumque sine le„ge peccaverunt, sine lege peribunt.*" Rom. 2. v. 12.

14. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri.* „Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, „etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem „praevaricationis Adae, id est; ait S. Augustinus „lib. 1. de Pecc.“ mer. cap. 11. qui nondum sua, et „propria voluntate, sicut ille, peccaverunt, sed „ab illo peccatum originale traxerunt: qui est for„ma futuri, quia in illo constituta est forma con„demnationis futuris posteris, qui eius propagine „crearentur, ut ex uno omnes in condemnationem „nascerentur, ex qua non liberat nisi gratia Salva„toris.“ *Qui est forma futuri*, Graece est expressius: *Forma illius futuri*, τύπος τȣ͂ μέλλοντος, et non ad formam futurae damnationis, neque enim ille unus futurus est, qui damnabitur, sed ad Christum referri, sed in contrariam partem, ut, quemadmodum ex Adami peccato mors, ita ex Christi gratia vita manaret in alios, ex subsequente versu perspicuum fit. Ubi istud: *Qui est forma futuri*, Paulus explicaturus: „Sed non sicut delictum, in„quit, ita et donum. Si enim unius delicto multi „mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum „in gratia unius hominis Jesu Christi in plures „abundavit.“ „Ideo enim typus est Christi Adam; „ait S. Chrysostomus homil. 10. Quomodo, in„quies, typus? Quia sicut ille ex se ortis, licet „non comederint de ligno, causa fuit mortis, per „cibum illum inductae; ita et Christus suis, licet

non iuste egerint, iustitiae conciliator fuit, quam „per crucem nobis omnibus largitus est.“ Etiam 1. ad Corinthios cap. 15. v. 45. Christum Paulus cum Adam comparat, veluti antitypum cum typo. „Fa„ctus est, inquit, primus homo Adam in animam „viventem, novissimus Adam in Spiritum vivifi„cantem: primus homo de terra terrenus; secun„dus homo de caelo caelestis.“ Hanc alteram explicandi rationem secutus etiam est S. Thomas in Commentario: „Cum dicit, ipsius sunt verba, *Qui* „*est forma futuri*, exponit similitudinem, quae „intelligebatur in coniunctione, sicut. Unde dicit, qui „scilicet Adam est forma, id est, figura quaedam „futuri, id est, Christi, tamen per contrarium. „Nam sicut per Adam peccatum, et mors in mun„dum intravit, ita per Christum intravit iustitia, et „vita. Primus homo de terra terrenus: secundus de „caelo caelestis.“ Eodem loco, quem paulo ante citavi, S. Augustinus docet, se in plerisque Latinis exemplaribus hic, ubi est, mortem regnavisse in eos ab Adam usque ad Moysem, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, negativam voculam *non*, non deprehendisse. At vero Graecos codices omnes, aut paene omnes illam habere. Sed et S. Hieronymus lib. 3. Dial. contra Pelagianos. S. Cyrillus lib. 1. in Joan. S. Chrysostomus homil. 10. in Epist. ad Rom. ita lectionem prout in nostra Vulgata est, exhibent. Quod facilior videretur intelligentia sine negatione, videtur vocula illa esse a quibusdam praetermissa.

15. *Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit:* Graece: ἐις τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε) *in multos abundavit.* Est videlicet in eo comparatio, quod si Adae peccatum vim habuit ad alios multos perdendos, id tanto magis praestare Dei gratia per Jesum Christum potuerit, Divinamque bonitatem decuerit. „Deo quippe „multo decentius est, ait S. Chrysostomus homil. „10. servare, quam punire. Si ergo peccatum tan„tum valuit, atque unius hominis peccatum, gra„tia, imo Dei gratia, quomodo non longe supera„bit? Hoc enim multo magis rationi consonum. Al„terum enim pro altero poenas dare, non aequum „videtur: alterum vero propter alterum servari, id „certe magis decorum, et consentaneum. Si ergo „illud, multo magis hoc factum est." „Neque enim „plures, ait S. Augustinus lib. 1. de Pecc. mer. cap. 11. iustificantur, quam damnantur. Est igitur modo adhuc tantum hoc, quod quemadmodum ex Adamo in alios peccatum et mors, ita etiam ex Christo gratia, atque vita in alios manaverit. Nam in quo gratia nihilominus superaverit beneficentia, et largitate peccati virus, et malignitatem, modo adhuc demonstrabitur.

16. *Et non sicut per unum peccatum, ita et donum. Nam iudicium quidem in uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* „Judicium ex uno in condemnationem,

„ait S. Augustinus lib. 2. Oper. Imp. contra Julian. „cap. 105. quia damnantur et hi, qui unum illud „generatione traxerunt: gratia autem ex multis de-„lictis in iustificationem, quia non solum illud, cum „quo nascitur homo, sed quidquid aliud delictorum „voluntatis usus illi male addidit, tollit.“ 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* „Id est, ait S. Chrysostomus ho-„mil. 10. quid mortem contra totum mundum ar-„mavit? quod unus tantum homo de ligno come-„disset. Si ergo mors ex uno delicto tantam vim „accipit, cum quidam inventi sint, qui multo ma-„iorem peccato illo gratiam, et iustitiam accepe-„runt, quomodo poterant deinde morti esse obno-„xii? Ideo non hic dixit, gratiam, sed abundan-„tiam gratiae. Non modo enim, quantum opus erat „ad peccatum tollendum ex gratia illa accepimus, „sed multo amplius.“

18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.* Hic demum terminatur illa periodus, cuius initium fuit iam versu 12. Est vero hic in utraque parte ellipsis, quae ex versu praecedente decimo sexto supplenda est: Igitur, sicut per unius delictum *iudicium est* in omnes homines in condemnationem; sic et per unius iustitiam *gratia est* in omnes homines in iustificationem. „Ideo autem, ait S. Augustinus lib. 6. contra

„ contra Julian. cap. 4. et ibi omnes, et hic omnes, „ quia nemo ad mortem, nisi per illum: nemo ad „ vitam, nisi per istum. Nullus enim hominum (lib. „ 2. Oper. Imp. contra Julianum num. 135.) nisi per „ Adam trahitur ad damnationem, de qua per la- „ vacrum regenerationis homines liberantur: et nul- „ lus hominum nisi per Christum ab hac damnatio- „ ne liberatur. Ideo ex utraque parte dicti sunt omnes: „ quia nemo ad damnationem generationis nisi per „ iustum; nemo ad vitam regenerationis nisi per il- „ lum. Ac per hoc non generalitas unius partis lo- „ cum excludit alterius, quia ex his ipsis, qui ge- „ neraliter moriuntur in Adam; quos vult vivificat „ Christus. Non ergo tibi videbuntur inter se ista „ contraria, si non sis ipse contrarius."

19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi.* Cum in superiore versu generali termino usus fuisset, et dixisset: *omnes*, nunc hos eosdem dicit *multos*. Reipsa enim, qui omnes per Adami inobedientiam peccatores sunt constituti, fuerunt multi: quemadmodum et illi omnes, qui per Christum iusti constituentur, multi sunt. Voluit autem Apostolus in hac, quam instituit cum Adamo Christi comparationem, tamquam ex opposito, eamdem etiam semper retinere rationem loquendi. Omnes autem per Adamum in condemnationem, quatenus debitum damnationis in illo omnes contraxerunt, licet non omnes condemnationem subeant: sic enim nemo ex con-

demnatione per Christum liberaretur: et omnes etiam per Christum in iustificationem, quatenus Christus pro omnibus mortuus est, et satisfecit, quamvis ad redemptionis beneficium non omnes perveniant. „Omnes autem dixit, verba sunt S. Augustini lib. „2. Oper. Imp. contra Julian. num. 144. ad con„demnationem per Adam, et omnes ad iustifica„tionem vitae per Jesum Christum: cum utique non „omnes, qui moriuntur in Adam, transferat Chri„stus ad vitam. Sed omnes dixit, atque omnes, quia „sicut sine Adam nemo ad mortem, ita sine Chri„sto nullus ad vitam. Sicut dicimus de literarum „magistro, si in civitate solus est: Omnes iste „hic literas docet: non quia omnes discunt, sed „quia nemo nisi ab ipso. Quos autem omnes dixe„rat, multos postea dixit, eosdem tamen omnes „multosque significans. Sicut enim per unius obe„dientiam peccatores constituti sunt multi; ita et „per unius obedientiam iusti constituentur multi.“ Est autem hic adhuc illa consideratio, quod, quemadmodum peccatores dicit esse constitutos per inobedientiam, ita iustos per obedientiam, et utraque ex parte eodem verbo, *constitutos esse*, utatur. Peccatores autem sic sunt constituti, ut his iniustitia omnino inhaereat, et animum afficiat, quique ex iustis facti sint iniusti, vere, et intrinsecus, non tantum, quibus species iniustitiae induceretur, et imputaretur manente intus iustitia. Ergo quoniam Apostolus eadem ratione etiam loquitur de iis, qui iusti constituti per Christum sunt; consequens est,

in iustificatione vere etiam hos ex iniustis iustos fieri, et non per solam externam imputationem, et per quamdam operiendi rationem; dumque ii, qui Augustanam, et Helveticam Confessionem profitentur, peccatores amissa iustitia agnoscunt vere fieri iniustos; non item iustos hocce modo, et vere, qui iustificantur; manifestum fit, quam adcurate ad amussim Scripturae exacta sua habeant dogmata, qui quod Apostolus in utramque partem eodem modo posuit; tamen diversimode pro libito suo accipiunt.

20. *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia:* 21. *ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam per Jesum Christum Dominum nostrum.* „Postquam ostendit, verba sunt S. Chry-„sostomi homil. 10. ab Adamo damnatum orbem, „et a Christo salute donatum, atque a supplicio „liberatum; opportune de lege quaerit, opinionem, „quam de illa habebant, deprimens. Non modo „enim, inquit, nihil profuit, nec iuvit; sed etiam, „illa subintrante, auctus est morbus. Illud vero: „*ut*, hic non causam indicat, sed eventum. Non „enim ideo data est, ut abundaret; sed ut minue-„ret, et tolleret peccatum. Sed contrarium evenit, „non ex natura legis, sed ex accipientium igna-„via. Cur vero non dixit: lex data est, sed lex „subintravit? Temporaneum ostendens illius usum, „non autem proprium, vel praecipuum, quod et-„iam in epistola ad Galatas cap. 3. v. 23. diverso

„modo dicit: *Antequam enim veniret fides, a le-*
„*ge custodiebamur conclusi ad fidem, quae reve-*
„*landa erat.* Itaque lex non sibi, sed alteri gre-
„gem custodiebat. Quia enim Judaei illiberales
„erant, ac dissoluti, et ad ipsa dona supini; ideo
„lex data est, ut illos magis coargueret, et clare
„doceret, quo in statu essent, atque accusationem
„augens, illos magis constringeret. Verum ne ti-
„meas. Neque enim, ut maius supplicium esset,
„id factum est, sed ut maior appareret gratia.
„Ideo subiicit: *Ubi abundavit peccatum, super-*
„*abundavit gratia.* Non dixit: abundavit, sed su-
„perabundavit. Non modo enim a supplicio libe-
„ravit, sed etiam peccatorum remissionem, et
„vitam dedit, aliaque etiam, quae saepe diximus:
„ac si quis febricitantem non solum a morbo li-
„beraret, sed etiam formosum, fortem, honora-
„tum redderet; aut esurientem non modo aleret,
„sed multis pecuniis donaret, atque ad imperium
„maximum eveheret. Et quomodo, inquies, abun-
„davit delictum? Innumera dedit lex praecepta.
„Quia ergo illa omnia transgressi sunt, abundavit
„delictum. Viden, quantum intersit gratiam inter,
„et legem? Lex enim additamentum damnationis
„facta est, gratia vero doni redundantia. Post-
„quam autem immensum Dei erga nos studium di-
„xerat; rursus quaerit principium, et radicem mor-
„tis, et vitae. Quaenam igitur mortis radix est? Pec-
„catum. Ideo dixit: *Ut sicut regnavit peccatum in*
„*mortem, ita et gratia regnet per iustitiam in vitam*

„ *aeternam per Jesum Christum Dominum no-*
„ *strum.* " Et S. Augustinus in Expositione Propositionum ex Epistola ad Romanos: „ Sic, inquit,
„ abundavit peccatum, cum et concupiscentia ex pro-
„ hibitione ardentior facta est; et peccantibus con-
„ tra legem praevaricationis crimen accessit. "

CAPVT VI.

Quamvis ubi abundasset delictum, superabundaverit gratia, non tamen permanendum esse in peccato, siquidem baptizati Christo mortui sumus peccato, ut iustitiae vivamus, atque a servitute peccati liberati, ad serviendum iustitiae obstricti teneamur.

1. QUID *ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* 2. *Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* „ Postquam ergo monstravit, ait S. Chry-
„ sostomus homil. 10. magnam esse gratiam pec-
„ cata gravia curandi; cum hinc insipientibus vide-
„ retur hoc dictum adhortationem esse ad peccan-
„ dum, si enim ideo, aiebant, maior visa est gra-
„ tia, quia magna peccata admisimus; peccare ne
„ desinamus, ut amplior gratia ostendatur. Ne igi-
„ tur haec dicerent, vel opinarentur, vide, quo-
„ modo obiectionem subvertat, primo negatione,
„ dicens: *Absit:* ut solet in iis, quae absurda es-
„ se in confesso est. Deinde ratiocinium adhibet,

„cui repugnari nequeat. Quale illud? *Qui mortui* „*sumus*, inquit, *peccato*, *quomodo adhuc vivemus* „*in illo?* Quid est illud, *mortui sumus?* An quod, „quantum ad illud spectat, sententiam accepimus „omnes? an quod mortui sumus illi credentes, et „illuminati? Id quod certe potius dicendum. Hoc „enim ostendit id, quod sequitur. Quid autem est, „mortuos esse peccato? in nullo deinceps ipsi ob-„sequi. Hoc enim semel fecit baptisma: nos „peccato mortuos reddidit.“ Vertitur metaphora in eo, quod, quemadmodum ad mortuum nihil iam eorum pertinet, quibus antea, dum viveret, utebatur; ita is, qui in peccatis antea vixit, istisque servivit, ubi haec ei per baptismum deleta sunt, et quasi mors, atque interitus eis allatus est; nihil iam deinde cum his amplius commune habere debeat. Est, *mori peccato*, Graece, τῇ ἁμαρτίᾳ, in tertio inflexionis casu. Sicut ergo, si servus moriatur suo domino, cessat potestas, et imperium heri in illum servum; ita qui antea servus fuit peccati, dum in baptismo mortuus est peccato, liberatum a dominatu pecati, infert non debere iam ultra servire peccato.

3. *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?* In Graeco utrumque. εἰς χριςὸν Ἰησοῦν, εἰς τὸν θάνατον, *in Christum Jesum, in mortem*, in quarto inflexionis casu est. In Christum vero baptizari, quid sit, intelligitur ex S. Paulo ad Galatas 3. v. 27. ubi est: „Quicumque in Christo,

„ Graece: εἰς χριςὸν, *in Christum*, baptizati estis, „ Christum induistis.“ Per baptismum enim in Christo corpus, velut membra, cooptamur, Christusque in nobis, tamquam in suo corpore, atque membris per suum Spiritum est. Coetus enim fidelium constituit Ecclesiam. Ecclesia autem Christi corpus est. Eph. 1. v. 23. Haec igitur membra cum suo capite, Christus enim caput est Ecclesiae, Eph. 5. v. 23. apta, et conformata esse oportet. Dicit autem eos, qui in Christum baptizati sunt, in mortem illius esse baptizatos. Itaque eos, qui in Christum baptizati sunt, oportere esse mortuos peccato; quemadmodum Christus mortuus corpore fuit.

4. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* „Infert consequens, „ scilicet, ait S. Thomas in Commentario, quod „ non debeamus vivere in peccato. Ad hoc inducit „ similitudinem ex resurrectione Christi, dicens: „ *Ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per* „ *gloriam Patris*, id est, per virtutem Patris, ex „ qua ipse Pater glorificatur, *ita et nos in novitate* „ *vitae ambulemus*, id est, per bona opera vitae procedamus.“ Est argumentatio sumpta inde, quod cum per baptismum induerimus Christum; hunc etiam tam morientem, quam resurgentem moribus exprimere nos oporteat. Cum ergo Christus mortuus sit, et mortuus resurrexerit, numquam posthac

moriturus: oportere nos quoque ita esse peccato mortuos, ut ex morte hac peccatorum ad novam vitam, qua iustitiae vivamus, resurgentes iam numquam postea per peccatum moriamur. Itaque sepulturae quamdam similitudinem habet etiam baptismus, dum affusa aqua, et multo magis hoc repraesentabatur baptizatione, quae fiebat olim per immersionem, dum is, qui baptizaretur, demergeretur, veluti sepultus infra terram, iterumque protraheretur; et qui demergendo moreretur per baptismum peccato; ex aqua emergens iam in novo habitu compareret vitae, qua viveret iustitiae. „Nempe satis elucet, ait S. Augustinus lib. de Spir. „et Lit. cap. 6. mysterio Dominicae mortis, et re„surrectionis figuratum vitae nostrae veteris „occasum, et exortum novae, demonstratamque „iniquitatis abolitionem, renovationemque iu„stitiae.“

5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus.* „Resurrectionem hic futuram dicit, ait S. Chryso„stomus homil. 11. Et ut discas, illum non de „hac loqui, quae ex baptismo est, sed de illa, „ubi dixit, si complantati facti sumus similitu„dini mortis eius, non addidit, similitudini re„surrectionis erimus, sed ipsius resurrectionis. Ne „diceres enim, quomodo, nisi moriamur, ut ille „mortuus est, resurgemus, ut ille resurrexit? cum „mortem memoravit, non dixit, complantati mor„ti, sed, similitudini mortis: cum autem de re-

„surrectione loquitur, non dicit, similitudini re-„surrectionis erimus. Nec dixit, facti sumus; sed „erimus: hinc declarans, illam nondum factam re-„surrectionem, sed futuram.“ Hoc ergo dicitur, ut qui baptizati sunt, similitudinem mortis Christi in se circumferrent per vitiorum in se mortem, ut olim Christi gloriosae resurrectionis consortes fiant. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* Per baptismum induendo Christum vetus noster homo crucifixus est, is videlicet homo, qui fuimus, originem trahendo ab Adam, et antequam novum hominem indueremus, qui secundum Christum est: Graece, συνεσταυρώθη, *concrucifixus est*, quemadmodum videlicet prius consepultos nos cum Christo in mortem, et complantatos in similitudinem mortis illius dixit, ita eadem ratione concrucifixos secundum eum, qui in nobis fuit vetus homo, *ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato.* Per corpus peccati, quid intelligatur, perspicuum fit ex capitis sequentis versu quinto: „Cum enim, „inquit, essemus in carne, passiones peccatorum, „quae per legem erant, operabantur in membris „nostris, ut fructificarent morti.“ Itaque idem corpus peccati etiam deinde ibidem versu 24. appellat corpus mortis: „Infelix ego homo, in-„quiens, quis me liberabit de corpore mortis hu-„ius?“ Corpus ergo peccati vocat propter concupiscentiam, quaeque non tantum ex peccato ori-

ginali sit, sed instiget ad peccatum, et per peccatum generet mortem. Quod ergo modo dixit, veterem nostrum hominem concrucifigi ad destruendum corpus peccati, idem hoc clarioribus verbis posuit ad Galatas cap. 5. v. 24. „Qui Christi, inquit, sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, „et concupiscentiis." Corpus igitur plenum passionibus peccatorum, et concupiscentia vocatur corpus peccati, ita ut alterum nomen: *peccati*, vicem subeat adiectivi secundum indolem loquendi Hebraeorum, quibus cum desint nomina adiectiva, usurpant substantiva in adiectivorum nominum locum.

7. *Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato.* Hoc instar causae positum est, cur is, cuius vetus homo crucifixus est, ultra servire non debeat peccato, quod, qui mortuus peccato est, sit etiam iustificatus a peccato, sive ut Syrus vertit, *liberatus sit a peccato:* qua ratione idem etiam hoc infra versu 22. huius capitis, isto verbo positum est: „Nunc vero liberati a peccato, servi „autem facti Deo." Est verbum: *iustificatus*, a Paulo desumptum ex forensi consvetudine, ubi qui iustificatur ab altero, a quo in crimen est vocatus, et reus actus; liber ab eo declaratur, ita ut ille iam ulterius in eum agendi ius non habeat. Hanc enim vim significationis in forensi usu vocabulum Graecum habet: δικαιόω. Hinc namque Gracis etiam dicitur δικαίωμα, quae Latine vocatur sententia, quae fertur in iudicio, et qua, si haec absolu-

toria sit, ita is, cui lis mota est, ab actione sui adversarii liberatur, ut hic iam illius exigendi, quod ab eo quaerebat, ius, et facultatem nullam habeat. Tali igitur ratione eum, qui servus fuit peccati, per baptismum autem mortuus est peccato, sic absolutum esse obligatione suae pristinae servitutis erga peccatum, ut iam obstrictus hac servitute non teneatur.

8. *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo.* Idem hoc iam etiam superius versu 5. fuit, aliis tantummodo verbis: „Si enim complantati facti „sumus similitudini mortis eius, simul et resur„rectionis erimus.“ 9. *Scientes, quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: mors illi ultra non dominabitur.* 10. *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.* 11. *Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.* Cum supra in octavo versiculo de vita aeterna cum Christo, atque illa beata, locutus fuisset, et cuius spem proposuerat, si hic morerentur cum Christo; nunc rursus de vita agit, quam viverent hic adhuc in mortali corpore per iustitiae studium mortui peccato, cuique iam non servirent. Atque hoc iterum urget ab exemplo Christi, qui a morte resurgens, iam amplius moriturus nunquam, nec in eum iam mors quidquam potestatis exercitura sit. Itaque ipsos quoque, qui per baptismum mortui essent pecca-

to, et ad novam vitam, qua Deo viverent per iustitiae studium, resurrexissent; non debere iterum per peccatum relabi in mortem. Quomodo vero Christus mortuus est peccato? non sic, quemadmodum nobis moriendum est peccato, ne illi ultra operam demus. Semper enim sine peccato fuit. Sed mortuus est peccato, quod in se suscepit nostrum, ut debitum illius expiaret, atque exsolveret. Itaque hoc idem S. Petrus sic clarius expressit: „Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, „iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo.“ 1. Petr. 3. v. 18. „Quid est illud: *Peccato?* quaerit S. „Chrysostomus homil. 11. et respondet: Id est, „non illi peccato obnoxius erat, sed propter pec„catum nostrum. Nam ut illud tolleret, et eius „nervos, vimque omnem abscinderet, ideo mor„tuus est.“ Ut vero Christus vivit Deo, ita nos quoque docet oportere vivere Deo. Hoc vero vivere, intelligi potest ex contrario mori. Nam, cui qui mortuus est, erga hunc iam huius, qui mortuus est, nulla remanet actio, neque iam quidquam ei praestare debet. Sic servus, qui mortuus est, nihil iam debet suo domino, nec iam aliquo eius obsequio obligatus tenetur. Quemadmodum ergo Christus vivit Deo, cuius omnis vita est in gloriam Dei; ita ergo etiam nos oportere vivere Deo, ut totos nos ad eius obsequium impendamus: in Christo autem Jesu Domino nostro, tamquam videlicet, cuius membrum facti per baptismum simus.

12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius.* 13. *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma iustitiae Deo.* Membra sua exhibere arma peccato, vel Deo, ibi ut iniquitatis, hic ut iustitiae instrumenta sint, est metaphora desumpta a milite, qui totus pendet a sui ducis imperio, et ibi manum, atque arma illico exerit, ubi ei a duce imperatur. Peccati igitur nomine intelligitur hic concupiscentia; per peccati autem concupiscentias pravi motus, et appetitiones eiusdem concupiscentiae. „Hanc ergo „concupiscentiam carnis, ait S. Augustinus lib. „2. Oper. Imp. num. 226. cohiberi Apostolus prae„cipit, nec regnare permittit, eamque peccati „nomine appellat, quia et de primo peccato ori„ginem ducit, et quisquis eius motibus ad illicita „consenserit, peccat. Quae tunc nulla erit in no„bis, quando immortale corpus habebimus. Ideo„que cum posset dicere: Non regnet peccatum in „vestro corpore, cur addidit verbum, et ait, in „vestro mortali corpore, nisi, ut tunc speraremus „istam, quam peccatum vocat, concupiscentiam non „futuram, quando mortale non habebimus corpus?“

14. *Peccatum enim vobis non dominabitur. Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Quomodo hoc nexum est, cum eo, quod antecessit? Dixerat, caverent, ne peccatum regnaret in eorum mortali corpore obediendo eius concupiscentiis,

sed e contrario, ut membra sua exhiberent, veluti arma, ad militandum iustitiae. Huic vero rei poterat opponi, velle se quidem servire iustitiae, sed peccati, atque concupiscentiae, quam adhuc in suo mortali corpore ferrent, esse impotentissimum dominatum, cui sit difficillimum obsistere. Huc igitur respondet: *Peccatum enim vobis non dominabitur*, id est, non praevalebit vobis. Quare? *Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Docet nimirum istud eos per gratiam effectum dare posse, cuius gratiae iam participes facti essent, et sub qua per fidem essent constituti: non amplius sub lege. Sub qua si adhuc essent, omnino praevaliturum ipsis peccatum, cuius vis ad resistendum nulla esset. „Quis ergo est hic sermo? „ait S. Chrysostomus homil. 11. Corpus nostrum „ante Christi adventum peccato captu facile erat. „Nam post inductam mortem, affectuum quasi ex„amen inductum est: quapropter non valde expe„ditum erat ad virtutis cursum suscipiendum. Ne„que enim aderat Spiritus, qui iuvaret, neque „baptismus, qui mortificare posset. Sed velut „effraenis equus currebat quidem, sed saepe aber„rabat: quandoquidem lex, quae agenda, et non „agenda essent, edicebat quidem; sed nihil prae„ter verborum monita certantibus suppeditabat. Post„quam autem Christus advenit, certamina deinde „faciliora fuerunt.“

15. *Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.* Dixerat

superiore versu, non esse ipsos sub lege, sed sub gratia. Hinc ergo, cum rursus illud consequens videri posset, eos, qui sub lege iam non essent, posse hanc iam libere praevaricari, quasi qui illa iam non tenerentur; hanc absurdam illationem negat, ac deinde, quemadmodum subsequetur, refellit. 16. *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum; servi estis eius, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad iustitiam?* 17. *Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinae, in quam traditi estis.* 18. *Liberati autem a peccato, servi facti estis iustitiae.* „Respondens subdit: Absit, scili-„cet, ut peccemus, quia sumus a lege liberati, „verba sunt S. Thomae in Commentario, quia si „peccaremus, sequeretur hoc inconveniens, quod „iterum redigeremur in servitutem peccati. Et hoc „est, quod dicit: An nescitis, quoniam cui exhi-„betis vos servos propria voluntate ad obediendum „spontanee servi estis, cui obedistis. Obedire enim „debitum est, quod servi dominis debent.“ Per Christi vero gratiam mortui sunt peccato, et iustificati sunt a peccato, quemadmodum antecessit versu 7. hoc est, in libertatem vindicati excusso illius iugo. Ergo quamvis sub lege non essent, sed sub gratia, tamen liberum ipsis non esse, iniquum aliquid, Deoque contrarium, et quod ab eo esset vetitum, agere, qui ista ratione se se iterum pristinae servituti peccati manciparent. *Gratias*

autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinae, in quam traditi estis. Ad eos scribit, qui crediderunt Evangelio, et per Christi gratiam a servitute peccati liberati sunt. Ergo forma doctrinae, in quam traditi sunt, doctrina intelligitur Evangelii. Iidem ergo etiam servi fuerunt peccati, antequam videlicet per Christum iustitiae donum consecuti fuissent. Sic enim Paulus de illo statu ante Christi fidem etiam scribit ad Ephesios: „Et vos cum „essetis mortui delictis, et peccatis vestris, in „quibus et nos omnes aliquando conversati sumus, „in desideriis carnis nostrae, facientes voluntatem „carnis, et cogitationum, et eramus natura filii „irae, sicut et ceteri.“ Eph. 2. v. 1. Cum ergo ipsi ex corde obediverint in hanc formam doctrinae, per quam docerentur servire non iam peccato, sed iustitiae; „Non enim vocavit nos Deus in im„munditiam, sed in sanctificationem.“ 1. Thess. 4. v. 7. Et rursus: „Apparuit enim gratia Dei Sal„vatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, „ub abnegantes impietatem, et secularia deside„ria sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc se„culo“ Tit. 2. v. 11. atque legi Evangelii se se subiecerint; e peccati servitute liberatos, docet, servos esse factos iustitiae. Huic igitur, uti iam deinceps servirent, non amplius peccato, teneri obstrictos. Quod vero hoc assecuti essent, gratias agit Deo. Quo quid aliud indicavit, quam gratia Dei esse ipsos id, quod essent, et fidem, per quam

quam essent iustificati, esse donum Dei. Obedisse autem ex corde, quod rursus proprium etiam voluntatis arbitrium demonstrat, quo illi formae doctrinae se se subiecerint. Nam quod quis ex corde facit; ex animo, et propria voluntate cupidissime facit. „Obedientia enim ex corde, ait S. Chryso„stomus homil. 11. liberum arbitrium denotat. Quod „autem traditi sint, id Dei auxilium subindicat.“

Lutherus, et Calvinus in sua reformatione negarunt ullam aliam homini Christiano per Evangelium esse relictam legem, quam unam hanc de fide, atque fiducia in Christum habenda, utpote qui iam non sit constitutus sub lege, sed sub gratia. Atqui Paulus Romanos, traditos in formam doctrinae, cui obediverunt, docet servos factos esse iustitiae. Ergo obstricti tenebantur ad omne id exsequendum, quod iustum, cavendumque omne illud, quod iniquum, et aequitati contrarium esset. Justitia autem, cum in eo sita sit, ut cuique tribuatur, quod suum est, quam haec late patet tam erga Deum, quam erga homines cum omnes ceteros, tum nos ipsos, et quanta habet officia? Nec Christus venit solvere legem, sed adimplere: quin declaravit, eum, qui solveret unum de mandatis illis minimis, minimum esse vocandum, sive, quemadmodum ibi demonstratum est, esse istud intelligendum, non futurum in regno caelorum. Matth. 5. v. 17, 19. Deinde, si per illam fidem tantum, et fiduciam Christianus satisfacit Evangelio, atque isti iustitiae, cuius servum esse ipsum factum pronunciat Paulus;

nihilne illa, quae in Decalogo continentur: honora parentes tuos, non furtum facies, non occides, non moechaberis, Christianum obligabunt? Si vero obligant, ut certe obligant, suntne homini Christiano etiam observandae leges, vel licetne illas impune praevaricari? Tametsi meminerim, Lutherum in suis Propositionibus docuisse, solum illum esse iustum, qui sine opere multum credit in Christum; tamen ipsius sequaces non ita occupavit suae religionis praeiudicium, ut id, quo violatur iustitia, quod committitur cum iniuria alterius, verbi gratia, perpetrando caedem, furtum, adulterium, negarent esse peccata. Sed tamen per solam fidem, et fiduciam docent obtineri salutem, et regnum caelorum. Quomodo vero istud? Dicunt ista, quae quidem sint peccata, non tamen imputari illis, qui illam fidem, atque illam fiduciam exercerent erga Christum. „Beatus vir, inquiunt, „cui non imputavit Dominus peccatum" quod supra fuit capitis 4. versu 8. Atqui ibidem etiam dicuntur esse beati, quibus remissa sunt peccata. Si remissa sunt a Deo peccata, sequitur, ut his etiam offensus fuerit Deus. In quo enim offensa non fuit aliqua, illud cur remittendum esset, ratio non fuit. Quod si ergo Deus ei, qui beatus praedicatur, non imputavit peccata; id hac ratione factum est, quod Deus illi veniam peccatorum postea concesserit, non quod etiam tum, cum committeretur peccatum, tamen ei, qui admitteret, si fidem erga Deum haberet, non imputaret, et poena dignum haberet. An illis Deus, quibus Christus in iudicio dicturus

est: Esurivi, et non dedistis mihi manducare, sitivi, et non dedistis mihi potum, Matth. 25. v. 42. quique non arguuntur, quod fidem non habuerint, sed tantum, quod haec officia erga proximum exercere omiserint, num his, inquam, Deus peccata haec non imputavit, quos propter illa Christus missurus in ignem aeternum est? Si ei, qui fidem habet, peccata non imputantur, quomodo potuit etiam Apostolus dicere: „Quid prodest, fratres mei, si „fidem quis habeat, opera autem non habeat, num- „quid poterit fides salvare eum?" Jac. 2. v. 14. Salvus enim fieret certe, tectus etiam sola fide, cui nulla mala opera, siquidem ea non imputarentur, nocere possent. Velim autem consideretur, quantam viam ad omnem licentiam hoc Protestanticum, et Calvinianum dogma aperiat, si ei qui fidem habet, certa Divinae impunitatis spe omnia licet facere. Quid impedit, quo minus, in ipsius sceleris, et flagitii cuiuscumque etiam immanissimi perpetratione sibi iste de fide sua, et fiducia glorietur, et idcirco tanto magis, atque audacius in suo scelere bachetur, neque illum ullus Dei metus contineat, ne per omnia, quo illum indomita libido, vel furor rapit, praeceps feratur? Isti tamen eo praetextu Religionis reformationem se se iactarunt fecisse, quasi eam ad primaevam puritatem Evangelii revocassent; cum potius eiusmodi dogmatum monstris illam defoedassent, quibus ad omnia flagitia impunitas, et latissimus campus aperiretur.

19. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae, et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.* Utique maiorem conatum, et diligentiam decet exhibere erga observationem iustitiae, et ad serviendum Deo, quam ad immunditiem, et perpetrationem flagitiorum; attamen humanum, hoc est, quod magis attemperatum humanarum virium esset imbecillitati se se aliquid ab ipsis dicit requirere. Non enim se petere, atque exigere, ut plus iam iustitiae, et Divini servitii studio tribuant; quam ante tribuerint vitiis. Tantumdem igitur exhiberent membra sua ad serviendum iusitiae ad suam sanctificationem; quantum haec eadem exhibuerint antea ad serviendum immunditiae, et iniquitati ad iniquitatem exercendam. „Parem „servitutis modum requiro: ait S. Chrysostomus „homil. 12. Oportebat utique multo plus adferre, „et tanto plus, quanto dominatus hic (iustitiae) „maior, meliorque est illo (peccati, et iniustitiae) „attamen nihil amplius peto propter infirmitatem. „Atqui illud quidem immunditia, hoc vero sancti„ficatio; illud iniquitas, hoc vero iustitia. Ecquis „ita miser, et infelix est, ut non tantam in Chri„sti servitute curam adhibeat, quantam in servitu„te peccati, et diaboli?“ 20. *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae.* Praecesserat versu 18. „Liberati autem a peccato, servi facti „estis iustitiae.“ Cum ergo modo dixisset per quam-

dam indulgentiam, ut iam servi facti iustitiae, tantumdem iustitiae servirent, quantum antea peccato; istud deinde per modum causae subiecit: *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae,* unde consequeretur illud ipsum in contrarium, quod posuit, liberatos a peccato, servos esse factos iustitiae: ac proinde, quemadmodum peccato prius ita serviverunt, dum eius essent servi, ut liberi essent iustitiae, nullaque ratione isti subiecti; ita vicissim oportere ipsos nunc servire iustitiae, postquam eius servi sunt facti, ut se iam peccato nullatenus subiiciant.

21. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* Hoc vero eo pertinet, cur se denuo peccato non deberent subiicere, qui ex suis praeteritis flagitiis etiam nunc erubescerent, et quorum finis esset mors. 22. *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.* 23. *Stipendia enim peccati mors; gratia autem Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro.* „Cum stipendia peccati dixisset, ait S. Chrysostomus hom. 12. de bonis agens, non eumdem servavit ordinem. Non enim dixit, merces bonorum operum vestrorum, sed gratia Dei, ostendens illos, non per seipsos liberatos esse, neque debitum accepisse, neque mercedem, vel retributionem laborum, sed haec omnia per gratiam facta fuisse.“ „Ipsam vitam aeternam, ait S. Augustinus Enchi-

„ridii cap. 107. quae certe merces est operum bo-
„norum, gratiam Dei appellat Apostolus. *Stipen-
„dium enim*, inquit, *peccati mors*, *gratia autem
„Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro.*
„Stipendium pro opere militiae debitum redditur,
„non donatur. Ideo dixit, *Stipendium peccati mors*,
„ut mortem peccato non immerito illatam, sed
„debitam demonstraret. Gratia vero, nisi gratis
„est, gratia non est. Intelligendum est igitur, etiam
„ipsa hominis bona merita esse Dei munera. Qui-
„bus cum vita aeterna redditur, quid nisi gratia
„pro gratia redditur?" *In Christo Jesu Domino
nostro*, praepositio *in*, in locum praepositionis *per*
est posita, ut hoc saepe iam alias etiam factum est.

CAPVT VII.

Esse nos solutos a lege mortis, ut Deo serviamus in novitate Spiritus: non quasi lex mala fuisset, sed quod operata sit omnem concupiscentiam, istiusque acrior impetus esse coeperit, dum se lege constringi non pateretur. Cuius vis cum ne nunc quidem sit adhuc exstincta, si consensus ei non praestetur, homo mente servit legi Dei, quamvis in carne ferat concupiscentiam.

1. *AN ignoratis fratres, scientibus enim legem loquor, quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit?* Res haec sic nectitur cum argumento, quod superiore capite tractatum est: „Post-
„quam enim dixit, verba sunt S. Chrysostomi ho-

„mil. 12. nos mortuos esse peccato; ostendit hic, „non modo peccatum non illis dominari, sed ne- „que legem.“ Nam cum lex iram operetur, et ubi lex non est, nec sit praevaricatio, Rom. 4. v. 15. necessarium esse duxit Apostolus demonstrare ab huius etiam servitute nos esse liberatos; sub qua lege, si adhuc teneremur, ne quidem a servitute peccati liberi esse possemus. Ad eos autem Romanos speciatim versa est oratio, qui ex Judaeis facti erant Christiani, siquidem scientibus legem se se dicat loqui. De quonam vero istud: *Quanto tempore vivit*, dicit, de legene, an de homine? De lege esse hoc magis intelligendum, quae homini dominetur, quamdiu eius vigor est, ex subsequente oratione innotescit: siquidem hoc de lege, cuius tamdiu duret dominatus in hominem, quamdiu ipsa viget, magis deinde cohaeret cum eo, quod sequitur per comparationem eiusdem legis cum viro, cuius auctoritas tantum etiam eousque duraret in uxorem, quamdiu ipse viveret, eoque mortuo mulier, quae ipsius erat uxor, nulla iam ipsi lege obstricta teneretur. Nam „in viri ordine, ait S. Chrysosto- „mus homil. 12. ponit legem, in ordine autem mu- „lieris eos omnes, qui crediderunt.“ 2. *Nam quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri.* 3. *Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Mulier vi-

vente viro alligata est legi, Graece est: τῷ ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ: quod vero verti etiam sic potest: *Viventi viro alligata est lege.* Quod alterum quamvis clarius versum sit, non tamen ab eo sensu discrepat etiam Versio Vulgata, mulierem vivente viro alligatam esse legi, huic videlicet legi, qua inter ipsos constat matrimonium, et illa obstricta tenetur marito, quamdiu ille vivit, ut non prius, quam illo mortuo possit nubere alteri. Erat vero Judaeis permissum, uti dato libello repudii dimittere a se possent viri suas uxores. Ergo etiam vivente adhuc viro mulier facultatem nanciscebatur nubendi alteri. Fuit vero hoc ipsis permissum a Deo tantum per quamdam indulgentiam, cedendo illorum duritiei, cum secundum institionem Divinam matrimonii vinculum solvi per ipsos coniuges non posset. Matth. 19. v. 6. Non ergo hic illud Paulus spectavit in matrimonio, quod praeter naturam ipsius matrimonii subinde fieret inter male compositos coniuges: sed quod esset secundum eius primaevum institutum, et quod in eo teneret, observareturque communius.

4. *Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo.* "Consequens erat dicere, ait S. Chrysostomus homil. „12. lege mortua, adulterii non damnamini, si „cum altero viro fueritis. Verum non ita dixit, „sed quomodo? Mortui estis legi. Si mortui estis, „non estis sub lege. Si enim mortuo viro non est

„ obnoxia mulier, multo magis illa mortua ab illo „ liberata est.“ Mortuos vero probat legi per corpus Christi, ut iam alterius sint, qui a mortuis resurrexit. Quomodo vero mortui sunt per corpus Christi? hoc modo quod cum Christo corpus unum effecti sint. „ Membra enim sumus corporis eius, de „ carne eius, et de ossibus eius.“ Ephes. 5. v. 30. Hoc vero cum per coniugium fiat, ut alter alterius corpus fiat, dicente eodem Apostolo, in eo, quem modo citavi loco: „ Erunt enim duo in carne una“ quodque Sacramentum magnum esse dicit in Christo, et in Ecclesia, ac proinde ipsi iam Christo per fidem copulati, novum coniugium inivissent, nec vero istud iniri potuisset, nisi anterius desiisset, siquidem mulier vocetur adultera, quae vivente priore viro nubit alteri, nec istud sit connubium, sed adulterium; consequens esse, ut iam diremptum inter ipsos, et legem pristinum sit coniugium. *Ut fructificemus*, inquit, *Deo*. Adhuc continuatur comparatio matrimonii. Nam uxor viro in adiutorium est data. Genes. 2. v. 20. Unum ergo cum Christo corpus effectos, dicit debere fructificare Deo cooperando gratiae, quae est per Christum.

5. *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quae per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.* In novo coniugio cum Christo fructificare illos oportere Deo, probat ex effectu prioris cum lege connubii, tamquam ex contrario. Ubi videlicet antea per passiones peccatorum, quae per legem erant, quaeque

in ipsis operabantur, fructificaverunt morti. „Vi-„distin, ait S. Chrysostomus homil. 12. prioris viri „lucrum? Non dixit, cum essemus in lege, sem-„per cavens, ne ansam det haereticis: sed cum es-„semus in carne, id est, in malis operibus, in „carnali vita.“ Cum sub lege essent, seiungendo legem a fide dicit illos fuisse in carne. Spiritu enim caruerunt, qui tantum per fidem daretur. Per legem vero existunt passiones peccatorum, siquidem concupiscentia ferocior fit lege, et irritatur, dicente Apostolo, quemadmodum sequetur infra versu 8. „Occasione autem accepta peccatum per mandatum „operatum est in me omnem concupiscentiam.“ Dum ergo essemus, inquit Apostolus, in carne, hoc est, nondum Spiritu ambularemus per fidem, passiones peccatorum, quae per legem erant, cum ad legem concupiscentia effervesceret eo vehementius, nec in lege ad eam coercendam, atque reprimendam aliquod esset auxilium, tunc, inquam, passiones hae pecoatorum operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.

6. *Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate Spiritus, et non in vetustate literae.* Legem legem mortis vocat. Est enim virtus peccati lex: stimulus autem mortis peccatum. 1. Cor. 15. v. 56. Rursusque eamdem legem literae nomine compellat quemadmodum istud alibi quoque facit, ut Cor. 3. v. 6. „Litera occidit: Spiritus vivificat.“ Sic vero vocatur, quod haec lex per scripturam in tabulis

lapideis in veteri foedere data esset: in novo autem ad cor. „Dabo legem meam in visceribus eorum, „et in corde eorum scribam eam.“ Jerem. 31. v. 33. Ideo haec novitas Spiritus, illa vetustas literae appellatur. Cum ergo per corpus Christi, facti illius membrum, mortui simus, ac proinde soluti etiam a lege, quae ministra erat mortis; 2. Cor. 3. v. 7. infert oportere nos servire Deo Spiritus impulsu, non legis, atque literae. Lex identidem opposite consideratur erga Spiritum, et tamquam, quae huic sit contraria. Nam etiamsi legem aliquis observaret non ex Dei charitate, sed ex metu poenae, non tamen eam implebat. „Per charitatem enim lex „impletur, ait S. Augustinus Enarrat. in Psal. 67. „non per timorem. Qui enim timendo non facit „male, Enar. 2. in Psal. 32. mallet facere, si lice„ret. Itaque et si facultas non datur; voluntas rea „tenetur.“ Atque hinc servitus deinde erat illius legis, atque mors, quam ministrabat, quod metum tantummodo afferret, non gratiam infunderet, per quam lex ex amore erga Deum observaretur, quae Dei charitas per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, Rom. 5. v. 5. et sine quo Dei amore lex non impleretur. Dum ergo dicit, non in vetustate literae, sed in novitate Spiritus nobis esse serviendum, postquam soluti sumus a lege mortis, et positi per fidem sub gratia, hoc monet; ut Deo serviamus non ex metu, verum ex amore. Nec qui Deo ex amore servit, legem eius non implet, quomodo enim ei serviret, si legem ipsius praeva-

ricatur; sed quod non ei serviat impulsu legis, qui ei serviret etiamsi lex non esset, nec quidquam ex eius transgressione incommodi metuendum haberet. Atque hoc est, quod deinde Apostolus 1. ad Timotheum 1. v. 9. etiam dicat Justo legem positam non esse. Non ergo quod lex negaretur, neque enim lex destruitur per fidem, sed statuitur, Rom. 3. v. 31. sed quod ii, qui Spiritu Dei acti legem observant, sub lege non sint, cui citra illius metum ultro, et ex amore illam observent.

7. *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Cum superiore versu dixisset, in novitate Spiritus, non in vetustate literae esse serviendum, atque solutos nos esse a lege; refellit eam, quam hinc aliquis non recte facere posset sequelam, legem esse peccatum, hoc est, peccare eos, qui eam exsequerentur. Ubi vero illationem istam negavisset, pergit deinde ulterius declarare, quid lex praestaret, eoque sensim descendit, ut ostendat per legem auctum esse peccatum, non vitio legis, sed concupiscentiae effraeni licentia. *Sed peccatum*, inquit, *non cognovi nisi per legem.* Hoc iam superius etiam capitis 3. versu 20. dixerat: „Per legem enim cognitio peccati.“ *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Non quasi concupiscentiae motus, et passiones in se non advertisset; sed quod non putaret esse pravas, nec crederet

se peccare, dum illis obsequeretur, antequam legem, quae diceret, non esse concupiscendum, audivisset. Poterat quidem, et debebat agnoscere, quidquid ex concupiscentia committeretur, esse peccatum, secus enim ne quidem fuisset peccatum; quod enim non est in intellectu, nec est in voluntate: et quod ex voluntate non est, non est peccatum: sed quod ratio victa esset cupiditate, et quas faces admovebat concupiscentia, pro propensionibus haberet, quae ex ipsa natura provenirent, non ex peccato, quod nobis congenitum esset. Quemadmodum autem non sola est concupiscentia carnis, et ad illud peccatum incitans, quod luxuriei vocatur, sic generali hoc praecepto: *Non concupisces*, non solam etiam concupiscentiam carnis, sed omnium rerum, quae pravae appeterentur, notavit. „Elegit Apostolus, ait S. Augustinus lib. „de Spir. et lit. cap. 4. generale quiddam, quo „cuncta complexus est: tamquam haec esset vox „legis ab omni peccato prohibentis, quod ait: „*Non concupisces.* Neque enim ullum peccatum „nisi concupiscendo committitur.“

8. *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.* „Viden, ait S. Chrysostomus homil. 12. quomo„do legem a criminationibus liberet? Occasione ac„cepta, inquit, peccatum, non lex auxit concu„piscentiam, et contra evenit, quam lex optaret. „Id quod infirmitatis erat, non malitiae. Cum enim

„ aliquid concupiscimus, et prohibemur, magis „ attollitur cupiditatis flamma; verum non per legem. „ Illa namque prohibuit, ut te abduceret. Peccatum „ vero, id est, segnities tua, et mala voluntas, „ bono in contrarium usa est. At non culpa medici, „ sed aegroti, qui pharmaco male usus est. Non „ enim ideo legem dedit, ut concupiscentiam ac- „ cenderet, sed ut exstingveret. Contrarium autem „ evenit: at non ipsius, sed nostra culpa. Si quis „ enim febricitanti, et potum frigidum intempesti- „ ve cupienti, non potestatem bibendi faceret, et „ sic perniciosam cupiditatem augeret, non ideo „ posset iure reprehendi. Medici quippe erat pro- „ hibere, aegri vero abstinere. Quid enim si pecca- „ tum occasionem ab ipsa lege acceperit? Plerique „ enim improbi a bonis praeceptis iniquitatem suam „ augent. Siquidem ita diabolus Judam perdidit, „ ad amorem pecuniae coniiciens, furemque rerum, „ pauperibus destinatarum, esse svadens. Non enim „ concreditum ipsi marsupium id effecit, sed animi „ nequitia, quae Evam, et Adamum ad comeden- „ dum de ligno impulit, atque ex paradiso eie- „ cit. At non in causa fuit lignum, etsi ab ipso „ occasio fuerit." Est scilicet voluntas nostra laesa, et depravata per originale peccatum. Hinc illa aversio in nobis existit a bono, et tantus nisus in malum. Cum enim humani generis natura in primo parente nostro, omisso bono, sponte se contulisset ad malum; hoc ipsum ei deinde factum est in poenam, ut invita perferret, quod sibi ultro elegit,

haberetque in se hanc propensionem ad malum. „Quod autem dicit, verba sunt S. Augustini in „Exposit. Propositionum huius Epistolae, *Occa-„sione autem accepta peccatum per mandatum „operatum est in me omnem concupiscentiam*, „intelligendum est, non omnem fuisse concupi-„scentiam, antequam prohibitione aucta esset. „Augetur enim prohibitione concupiscentia, quan-„do deest gratia liberantis. Ideo nondum est omnis, „antequam prohibeatur: cum autem prohibita fue-„rit, desistente, ut diximus, gratia, tantum cre-„scit concupiscentia, ut ita in suo genere omnis, „id est, consummata fiat, et praevaricatione cri-„men accumulet." Et S. Chrysostomus homil. 12. „Non ait: Effecit in me concupiscentiam, „sed omnem concupiscentiam, vehementiam hic „subindicans. Quomodo vero peccatum sine lege „erat mortuum? Respondet S. Augustinus in ea-„dem Expositione, quam modo citavi: „Non quia „non est, dixit, *mortuum est*, sed quia latet. „Quod in consequentibus manifestat, cum dicit: „*Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bo-„num mihi operatum est mortem.*" Et S. Chry-sostomus homil. 12. „Sine lege peccatum mor-„tuum erat, id est, non ita notum. Sciebant enim „ii, qui ante legem erant, se peccavisse: adcura-„tius vero id noverunt post datam legem, ideoque „maiori erant crimini obnoxii." Dicitur itaque mortuum non absolute, et quasi non fuisset: „Us-

„que ad legem enim peccatum erat in mundo: „peccatum autem non imputabatur, cum lex „non esset:" Rom. 5. v. 13. sed solummodo secundum eorum conscientiam, qui peccabant; quae quasi in profundo somno per ignorantiae tenebras non evigilaverit ad advertenda peccata, quibus peccaret. Itaque hoc est, quod etiam paulo ante dixit Apostolus, peccatum se non cognovisse, nisi per legem.

9. *Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.* „Ego autem vivebam sine lege aliquando. Quan„donam, obsecro? verba sunt S. Chrysostomi ho„mil. 12. Ante Moysem." Nempe Apostolus personam modo in sé assumpsit eorum, qui ante legem Moysaicam vixerunt. Vixerunt autem illi sine lege, non naturali, sed scripta, quaeque per Moysem data est a Deo Judaeis. Sed quia lex naturalis non advertebatur, siquidem dicat Apostolus, concupiscentiam se nescivisse, nisi lex diceret: Non concupisces; illi, qui ante legem scriptam vixerunt, sic sine lege fuerunt, ut se ipsi sine lege esse putarent. „Intelligendum est, ait S. Au„gustinus in Expositione Propositionum huius „Epistolae, vivere mihi videbar: quia ante man„datum latebat peccatum." *Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.* Fuit superiore versu sine lege peccatum fuisse mortuum. Consequens igitur est, ut adveniente mandato revixerit peccatum.

Siquando viguerunt simpliciores accusatiui *mü-ket*, *tüket*; verosimile est, hos de vsu affixo venisse ad vsum separatum; vti etiam eorum nominatiuos, *mük*, *tük*.

Literam *t* in *g* mutari, et vicissim *g* in *t*, non est in lingua nostra insolitum. Particulam *rursus*, *iterum*, nos et hodie promiscue dicimus, *ismég*, et *ismét*. Deinde *söt*, et *tehát*, quae reddunt particulas *quin*, *imo*, *ergo*, *igitur*, veteres *sög*, et *tehág* dixerunt. Iam adduxi pro his auctoritatem Siluestri in orthoepia. In memoriam reuocari possunt, quae dixi de mutatione etiam Hebraici ת (*tav*) in כ (*caph*), in pronomine תָּ (*tá*), tu, cum verbis; quod cum nominibus est ךָ (*khá*), tui. Et litera *k* sono est vicina literae *g*: apud nos quidem vtraque saepe alternans. Nam, quod olim *kazdag* dixerunt Komjáthius, Siluester, Pétsius, Telegdius, et alii, hodie id nobis *gazdag* est: et *menyegző*, nuptiae, *g* de *k* habet, de contracto participio *menyekező*, quod est de verbo *menyekezem*, sponsam duco (Codex MS. Transl. Bibl. Esther II. 18.).

Quapropter et in accusatiuis *eng-emet*, *tég-edet*, *g*, quod in his hodie sonat, est de *t* primigenio in formis primis *ent-emet*, *tét-edet*. Haec vero geminatione nata esse luce clarius est. Quomodo enim simplex *én*, et simplex *te*, tam prolixos secus dedissent accusatiuos? Quos dederant, formatione ad legem exacta, alii esse non potuerant, quam qui restituti sunt. De *én*, integro formatiuo *en-et*, absorpta vocali *en-t*; siquidem *n* cum *t* amice conuenit; vt de nomine *len*, linum, fit accusatiuus *lent*. De *te*, integro formatiuo *té-et*, vocalibus coalitis *tét*. Iam, quae his accesserunt, vnde illa sint, nisi de *ém*, nisi de *ed*, affixis earundem personarum pronominibus? Haec accusatiuos, rite formatos, hos de se sponte sua dederunt: *ém emet*, accen-

tu propter incrementum amisso; *ed* vero lege planissima *edet*.

Geminationem pronominum simplicium, praeter illam, quae est ad possessionem, habuimus certe, quod vel isti casus clarissime indicant, et aliam ad leniorem emphasim: *en-én, té-ed, ö-ö; mü-emek, tü-edek, ö-ök;* ego-ego, tu-tu, ille-ille, nos-nos, vos-vos, illi-illi. Superest huiusmodi geminationis vestigium apud Fennos quoque: *minuni*, ego-ego; *sinus*, tu-tu; *hänenſä*, ille-ille. Separatis nimirum *minä*, *sinä*, *hän*, affixa sunt adiecta, vt apud nos. Docui et Hebraeorum אָנֹכִי (*ánókhi*) geminatum esse, ego-ego. Clarum est et pluralia talia esse: אֲנַחְנוּ (*anach-nú*) et נַחְנוּ (*nach-nú*), nos-nos; et haec quidem, retrograda enunciatione, *nú-anach*, *nú-nach*, nostris huius personae pluralibus exacte respondentia, *mü-emek*, *mü-mek*, deinde *mü-emük*, *mü-mük*. Sed de pluralium pronominum geminatione satis iam egi in eorum euolutione.

In his, vt vidimus, integra est geminatio. Dimidiatam habet pronomen *ő*, in qua solum accusatiui formatiuum repetitur, *öt*, *öt-et*. Socia sunt isti, dimidiata hac geminatione, etiam demonstratiua pronomina, *az*, is, ille, *ez*, hic, iste: simplici accusatiuo *azt*, *ezt*, et hodie notissima; frequentissima vero etiam geminato, *azt-at*, *ezt-et*. Sed *öt-et* geminatum adeo solum hodie vsurpatur; vt alterum simplex *öt* olim viguisse fere ii tantum norint, qui vetusta euoluissent monumenta; timideque adhibeant primigenium, propter vsum posterioris latissime dominantem.

Vetustissima Allocutio Funebris hunc solum habet accusatiuum simplicem, aliquoties recurrentem, quem cum halitu obscuro lego, *vöt*. Eundem et Codex MS. Transl. Bibl. frequenter adhibet. *És ménd öt, és ménd ő ſzolgálóit megöltöztetné* (Esther II. 9.): Et tam ipsam, quam pedisequas eius ornaret. Vtitur eo saepe saepius

etiam Tinodius. *Hogy kegyötlen lenne, öt azon inté* (f. 4.): Quod crudelis esset, ipsum de eo monuit. *Legottan öt éjjel fogva el vivék* (I. 3.): Confestim eum nocte captum abduxerunt. Occurrit et in Chariclia Gyöngyösiana. *Azt tartom, hogy öt is olly veszély követte* (Part. IV.): Id puto, quod ipsum etiam tale periculum insecutum sit.

CAPVT II.

DE INFLEXIONE PRONOMINVM RELIQVORVM.

---

§. I. PRONOMINA DEMONSTRATIVA.

A. PARADIGMATA.

1. SIMPLICIVM.

a. SEPARATORVM A NOMINIBVS.

Singulari Numero.

Nom.	*Ez.* Hic, iste.	*Az.* Is, ille.
Gen.	*Ez-é.*	*Az-é.*
Dat.	*En-nek*, olim *ez-nek.*	*An-nak*, olim *az-nak.*
Acc.	*Ez-t, ez-t-et.*	*Az-t, az-t-at.*
Abl.	*Et-töl*, olim *ez-töl.*	*At-tól*, olim *az-tól.*

Plurali Numero.

Nom.	*Ez-ek.*	*Az-ok.*
Gen.	*Ez-ek-é.*	*Az-ok-é.*
Dat.	*Ez-ek-nek.*	*Az-ok-nak.*
Acc.	*Ez-ek-et.*	*Az-ok-at.*
Abl.	*Ez-ek-töl.*	*Az-ok-tól*

b. CONIVNCTORVM CVM NOMINIBVS.

1) INTERIECTO ARTICVLO.

Singulari Numero.

Nom.	*Ez az ember.*	*Ez a' vitéz.*
	Hic homo.	Hic miles.
Gen.	*Ez-é az ember-é.*	*Ez-é a' vitéz-é.*
Dat.	*En-nek az ember-nek.*	*En-nek a' vitéz-nek.*
Acc.	*Ez-t az ember-t.*	*Ez-t a' vitéz-t.*
Abl.	*Et-töl az ember-töl.*	*Et-töl a' vitéz-töl.*

Plurali Numero.

Nom.	*Ez-ek az ember-ek.*	*Ez-ek a' vitéz-ek.*
Gen.	*Ez-ek-é az ember-ek-é.*	*Ez-ek-é a' vitéz-ek-é.*
Dat.	*Ez-ek-nek az ember-ek-nek.*	*Ez-ek-nek a' vitéz-ek-nek.*
Acc.	*Ez-ek-et az ember-ek-et.*	*Ez-ek-et a' vitéz-ek-et.*
Abl.	*Ez-ek-töl az ember-ek-töl.*	*Ez-ek-töl a' vitéz-ek-töl.*

2) DEMONSTRATIVI, ET ARTICVLI VALORE.

Singulari Numero.

Nom.	*Ez ember.*	*Az ember.*
	Hic homo	Is homo.
	E' vitéz.	*A' vitéz.*
	Hic miles.	Is miles.
Gen.	*Ez ember-é.*	*Az ember-é.*
	E' vitéz-é.	*A' vitéz-e.*
Dat.	*Ez ember-nek.*	*Az ember-nek.*
	E' vitéz-nek.	*A' vitéz-nek.*
Acc.	*Ez ember-t.*	*Az ember-t.*
	E' vitéz-t.	*A' vitéz-t.*
Abl.	*Ez ember-töl*	*Az ember-töl.*
	E' vitéz-töl.	*A' vitéz-töl.*

Plurali Numero.

Nom.	*Ez ember-ek.*	*Az ember-ek.*
	E' vitéz-ek.	*A' vitéz-ek.*
Gen.	*Ez ember-ek-é.*	*Az ember-ek-é.*
	E' vitéz-ek-é.	*A' vitéz-ek-é.*
Dat.	*Ez ember-ek-nek.*	*Az ember-ek-nek.*
	E' vitéz-ek-nek.	*A' vitéz-ek-nek.*
Acc.	*Ez ember-ek-et.*	*Az ember-ek-et.*
	E' vitéz-ek-et.	*A' vitéz-ek-et.*
Abl.	*Ez ember-ek-től.*	*Az ember-ek-től.*
	E' vitéz-ek-től.	*A' vitéz-ek-től.*

2. COMPOSITORVM

a. CVM PRONOMINE DEMONSTRATIVO.

Singulari Numero.

Nom.	*Ezen.* Hic idem, iste idem, hic ipse, iste ipse,	*Azon.* Is idem, ille idem, is ipse, ille ipse.
Gen.	*Ezen-é.*	*Azon-é.*
Dat.	*Ezen-nek.*	*Azon-nak.*
Acc.	*Ezen-t.*	*Azon-t.*
Abl.	*Ezen-től.*	*Azon-tól.*

Plurali Numero,

Nom.	*Ezen-ek.*	*Azon-ok.*
Gen.	*Ezen-ek-é.*	*Azon-ok-é.*
Dat.	*Ezen-ek-nek.*	*Azon-ok-nak.*
Acc.	*Ezen-ek-et.*	*Azon-ok-at.*
Abl.	*Ezen-ek-től.*	*Azon-ok-tól.*

b. CVM ADVERBIO DEMONSTRATIVO.

Singulari Numero.

Nom.	*Imez.* Ecce hic, ecce iste, hic ipse, iste ipse.	*Amaz.* Ecce is, ecce ille, is ipse, ille ipse.
Gen.	*Imez-é.*	*Amaz-é.*

Dat.	*Imen-nek*, olim *imez-nek*.	*Aman-nak*, olim *amaz-nak*.
Acc.	*Imez-t*.	*Amaz-t*.
Abl.	*Imet-töl*, olim *imez-töl*.	*Amat-tól*, olim *amaz-tól*.

Plurali Numero.

Nom.	*Imez-ek*.	*Amaz-ok*.
Gen.	*Imez-ek-é*.	*Amaz-ok-é*.
Dat.	*Imez-ek-nek*.	*Amaz-ok-nak*.
Acc.	*Imez-ek-et*.	*Amaz-ok-at*.
Abl.	*Imez-ek-töl*.	*Amaz-ok-tól*.

B. OBSERVATIONES.

1. DE SIMPLICIBVS.

a. DE IPSIS DEMONSTRATIVIS.

Demonstratiua pronomina nostra, *ez*, et *az*, sunt formae primigeniae, et consonam *z* habent radicalem. Nam sonat ea in linguis cognatis. Etiam a nostris olim perpetuo expressa est ante voces, et vocali, et consona inchoantes: ex. gr. *ez élet*, haec vita; *az ember*, is homo; *ez föld*, *ez tenger*, *ez vilag*, haec terra, hoc mare, hic orbis; *az föld*, *az tenger*, *az világ*, ea terra, id mare, is orbis; *eznek*, *aznak*, huic, illi; *eztöl*, *aztól*, ab hoc, ab illo.

Temporum successu, soni sui lenitate, assimilauit se consonae sequenti: ex. gr. *efföld*, *ettenger*, *evvilág*; *afföld*, *attenger*, *avvilág*; *ennek*, *annak*; *ettöl*, *attól*. Geminatio inchoantis consonae sic inducta et hodie super est in plerisque voculis, quae particularum nomine veniunt: ex. gr.

ennek, *annak*, *ettöl*, *attól*; *ekkor*, *akkor*, hoc tempore, eo tempore; *efféle*, *afféle*, huius generis, illius generis. In nexu autem cum aliis nominibus omisit quidem vsus expressam geminationem, sed eam indicauit tamen signo quopiam, vel punctulo, vel accentu graui, vel apostropho, qui hodie viget: ex. gr. *e' föld*, *e' tenger*, *e' világ*; *a' föld*, *a' tenger*, *a' világ*.

Demonstratiua itaque pronomina, ante consonas sic apocopata, *e'*, *a'*, primigeniam consonam *z* non habent penitus suppressam; sed eam sequentibus consonis assimilatam, earundem sono geminato, distincte exprimunt. Et haec, licet ita, scripta, *e' föld*, *e' tenger*, *e' világ*, *a' föld*, *a tenger*, *a' világ*, recta pronunciatio reuera sic effert: *efföld*, *ettenger*, *evvilág*, *afföld*, *attenger*, *avvi lág*. In his proinde demonstratiuis, ante consonas apocopatis, vocales longae sunt, seu moram habent, certe a positione, vt dicimus, non a sono acute producto, Etiam composita, sic apocopata, *ime'*, *ama'*, eandem sequuntur legem.

b. DE ARTICVLO.

Non est sufficiens ratio, cur articulum, vt quidam faciunt, orationis partem constituamus singularem. Nam in nostra lingua est is alterum reipsa pronomen demonstratiuum obiecti remoti, ipsum nempe *az*, *a'*, hoc etiam vsu, vt mox videbimus, pro natura sua omnino designans, demonstratione tamen directa aliquanto remissius. Quare articulus, ipsum vtique pronomen, ad clas-

sem pronominum refertur, hocque loco apte explanatur.

Articuli vsu multum conuenimus cum gentibus Europaeis: de quibus Germanos, nobis non modo viciniores, sed etiam cumulate intermixtos, opportune nominamus ad maiorem claritatem.

Nomina appellatiua, vt loco proprio diximus, sunt nomina plurium rerum singularium, quae propter similitudinem eiusdem sunt speciei. Prolatis huiusmodi nominibus, et Germani, et nos, ex. gr. Spatz, Maus, Pferd, *veréb*, *egér*, *ló*, passer, mus, equus, nondum designamus de his speciebus determinatum quendam passerem, murem, equum. Ad hanc designationem vsurpant Germani articulum triplici terminatione, der, die, das, qui valet vna etiam ad genera nominum discernenda; nos vero simplicem habemus *az*, eundem apocopatum *a'*, sine generum discrimine, soli tantum designationi inseruientem. Hic si nominibus praemittatur, der Spatz, die Maus, das Pferd, *a' veréb*, *az egér*, *a' ló*, designatur passer, mus, equus, singularis, certus, determinatus.

Hic articulus *determinatus* dicitur: quod indicet rem singularem, certam, vel etiam res plures singulares, certas, quae iam pro notis habentur: ex. gr. Gib mir das Buch, das Messer; *Add ide a' könyvet*, *a' kést;* Cedo librum illum, cultrum illum: illum inquam, per articulum designatum, iam notum, ex. gr. qui in mensa iacet, qui in manu tua est.

Sed idem indicat saepe totam speciem, cum omnibus rebus singularibus ad eam pertinentibus: Der Mensch ist sterblich; *Az ember halandó;* Homo est mortalis; dictum ad omnes homines extensum.

Est apud Germanos et alter articulus, qui ad differentiam *indeterminatus* dicitur. Eundem habemus et nos, sed illis multo parcius. Praebet hunc nomen numerale, ein, eine, ein; nobis *egy;* vnus, vna, vnum; sumtum pro his pronominibus, quidam, aliquis. Indicat rem de tota specie indeterminatam, quaecunque ea sit: ex. gr. Gib mir ein Buch, ein Messer; *Adj egy könyvet, egy kést;* Cedo librum aliquem, cultrum aliquem.

Huius vsus in lingua nostra iusto frequentior vitium est: et prodit quam maxime Translatores textui Germanico seruiliter inhaerentes. Eiusmodi est exemplum sequens: *Láttam egy vitézt, kinek az oldalán egy hoſzſzú kard vólt egy ezüst hüvelyben.* Germanismum redolet: Ich sah einen Kriegsmann, der an der Seite einen langen Degen hatte, in einer silbernen Scheide. Primum *egy* in Hungarico apte reddit *quendam;* sed duo alia superflua sunt. *Láttam egy vitézt, kinek oldalán hoſzſzú kard volt ezüst hüvelyben.* Vidi militem quendam, cuius lateri appensus erat longus gladius in vagina argentea.

Demonstratiua pronomina nostra, et articulum, de horum altero isti vsui destinatum, dicimus consonam *z* radicalem habere. Nam sonat ea apud Hebraeos, quibuscum haec pronomina et nobis communia sunt, ex primigenio vsu simplici ad nos forma aeque simplici deuoluta; nisi quod illi vocalem, vt in plerisque

aliis, post consonam exprimant. Est enim Hebraeis pronomen demonstratiuum זֶה et זוֹ (*ze* et *zo*), hic, ille, haec, illa; זוּ (*zu*) vero communis generis, hic et haec, ille et illa. Et Iahni quidem opinione fuerant haec olim in primordiis sola ז (*zain*) consona expressa, vocali tamen variata, זֶ, זוֹ, זֻ (*ze*, *zo*, *zu*,): temporum deinde successu, accedentibus afformationibus, ortae sunt horum formae auctae, זֶה (*ze*), hic, ille; זֹה et זֹאת (*zo* et *zoth*), haec, illa; demum adiectis etiam praeformationibus, articulo nempe הַ (*ha*), cui saepe et ל (*lamed*) iungitur, natae sunt formae his ampliores: הַזֶּה (*hazze*), etiam הַלָּזֶה (*hallâze*), et הַלָּז (*hallâz*), hic iste, hic ille, iunctim exprimenda, cum demonstrandi vi magis intensa, propter articulum הַ (*ha*), hic; הַזֹּאת (*hazoth*), haec ista, haec illa; הַלֵּזוּ (*hdllêzu*) communis generis, hic iste, hic ille, haec ista, haec illa.

Est idem pronomen apud Fennos etiam, et Esthones, simplici adhuc forma, et more Hebraeo vocali postposita, cum radicali consona sua sibilante, *se*, is, iste.

Arabes ז (*zain*) Hebraicum mutarunt in ד (*daleth*), sed quod punctulo notant, et cum sibilo edunt, *dsal*: ذا (*dsa*), hic, iste.

Auditur apud Aethiopes quoque primigenia lenis sibili consona radicalis; sed quibus vocalem, et Hebraeo more postponere, et nostro praemittere collibuit, *ze*, et *ez*.

Tanto iam clarius est, cur et nostri maiores eandem consonam *z*, in demonstratiuis his pronominibus nostris, *ez*, et *az*, eorumque compositis, *imez*, et *amaz*, diu retinuerint ante voces etiam a consona inchoantes: quod eam radicalem, in primigenia forma simplici acceptam, nuspiam putarint negligendam esse. Ante eas quidem voces, quae vocales habent in ini-

tio, et olim fuit semper, et hodie quoque est ea, tam in simplicibus, quam in compositis, constans, et immobilis.

Documenta suppeditant pro vsu vetusto, et Codices MSS. et complures libri alii typo expressi. In duobus Allocutionibus Funebribus, monumentis vetustissimis, et *ez*, et *az*, perpetuo integrum recurrit: *ez munkás világ*, hic laboriosus mundus; *ez vermet*, hanc scrobem; *ez lélekért*, pro hac anima; *az gyimöltsnek*, illi fructui; *az gyimöltsben*, in illo fructu; *az tilott gyimöltstöl*, de illo vetito fructu. Omitto reliqua huius generis exempla, quae aliunde adduci possent prope infinita. Illud tamen praeterire nequeo, haec nostra pronomina demonstratiua, etiam cum datiui formatiuo, et reliquis particulis, olim aeque integra vsurpata fuisse. Occurrunt talia cumprimis in Sacris Sermonibus MSS. de B. V. Maria: *eznek*, *aznak*, huic illi; *ezböl*, *azból*, ex hoc, ex illo; *ezben*, *azban*, in hoc, in illo; *ezröl*, *azról*, de hoc, de illo; *ezhez*, *azhoz*, ad hunc, ad illum; *ezkor*, *azkor*, hoc tempore, illo tempore, tunc; *ezféle*, *azféle*, huius generis, illius generis, etc. Deinde studio euphoniae magis inualescente, ad vitandum sonum sibilantem, coepit hoc *z* radicale transire in easdem consonas, quas praecederet. Atque inde est illa consonarum geminatio in istis, quae hodie sic vigent pro illis superioribus: *ennek*, *annak*; *ebböl*, *abból*; *ebben*, *abban*; *erröl*, *arról*; *ehhez*, *ahhoz*; *ekkor*, *akkor*; *efféle*, *afféle*, etc.

Sunt vero exempla frequentissima radicalis huius consonae *z*, in sequentem consonam mutatae, ante ipsa etiam nomina, et pronomina. Primum in Codice MS. Transl. Bibl. legitur *ennapot* (Esther XVI. 22, et alibi saepius), hunc diem; *annéphez* (Baruch I. 7. et alibi non raro), ad populum. Deinde in Precum Libro MS. *ahhárom vas ſzegek*, tres ferrei claui. Item in

Sermone MS. de Inferni Cruciatu: *ember abbünt kevés ideig tefzi*; homo peccatum breui tempore patrat: *ammegfzokott bün*; consuetudinarium peccatum. In Sermone alio de Inconstantia Mundi: *a' test fzóll allélök ellen*; corpus loquitur aduersus animam. Apud Komjáthium reperiuntur multo frequentiora: *akkisded*, paruulus; *annagyobb*, maior; *ammalafzt*, gratia; *ammellyet*, quod; *ammennyire*, in quantum; *ammí urunk*, *atte felebarátod*, *attí felebarátotok*; in quibus *ammí*, *atte*, *atti*, pro *az mí*, *az te*, *az tí*, sunt pronomina per pleonasmum geminata, cum praefixo articulo, ad possessorum praesentiam intensius indicandam, Latine adiectiuo reddenda: noster dominus-nostri, tuus proximus-tui, vester proximus-vestri (In Dedicat. deinde B. ij, C. ij, D. iiij, G. ij, vj et alibi quam saepissime). Et ista posteriora, *ammí*, *atte*, *attí*, crebro sic recurrunt in Precum quoque Libro MS. et Vita MS. Christianae Virg. ac Mart.

Patet ex his exemplis nostra ista demonstratiua, praepositiuumque articulum, vocibus, quibus praefixa essent, etiam cohaesisse, atque vna, tanquam vocem vnam, pronunciata fuisse, valde et hoc ex more Hebraeo. Nam et horum articulus ה (*ha*) sic iunctim praefigitur, et profertur: הַמֶּלֶךְ (*hammelek*), *azkirály*, *akkirály*, rex; הָאִישׁ (*háisch*), *azférfi*, *afférfi*, vir; הָאָרֶץ (*háäretz*), *azföld*, *afföld*, terra. Et idem articulus Hebraicus, hoc nempe ה (*ha*) demonstratiuum, vt vulgo solet vocari, cum sit aeque pronomen, forma simplici, ipsum scilicet הוּא (*hú*), is, ille, quod serius afformatione auctum est; vt hoc inter ceteros et Vaterus clare indicat (Part. II. Sect. II. Cap. IV. §. 305.): iam tanto minus in eo adhaerebimus, quod supra diximus, nostrum etiam articulum esse pronomen, et ipsum quidem demonstratiuum alterum obiecti remoti.

Arabes quoque sic prorsus, vt Hebraei, articulum suum אַל (*al*), quem ipsi notificationem vocant, nominibus praemissum cum iis iunctim scribunt, et pronunciant: ex. gr. אַלְרַגִל (*alragil*), vir, der Mann, *azférfi*, *afférfi*; אַלְרַאס (*alras*) caput, das Haupt, *azfö*, *afſö*,

Articulum cum nominibus iunctim efferunt et Valachi, sed ipsis postpositum: *tate-l*, *leu-l*, *dinte-le*, *om-ul*, *lup-ul*, hic pater, hic leo, hic dens, hic homo, hic lupus; quae nuda, sine articulo, sic sunt, *tate*, *leu*, *dinte*, *om*, *lup*.

Videntur mihi quaedam etiam Esthonum nomina in nominatiuo singulari, ad emphasim demonstratiuam, pronomine *enne* sibi postposito aucta esse; quo priuantur in casibus reliquis, horum formatiuis in eius locum substitutis. Tale est *innimenne*, homo, vt ego reor, homo-ille; *lehhekenne*, foliolum, certe foliolum-illud. Et ipsa omnino diminutiua hanc mihi coniecturam adferunt. Monent enim Grammatici, horum formatiuum *kenne* saepissime contractum vsurpari, *ke*: ex. gr. *lehheke* pro *lehhekenne*. Diminutiuorum verum formatiuum esse nomen *ke*, cum notione parui, exigui, de quo est adiectiuum *ke-v-es*, paucus, lingua quidem nostra clare docet. Idem nobis cum Esthonibus commune est; sed quod illi etiam demonstratiuo auxerunt, *kenne*, paruus-ille. Haec compositio vsu propagata est ad posteros; sed ipsa compositionis distincta ratio fugitiua obliuione ademta. Ignoratur affixum *enne*, quid proprie valeat; quemadmodum et nostris quam plurimis obscurum est nostrum *ik*, aeque pronomen, in numeris ordinalibus, *harmad-ik*, *negyed-ik*; in comparatiuis, *ſzebb-ik*, *jobb-ik*; in ipsis etiam verbis, *jelen-ik*, *rohan-ik*; quae vulgo nude redduntur, tertius, quartus, pulchrior, melior, apparet, corruit; cum tamen auctiora sint, hocque ipso emphatica, et

genuine sic efferenda, tertius-ille, quartus-ille, pulchrior-ille, melior-ille, apparet-ille, corruit-ille. Grammatici linguae Esthonicae si animum ad haec aduerterint; facilius expedient, vt ego puto, huiusmodi nominum anomaliam. Patebit ratio, cur *hone*, domus, nobis *hon*, eadem significatione, et alia his similia, non amittant in reliquis casibus *n* consonam; quam, non foris allatam, ab adiecto nempe pronomine demonstratiuo, sed radicalem habent.

Manifestum est in lingua etiam Germanica pronomen, certe articuli valore continenter affixum, et concretum, nominibus quam maxime adiectiuis, ad genera demonstranda: schön-er, schön-e, schön-es, pulcher, pulchra, pulchrum; etiam verborum radicibus primis ad formanda substantiua: Richt-er, iudex; Schreib-er, scriptor.

Sed iam ad nostra redeamus. In illa ratione euphonica, demonstratiui, et articuli *z* consonam in sequentis vocis consonam mutandi, licet sensim irrepserit, pronunciandi segnitie, neglectus mutatae prioris consonae; vocales tamen praefixi demonstratiui, et articuli, cum nominibus, ac pronominibus, iunctim cohaeserunt; defectum vero consonae suppleuit ipsarum vocalium, per morulam suspensa, et obtuse producta enunciatio. Et cohaesionem quidem sic quoque in vsu fuisse probant exempla in Precum Libro MS. *etömlötz*, hic carcer; *asegedelem*, adiutorium; *akereſztfán*, in cruce. Non pauca leguntur talia in ipso etiam Codice MS. Transl. Bibl. Sed eiusdem Codicis Scriptor hanc tamen diligentiam frequentius adhibuit; vt consonae prioris defectum interserto punctulo notaret, satis claro et eius rei indicio; vt saltem vocalium prolatio, suspensione facta, radicalis consonae, vel mutatae, absentiam compensaret: *a˙ gyortya tartó*, candelabrum; *a˙ magyarázat*, interpretatio; *e˙ kéz*, haec manus, e˙

beszéd, hic sermo (Dan. V. 5, 12, 24, 25.). Serius deinde, qui mos hodie cumprimis iam constans est, in huius punctuli locum substitutum est signum apostrophi ('): *a' gyortya tartó*, *a' magyarázat*, *e' kéz*, *e' beszéd.*

Ante nomina, et pronomina, a consonis inchoantia, hodie haec viget regula: vt pronomina demonstratiua, articulusque praepositiuus, neglecto *z* radicali, cum apostropho, huius defectus signo, notata adhibeantur. At vbi his ipsis, tanquam nominibus, adfixae accedunt postpositiones, aliaeque particulae, quae continenter adhaerere amant: in plerisque durat hodieque ratio, medii temporis consuetudine firmata, eorum consonam *z* in adhaerentis particulae consonam mutandi. Horum exempla quaedam iam supra adduxi, quibus hic et ista adiungo: *erre*, *arra*, supra hunc, supra illum; *ettől*, *attól*, ab hoc, ab illo; *evvel*, *avval*, cum hoc, cum illo. Sed hoc postremum, quia et *v* consona mutationibus iam longo vsu obnoxia est, recte sic etiam effertur, *ezzel*, *azzal*, manente *z* radicali, et *v* litera huic sese accommodante. Aliqua tamen horum, vsu praeualente, apostrophum habent potius: *e' hez*, *a' hoz*, ad hunc, ad illum; *a' hol*, vbi; *a' mi*, quod, *a' mint*, sicut, quemadmodum.

Scriptores quidam, potissimum Transiluani, quod ante nomina apostrophi vsus iam inualuerit, vt vbique aequabilem tenerent scribendi rationem, eo in his, similibusque, malunt vti: *e'nek*, *a'nak*; *e'böl*, *a'ból*; *e'ben*, *a'ban*; *e'röl*, *a'ról*; *e'kor*, *a'kor*; *e'féle*, *a'féle*; *e're*, *a'ra*; *e'töl*, *a'tól*; *e'vel*, *a'val*. Apostrophi vsu, tam ante nomina, quam ante affixas particulas in his posterioribus, compendium aliquod est fortasse in scribendo; sed idem in pronunciando perperam inducitur. Nam ista, vtut ita scribere placeat, *e'nek*, *a'nak*, *e'böl*, *a'ból*, *e'ben*, *a'ban*, etc. fortius tamen, geminatae con-

sonae sono, pronuncianda sunt: *ennek*, *annak*, *ebből*, *abból*, *ebben*, *abban*, etc. Non absimili modo, ex vsu veterum, etiam ante nomina, licet sic scripta, *a' gyortya tartó*, *a' magyarázat*, *e' kéz*, *e' beszéd*, neglectae radicalis consonae vis, in exstante nominis consona, sonantiore expressione exerenda est: *agygyortya tártó*, *ammagyarázat*, *ekkéz*, *ebbeszéd*.

Quod cum ego iam dudum persuasissimum habuissem: ea est ratio, cur demonstratiua nostra, articulumque praepositiuum, *e'*, *a'*, *ime'*, *ama'*, apostropho notata, in versibus meis, ad morem Graecum et Latinum exactis, constanter pro longis adhibuerim; non accentu acuto, sed positione longis; quod cuiuis vltro patet ex iis, quae sunt hactenus explanata.

Media fere aetate, non pauci Scriptores nostri, inter quos praecipuus est Telegdius, haec demonstratiua, articulumque praepositiuum, *z* radicali priuata, accentu graui, *è*, et *à*, signare consueuerunt. De quo vsu est notula in Grammatica Molnariana (Libr. I. de Etymol. Cap. III.): „in articulis *à*, *è*, accentus gra„uis, vel circumflexus *â*, *ê*, nota est elisae consonae „*z*; vt *à*, *è*, pro *az*, *ez*, ille, is, iste, hic." Hoc signo isti quoque moram longiorem, ad compensandam omissam consonam radicalem, his vocalibus dandam esse satis indicarunt, diuersam ab acuta, grauem, seu obtusam, productam tamen; qualis auditur in voce *kéd*, ex *kegyed* contracta, diuersa ab acuto *é*, ex. gr. in voce *két*, dubium. Confirmatur ergo et isto vsu, haec demonstratiua, articulumque praepositiuum, etiam *z* radicali neglecto, pro longis sumi oportere.

In Commentario meo in duas Allocutiones Funebres, sub voce *ozchuz*, quam ita lego *azhoz*, haec eadem exposui, iisdem exemplis illustrata, et partem maximam verbis etiam iisdem. Apte vero stant ista et hic, proprio vtpote loco; et opportuna, vtilisque est

,, que in ea ullum illicitum desiderium, cui mens ,, obedire non debeat, commoveret. Quod autem ,, non ait, captivantem carnem meam, sed capti- ,, vantem me, hinc factum est, ut sensus hic alius ,, quaereretur, et acciperemus captivantem, velut ,, dixisset, captivare conantem. Sed cur non dice- ,, ret, captivantem me, ubi vellet intelligi carnem ,, suam? An non dictum est de Jesu, cum in mo- ,, numento non fuisset caro eius inventa, *Tulerunt* ,, *Dominum meum, et nescio, ubi posuerunt eum?* ,, Joan. 20. v. 13. Num ideo non recte dictum est, ,, quia non dictum est, carnem, vel corpus Domini ,, mei, sed Dominum meum? Quamquam paulo su- ,, perius (huius capitis versu 18.) et ipse Aposto- ,, lus, quomodo recte potuerit de carne sua dicere, ,, *captivantem me*, satis evidenter aperuit. Cum enim ,, dixisset: *Scio enim, quia non habitat in me*, id ,, ipsum exponens adiunxit, et ait, *hoc est, in car-* ,, *ne mea bonum.* Haec ergo captivatur sub lege ,, peccati, in qua non habitat bonum, hoc est, ca- ,, ro. Carnem autem nunc appellavit, ubi est morbi- ,, dus quidam carnis affectus, non ipsam corporis ,, conformationem, cuius membra non adhibenda sunt ,, arma peccato, id est, eidem ipsi concupiscentiae, ,, quae hoc carnale nostrum captivum tenet. Nam ,, quantum attinet ad ipsam corporalem substantiam, ,, atque naturam, in viris fidelibus, sive coniugatis, si- ,, ve continentibus, iam templum Dei est. Attamen, ,, si omnino nihil carnis nostrae captivum teneretur, ,, non quidem sub diabolo, quia et ibi facta est pec-

„cati remissio, ut peccatum non imputetur, quod „proprie lex peccati vocatur; tamen sub ipsa lege „peccati, hoc est, sub concupiscentia sua, nisi „aliquantulum teneretur caro nostra captiva, quo-„modo esset verum, quod ait idem Apostolus, „*Adoptionem exspectantes, redemptionem corpo-„ris nostri?* Rom. 8. v. 23. In tantum igitur ad-„huc exspectatur redemptio corporis nostri; in quan-„tum adhuc ex aliqua parte captivum est sub lege „peccati. Unde et hic exclamans, ait, *Infelix ego „homo, quis me liberabit de corpore mortis hu-„ius? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum „nostrum.* Ubi quid intellecturi sumus, nisi quia „corpus, quod corrumpitur, aggravat animam? „Cum ergo idipsum corpus iam incorruptibile re-„cipietur; plena erit liberatio a corpore mortis hu-„ius, a quo non liberantur, qui sunt ad poenam „resurrecturi. Ad corpus ergo mortis huius intel-„ligitur pertinere, ut alia lex in membris repu-„gnet quidem legi mentis, dum caro concupiscit „adversus spiritum, etsi mentem non subiuget, quia „et Spiritus concupiscit adversus carnem, Gal. 5. „v. 17. atque ita, quamvis lex ipsa peccati capti-„vum teneat aliquid carnis, unde resistat legi men-„tis, non tamen regnat in nostro licet mortali cor-„pore, Rom. 6. v. 12. si non obeditur deside-„riis eius.“

24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Corpus mortis substantivo altero posito in locum nominis adiectivi, corpus in-

telligitur mortale, quod corrumpitur, quod mortifera laborat concupiscentia, nisi ei resistatur. „Cor-„pus mortis, ait S. Chrysostomus homil. 13. est „mortale corpus, a morte occupatum.“ 25. *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Respondet ipse sibi eo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Est vero hic inter textum Vulgatae, et Graecum varietas lectionis. Nam quod Latine est: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum,* in Graeco est: Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, *Gratias ago Deo per Jesum Christum Dominum nostrum:* cum Graecoque conveniunt versiones omnes Orientales. Nec re, sed verbis tantum discrepat versio nostra Latina a Graeco. Nam quod in Graeco per modum gratiarum actionis erga Deum expressum est; haec in Latino simpliciter vocatur gratia Dei. Nam huic debetur gratiarum actio, quod gratuitum est. *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* „Quod sic intelligendum est, ait S. Augustinus lib. „1. de Nupt. et Concupisc. cap. 31. Mente servio „legi Dei, non consentiendo legi peccati; carne „autem servio legi peccati, habendo desideria pec-„cati, quibus etsi non consentio, nondum tamen „penitus careo.“

CAPVT VIII.

Nihil esse damnationis iis, qui sunt in Christo, qui damnato per eumdem Christum peccato Dei Spiritu aguntur, et sunt filii Dei in spe futurae gloriae, quamvis corpore nunc adhuc ingemiscerent, quibusque iisdem, quos Deus elegit, et praedestinavit, omnia cooperentur in bonum, quosque nulla adversitas a Dei charitate separatura sit.

1. NIHIL *ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.* Est illatio ex eo, quod superiore capite tractavit: quamvis videret legem aliam in membris suis, captivantem eum in lege peccati, carneque serviret legi peccati, tamen se condelectari legi Dei secundum interiorem hominem, atque mente ei servire. Itaque iis (a se videlicet ad omnes conclusionem extendit) iam nunc in Christo nihil esse damnationis, si non secundum carnem ambularent, hoc est, si illius desideria non perficerent. Gal. 5. v. 16. Nam cum in baptismo anteriorum suorum peccatorum remissionem perceperint; illud autem, quod in carne sua sentirent concupiscentiae malum, non ipsi operarentur, serviendo mente legi Dei, tametsi carne adhuc servirent legi peccati; nihil in ipsis esse, quod damnatione iam dignum esset, utpote in quibus haec concupiscentia, cui non consentirent, iam vere, et proprie peccatum non esset.

2. *Lex enim Spiritus vitae in Christo Jesu liberavit me a lege peccati, et mortis.* Lex spiritus vitae, Graece: Ὁ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς, spiritus est in secundo inflexionis casu. Rursus vero ad declarandum, quisnam iste Spiritus esset, ad nomen *Spiritus*, additum est, *gratiae.* Ergo intelligitur lex, qua infunderetur Spiritus gratiae: atque adeo ipsa gratia, atque donum intelligitur Spiritus sancti, quo liberaremur a lege peccati, et mortis, hoc est, a concupiscentia, ne videlicet ab ea vincamur. „Legem Spiritus, ait S. Chrysostomus homil. 13. „hic Spiritum vocat. Sicut enim legem peccati pecca- „tum, sic legem Spiritus spiritum dicit. Cum enim „dicit: *Liberavit te a lege peccati, et mortis,* non „Moysis legem hic dicit. Nusquam enim illam le- „gem peccati vocat. Quomodo enim, quam saepe „iustam, et sanctam vocavit, et peccatum destruen- „tem, ita nunc appellaret? sed illam, quae pugnat „contra legem mentis. Hoc enim grave solvit bel- „lum peccatum interficiens, Spiritus gratia, et cer- „tamen nobis leve reddens.“ Quemadmodum ergo concupiscentia lex carnis, atque peccati vocatur, non quasi proprie lex esset; sed tantum quod imperium conaretur exercere in ipsam etiam mentem; atque eum, quem suo impulsu devicisset, suae subditum servituti teneret, „A quo enim quis superatus est, „huius et servus est“ 2. Petr. 2. v. 19. ita ipse Spiritus sanctus, eiusque donum, quo concupiscentiam vincimus, lex Spiritus gratiae vocatur. Nam proculdubio haec lex Spiritus gratiae eadem illa lex

est, de qua Jeremias est vaticinatus cap. 31. v. 33. siquidem aperte de promissione erga novum foedus loquatur: „Dabo legem meam in visceribus eorum, „et in corde eorum scribam eam." Hanc vero legem Apostolus ipsum Spiritum sanctum esse dicit, qui nobis est datus. „Charitas Dei diffusa est, in-„quit, in cordibus nostris per Spiritum sanctum, „qui datus est nobis." Rom. 5. v. 5. Neque enim alia est Dei lex, quam Dei charitas, quia plenitudo legis dilectio est. Rom. 13. v. 10.

3. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne,* 4. *ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Nam quod impossibile erat legi:* neque enim vires aliquas praebebat lex, utpote infirmum, et egenum elementum, Gal. 4. v. 9. *in quo infirmabatur per carnem:* „Lex enim iubebat, ait S. Augustinus Serm. 155. „et non implebat, quia caro, ubi non erat gratia, „invictissime resistebat. Et lex infirmabatur per car-„nem, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis „sum. Rom. 7. v. 14. Quomodo ergo lex mihi „opitularetur, iubens per literam, et non dans gra-„tiam? Infirmabatur per carnem. Quid fecit Deus, „cum hoc impossibile esset legis, et infirmaretur „per carnem? *Deus Filium suum misit.* Per quid „infirmabatur lex, et propter quid erat hoc impos-„sibile legis? Infirmabatur per carnem. Quid ergo

„Deus? Contra carnem misit carnem: imo etiam „pro carne misit carnem. Peccatum enim carnis „occidit, carnis substantiam liberavit. *Misit Deus „Filium suum in similitudinem carnis peccati.* In „carne quidem vera, sed non in carne peccati. Quid „autem in similitudinem carnis peccati? Id est, ut „esset caro, vera caro. Et unde similitudo carnis „peccati? Quia de peccato mors. Mors est utique „in omni carne peccati, de qua dicit Apostolus: „Ut evacuaretur corpus peccati Rom. 6. v. 6. Quia „ergo mors est in omni carne peccati, sed utrum„que ibi est, mors, et peccatum in carne cetera; „in carne peccati et mors est, et peccatum, in si„militudine carnis peccati mors erat, et peccatum „non erat. Si enim caro peccati esset, et merito „peccati poenam mortis lueret, non diceret ipse „Dominus: Ecce venit princeps mundi, et in me „nihil inveniet." Joan. 14. v. 30. *Et de peccato damnavit peccatum in carne.* „Ac si diceret, ait „S. Chrysostomus homil. 13. convicit ipsum, quod „admodum peccasset, et tunc illud condemnavit." Peccatum de peccato damnavit. Quod peccatum de quo peccato damnavit? Praecessit superioris capitis versu 13. „Peccatum, ut appareat peccatum, per „bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra „modum peccans peccatum per mandatum:" et de quo deinde peccato peccante per mandatum semper inde ad hunc usque locum ab Apostolo actum est. Peccatum vero supra modum peccans intelligitur concupiscentia, quemadmodum iam demonstra-

tum est, utpote, quae infinitam peccandi libidinem habeat. Quemadmodum ergo Christus mortem nostram moriendo destruxit, ut Ecclesia canit in Praefatione Paschali; ita etiam carnem nostram peccatricem in carne sua peremit, qui sicut vitam nobis sua morte, ita etiam passione sua adversus passiones concupiscentiae gratiam meruerit. ,, Damnavit ,, peccatum, ait S. Thomas in Commentario, in ,, carne, id est, debilitavit fomitem peccati in car- ,, ne nostra,“ Quasi autem adversus peccatum, et concupiscentiam iudicium quoddam celebrasset, sic istud proponitur. Quia etiam de morte sic est: ,, Ab- ,, sorpta est mors in victoria: ubi est mors victoria tua? ,, ubi est mors stimulus tuus?“ 1. Cor. 15. v. 54. et de potestatibus, et principatibus est, quod hos Christus traduxerit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Colos. 2. v. 15. Quemadmodum ergo ad potestate exuendum diabolum, mortemque debellandam Christus venit; ita etiam ad condemnandam concupiscentiam de peccato, quo induxit genus humanum, tamquam quae instrumentum esset mortis, atque diaboli. Nam et de principe mundi, qui servitute peccati oppressum teneret genus humanum, est Joannis 12. v. 31. ,, Nunc iudicium est mundi: nunc ,, princeps huius mundi eiicietur foras.“ Daemon inducendo primum hominem ad peccatum, suae servituti totum subiecit genus humanum. ,, A quo ,, enim quis superatus est, huius et servus est.“ 2. Petr. 2. v. 19. Per iniquitatem autem hoc diaboli factum est, qui hominem a Deo, cuius est crea-

tura, fraudulenter, atque maligne abstraxerit, in suamque servitutem redegerit. Dum ergo Christus, quem Deus misit, miseratus genus humanum, in cruce morte sua destruxisset mortem, atque ex iniusto dominatu eiecisset diabolum, pro nobis satisfactionem Deo exhibendo; una etiam in concupiscentiam, quae diaboli fuit satelles, et ministra, iudicium hoc exercitum est. Igitur istud quoque: *In carne*, ubi peccatum Christus damnavit de peccato, de Christi carne intelligendum est. In sua enim carne, cum pateretur, atque moreretur, et iudicium, et condemnatio, et victoria illa de morte, et de diabolo, et de peccato perpetrata est. Atque huc omnino pertinere istud, quomodo demonstratum est de damnatione peccati de peccato, illud deinde confirmat, quod hoc dicatur esse factum, *Ut iustificatio legis impleretur in nobis:* siquidem peccatum operatum sit omnem concupiscentiam, quemadmodum superioris capitis versu 8. antecessit.

5. *Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt, sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt, quae sunt Spiritus, sentiunt.* 6. *Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem Spiritus, vita, et pax.* Declaratur illud, quod proxime antecessit, iustificationem legis in illis implendam, qui non secundum carnem ambularent, sed secundum Spiritum. Loquitur vero de his, qui sunt in Christo Jesu. Cum ergo de his primo versu huius capitis dixisset, nihil ipsis damnationis esse, eamdem conditionem si non secundum carnem ambula-

rent, quam ibi apposuit, hic rursus repetit, ne quis putaret, damnationem sibi iam non metuendam esse, tantummodo Christo insertus esset per fidem, cuiuscumque deinde modi esset reliqua ipsius vivendi ratio, qualem apud se vanam fiduciam induxerunt ii, qui Augustanam, et Helveticam Confessionem sectantur. Docet ergo Apostolus his, qui in Christo Jesu sunt, non secundum carnem, sed secundum Spiritum esse ambulandum. Quisnam autem iste spiritus, Deine, an ipsorum spiritus intelligitur? Dei iste est Spiritus. Sic enim antecessit versu 2. „Lex enim Spiritus vitae in Christo „Jesu liberavit me a lege peccati, et mortis.“ Lex autem Spiritus vitae ipse Spiritus sanctus intelligitur, infusus nobis per eius gratiae donum. Et infra deinde etiam huius capitis versu 14. est: „Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii „Dei.“ Atque huius, quod in istis, qui non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambularent, iustificatio legis impleatur; haec deinde ratio est, quod hi, qui secundum carnem sunt, ea, quae carnis sunt, saperent, ii vero, qui secundum spiritum sunt, ea, quae Spiritus sunt, sentirent. Sapere autem ea, quae carnis sunt, et prudentiam carnis esse mortem; sentire autem ea, quae sunt Spiritus, et prudentiam Spiritus, esse vitam, et pacem: qui scilicet utriusque prudentiae exitus atque eventus futurus sit. Sic enim infra versu 13. est: „Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem „Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.“

7. *Quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Legi enim Dei non est subiecta. Nec enim potest.* Cur sapientia carnis inimica sit Deo, rationem hanc ponit, quod eius legi non sit subiecta, sed neque subiici possit. Quid autem est, quod haec dicatur Dei legi non tantum non subiecta, sed ne quidem subiici posse? An sapientia carnis non eadem est, quae humana ratio? Nam illud, quod in carne mea sapit, profecto non caro, sed ratio est. Neque enim in carnem vel cadit aliqua cogitatio. Naturalem autem rationem Deus nobis indidit. Quomodo ergo secundum eam sapere, contrarium esset Deo? quomodo qui humanae rationis ductum sequor, adversarer Divinae legi? Hocce ergo lumen naturale mentis, istud donum Dei, quod Deus homini praestantissimum contulit, mihi abiiciendum, atque abnegandum est, ut esse possim subiectus Deo? Sic quidem fortasse cuipiam res haec primo intuitu videri posset. Quod cum utique falsissimum sit, neque enim Deus mentem mihi ideo dedit, ut non uterer; solent quidam, qui non intelligunt, in ipsam Theologiam, et Religionis doctrinam irrumpere, quasi in huius studio rationi nullus locus relinqueretur, seque ipsos, qui in alio aliquo potius studio versantur, ubi mente omnia trutinentur, feliciores reputare. Ego autem nullum genus scientiae contemno, sed potius omnes laudo atque probo: et ad communem utilitatem perinde interest, ut artes omnes ingenuae, atque scientiae excolantur, atque in opificiis inconsulte ageretur, si uno aliquo delecto, quod

videretur esse utilius, reliqua deinde omnia neglectui in aliqua civitate traderentur: etiamsi illa, alia nulla excellentior esse possit disciplina. In qua Deus per seipsum me instruit, doctoremque se mihi praebet, deque ipso Deo cognitionem assequor, quam sola via rationis assequi non possem; aut in eo, quod fortasse etiam ratione consequerer, ipse me ducit etiam per revelationem, ne errem: et quae cognitio non in mundi crepundiis, sed in aeternae salutis negotio se se occupat. ,, In hoc glorietur, qui ,, gloriatur, scire, et nosse me." Jerem. 9. v. 24. Tantum vero magis abest, ut humanam rationem putem esse criminandam: sine qua, qui se hominem diceret, nec homo esset. Sed advertendum est, quid dicat Apostolus: Non enim dicit, non esse sapiendum, sed non esse sapiendum secundum carnem: nec sapientiam dicit, sed sapientiam carnis inimicam Deo, eiusque legi non posse esse subiectam. Videndum est, quid sit sapere secundum carnem, et quamnam legem Deus in ipsa creatione homini indiderit sapiendi. Nam si homo non ita sapit, ut illi sapiendi legem Deus dedit; planum est, si aliter sapit, sua sapientia Divinae legi non esse subiectum, atque adeo adversarium esse Dei. Quid ergo est, sapere secundum carnem, et quaenam haec caro est, secundum quam sapiendum non est? Dicit superioris capitis versu 23. Apostolus: ,, Video ,, autem aliam legem in membris meis, repugnan- ,, tem legi mentis meae, et captivantem me in lege ,, peccati; quae est in membris meis." Haec est

ergo illa caro, cuius legem in membris meis, contrariam legi mentis meae, captivantemque me in lege peccati, non mihi licet sequi, neque ita sapere ut illa svadet. Per carnem ergo intelligitur concupiscentia carnis. Haec vero cum et ex peccato profluxerit, et ad peccatum me incitet, atque instiget, quomodo, dum hanc sequerer, legi Dei esse possem subiectus, quandoquidem ad peccatum me inducat, cuius commissione Divinae legis fit violatio? Neque enim peccatum convenire potest cum lege, aut non esse contrarium Deo. Hoc est ergo, quod etiam Ecclesiasticus cavit, atque monuit: „Post concupiscentias tuas, inquit, non eas, „et a voluntate tua avertere." Eccli. cap. 18. v. 30. Non ergo ille appetitus naturalis carnis intelligendus est, qui est, verbi gratia, ededendi, bibendi, dormiendi, quantum ad requsita naturae pertinet; sed illas eius cupiditates oportet intelligere, quae ad licentiam peccandi incitant. Tanto minus ergo ratio humana in vitio ponitur, quando nec ipsa caro quidem, ut creata est a Deo, reprehendi potest, siquidem ipsa quoque sit opus Dei. Neque vero id, quod a Deo est, possit esse non bonum. Seipsum autem Deus homini dedit, veluti ultimum finem, et in quo omne suum habere bonum. Huc ergo omnia sua referenda habet, tamquam creatura ad creatorem, servus ad dominum, filius ad patrem, atque huc, ubi suum finem habet, ipsa ratio ipsum obstringit, ut omnia sua referat: ut non tantum contra Deum, sed adversus suam etiam ra-

tionem agat; dum ab ultimo suo fine, ad quem conditus est, et a Deo aversus, vel in voluptate aliqua carnis per concupiscentiam, vel alia quapiam temporali felicitate, illius dulcedine inescatus, suum sibi bonum constituit. Nam cum homini in Deo sit ultimus finis; tantum quaerendo aliud bonum unusquisque peccat, qui alio se vertit, quantum ab illo fine recedit.

8. *Qui autem in carne sunt, Deo place non possunt.* „Id est, ait S. Augustinus Sem. 155. qui „in carne confidunt, qui concupiscentias suas se„quuntur, qui in his habitant, qui earum volupta„tibus oblectantur, qui in earum delectationibus bea„tam, felicemque vitam constituunt, ipsi sunt in „carne: Deo placere non possunt, non in hoc se„culo vivendo, sed carnis concupiscentiis consen„tiendo.“ Dicit Apostolus 2. ad Corinthios 10. v. 3. „In carne enim ambulantes, non secundum „carnem militamus.“ 9. *Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* „Non estis in carne, ait S. Augu„stinus in eodem modo citato sermone, quia non „facitis opera carnis, consentiendo concupiscentiis „carnis, sed estis in Spiritu, quia secundum in„teriorem hominem condelectamini legi Dei: et „hoc est, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.“ *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Ipsius Christi non est. „Sicut non „est membrum corporis, ait S. Thomas in Com„mentario, quod per spiritum corporis non vivi„ficatur; ita non est membrum Christi, qui Spi-

„ritum Christi non habet. In hoc scimus, quoniam „manet in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit no„bis.“ 1. Joan. 4. v. 13.

10. *Si autem Christus in vobis est; corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus vero vivit propter iustificationem.* Per peccatum primi hominis in mortem incidimus omnes, dicente Apostolo: „Si unus pro omnibus mortuus est, „ergo omnes mortui sunt.“ 2. Cor. 5. v. 14. Per Christum vero revocamur ad vitam. Quae nobis vita iam contigit quoad animam in baptismo. At vero corpus manet adhuc mortale, et morti obnoxium, quodque non nisi in resurrectione etiam vita donabitur. Mortuum ergo corpus eadem ratione dicitur, qua dictum est Adamo, et Evae, futurum, ut eadem die, qua fructum vetitum comederent, morerentur. Genes. 2. v. 17. Quoad corpus enim ea die mortales tantum, et morti obnoxii sunt effecti. Itaque Apostolus quoque, quod modo isto versu mortuum corpus dixit; hoc deinde subsequente versu mortale vocavit. „Corpus ergo mortuum est, „ait S. Augustinus lib. 6. Oper. Imperf. contra „Julian. num. 7. propter peccatum: quoniam ne„cessitatem mortis etiam in viventibus habet. Quod „autem peccatum, nisi primi hominis? Quando„quidem per iustitiam secundi hominis, id est, „Christi, eidem corpori, quod nunc mortuum di„citur, vivificatio beata ventura est.“

11. *Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit*

Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. Num ergo ii, in quibus Spiritus Christi non habitavit, non resurgent? Imo, sed non ad illam vitam, quae est per Christum. Quemadmodum enim etiam secundum animam dicebamur mortui, antequam in baptismo revocati ad vitam per Christum essemus, quamvis anima sine illa vita, quam si non haberet, ne quidem existeret, non fuerit; ita similiter illa damnatorum vita, quae tristior, atque miserior est omni morte, mors dicitur propterea, et sic vocari consvevit in Scriptura, quod is, qui sic victurus est, cur vivere vellet, et non mori magis exoptaret, nihil habiturus sit.

12. *Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* Ex eo, quod antecessit, versu 2. istud infert, et concludit: „Lex „enim Spiritus vitae in Christo Jesu liberavit me „a lege peccati, et mortis." Nam cum lex peccati, et mortis sit concupiscentia; ex eo, quod liberatus sim ex servitute illius; consequens est, ut nullo iam etiam serviendi, et obsequendi officio tenear erga illam.

13. *Si enim secundum carnem, vixeritis, moriemini: si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Qui Spiritum iam acceperunt, per hunc iam vitam etiam secundum animam adepti sunt. Monet igitur hanc etiam vitam rursus amissuros, quam iam consecuti sunt: e contrario autem, victuros, si Spiritu facta carnis mortificarent, pressius secundum Graecum, si occiderent. (θανατοῦτε)

τοῦτε) Antecessit vero in duobus versiculis superioris capitis: „Infelix ego homo, quis me liberabit „de corpore mortis huius" quo declarabat Apostolus, desiderare quidem se exsolvi concupiscentiae vinculis etiam secundum corpus, quod tamen non obtinuit, cui roganti Dominum, ut a stimulo carnis suae liberaretur, responsum est: „Sufficit „tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perfi„citur" 2. Cor. 12. v. 9. et rursus: „Igitur ego „ipse mente servio legi Dei, carne autem legi „peccati." Quamvis ergo in carne opera carnis, Graece, *actiones carnis* (τὰς πράξεις τοῦ σώματος) perferre deberet invitus; quia tamen, nisi voluntatis consensus ad eas accederet, peccatum inde non gigneretur; siquidem concupiscentia cum concipit, parit peccatum; Jac. 1. v. 15. dum mente legi Dei serviebat, actiones carnis perimebat. Ex quo intelligitur, quid sit mortificare facta carnis.

14. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Spiritus servitutis in timore fuit spiritus veteris testamenti: siquidem illis, qui sub illo testamento erant, lex tamquam servis fuit data cum comminationibus ubique poenarum, si legem transgrederentur, quoque metu lex ipsos posset percellere, nullas autem vires voluntati tribuere ad exsequendum id ex amore erga Deum, quod praeciperetur. Qui vero Spiritus est adoptionis filiorum ad

legem Spiritus vitae, et gratiae pertinens, ut non ex servili metu, quo lex non impleretur; verum ex amore erga Deum, velut filii Patri suo, ii, qui adoptionis Spiritum accepissent, Deo obsequerentur. Spiritus iste servitutis, et adoptionis, hic in novo, ille in veteri Testamento ubique se prodit. Ubique enim et Moyses, et Prophetae his verbis utuntur, dum ad populum Dei mandata perferrent: Haec dicit, haec praecipit Dominus. At in Evangelio, et in ipsa oratione Dominica, Deus nobis exhiberi solet appellatione Patris. *Abba* est vocabulum Hebraicum, aut potius Syriacum, in quam dialectum aetate Apostolorum iam vulgaris Hebraea lingva deflexerat. Pater est Graecum origine, usu autem, et consvetudine factum etiam Latinum. Scripsit autem Graece Romanis S. Paulus. In quo etiam Graeco sic geminatum istud vocabulum existit. S. Thomas in Commentario post S. Augustinum in libro de Spir. et Lit. cap. 32. censet ideo Syra, quae tum Hebraeorum esset lingva, et Graeca Apostolum Patris nomen posuisse, ut doceret gratiam adoptionis, qua filii Dei nominamur, et sumus, tam Judaeis, quam Graecis, id est, gentilibus esse a Deo exhibitam. Testatur S. Chrysostomus homil. 14. morem fuisse, ut qui baptizarentur, ante omne aliud orationem Dominicam pronunciarent, ubi Deum Patris nomine inciperent compellare. „Hoc autem, „inquit, quantum sit, sciunt initiati, quod in my-„stica precatione haec primo dicere iubeantur. —— „Hanc primam emittimus vocem post mirabiles il-

„los natales, post novam, et stupendam incunabulorum legem." Hoc ergo est, quod hocce adoptionis Spiritu accepto, dicat nos Apostolus clamare Abba, Pater, qui hac compellatione testemur nos esse factos Dei filios.

16. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* „Non enim a „voce solum confirmor, inquit, S. Chrysostomus pergit loqui, sed et a causa, a qua haec vox nascitur. Spiritu enim dictante haec dicimus. Quod alibi clarius dicebat: *Misit Deus Spiritum Filii sui „in corda nostra clamantem Abba, Pater.* Gal. 4. „v. 6. Quid sibi vult illud: Spiritus una cum „spiritu testatur? Paracletus, inquit, cum dono nobis dato. Non enim doni tantum vox est, sed „etiam Paracleti, qui donum dedit. Ipse enim per „gratiam nos ita loqui docuit." Dei ergo Spiritus, habitans in nobis per gratiam, et excitans illum in nobis affectum erga Deum, tamquam filiorum erga Patrem, nobis in nostra conscientia testimonium praebet, esse nos filios Dei. Hoc autem testimonio utuntur homines Augustanae, et Helveticae Confessionis, ad dogma suum fulciendum, quo profitentur, fidelem unumquemque sibi debere habere persvasum certa, atque induditata fide esse se iustificatum, dum fiduciam erga Christum concipit, et in illum credit, siquidem Spiritus sanctus spiritui nostro testimonium perhibeat, esse nos filios Dei. Neque enim isti testimonio fas esse nobis refragari, in quo Divina veracitas sit. Sed si certum ipsis

fit per Spiritus sancti testificationem, se esse filios Dei, cur adhuc ad ministros suos pergunt, suamque illis fiduciam exhibent, ut deinde hac exhibita ab illis declarationem obtineant, sibi remissa esse peccata? Non est hoc contra reverentiam Spiritus sancti, ut cum ab illo iam testimonium intus in suo spiritu, atque animo habeant; tamen, ut hoc sibi adhuc a ministro declaretur, istaque declaratione securi reddantur, a Spiritus sancti testificatione ad ministri declarationem recurrant? Reddit omnino Dei Spiritus spiritui nostro testimonium, filios esse nos Dei, testimoniumque hoc est verum. Neque enim ab illo Spiritu falsum aliquid procedere potest. Sed illud esset ipsis probandum, hocce testimonium ita etiam clare semper a spiritu proponi, ut a nobis indubitate intelligatur. „Christus, inquit Paulus in „epistola ad Hebraeos cap. 3. v. 6. tamquam filius „in domo sua: quae domus sumus nos, si fiduciam, „et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.“ In hoc loco epistolae ad Romanos, quam nunc tractamus Christus dicitur in nobis habitare: hic in epistola ad Hebraeos etiam per suum Spiritum, tamquam in domo, quaeque domus simus nos. Ut vero haec habitatio Christi Spiritus in nobis sit stabilis, atque firma, non dicit Paulus, debere hoc nobis esse certum, ac indubitatum; verum ad spem tantum, atque fiduciam nos animat, et hortatur: nec aliter, quam sub conditione nobis pollicetur, ut Christus in nobis, tamquam in domo sua perpetuo maneat, si fiduciam, et gloriam spei usque ad finem

firmam retineamus. Cumque conditio haec posita a Deo nos respiciat; sequitur, a nobis non etiam aliud requiri, atque exigi, quam spem, atque fiduciam, contra quam in Augustana, et Helvetica Confessione salutis etiam suae certitudinem sibi putarunt constituendam. Neque vero ex parte nostra certum est conditioni staturos nos perseveranter. Dicit enim Paulus: „Qui existimat se stare (ὁ δοκῶν ἑστάναι) videat, „ne cadat:" 1. Cor. 10. v. 12. istudque exemplo Israelitarum confirmat, quorum plurimi, quamvis in Moyse, et in nube fuissent baptizati, spiritualemque potum ex petra, quae erat Christus, bibissent, sint prostrati in deserto. Quid interest inter nostram, et illorum fidem? num illi in alium Christum, quam nos, crediderunt? num melior nostra fides, quam illa antiquorum, est? non perinde propter fidem Abraham, aliique iusti Deo accepti fuerunt? Et tamen non in pluribus eorum, quamvis crediderint, dicit Apostolus fuisse beneplacitum Deo, esseque prostratos in deserto. Quod plerisque illorum accidit, num nobis ne idem accidat, timendum non est, quando hoc ipsum Apostolus scriptum esse docet ad correptionem nostram sive ut luculentius in Graeco est: *ad admonitionem nostram* (πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν) et in epistola ad Hebraeos timere nos iubet illorum exemplo? „Timeamus, ergo, inquit, „ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem „eius existimetur aliquis ex vobis deesse." Hebr. 4. v. 1. Et si certum esset, vel hoc saltem alicui persvasum esse deberet de se, fore, ut salutem adi-

piscatur, qua ratione Apostolus dicere potuisset: Qui se existimat stare? deinde, ut idem videat, ne cadat? Nam et cum cavere aliquis debet, ne cadat, certum non habet se firmiter staturum; neque enim contrarius metus securitatem admittit; et in eiusmodi assensu, ubi tantum aliquid existimamus, vel pressius secundum Graecum verbum, δοκέω, nobis aliquid videtur, quo verbo Apostolus usus est, certa est asseveratio. Quare etiam huius capitis versu 24. Paulus, „Spe, inquit, salvi facti sumus.“ Non certum id esse nobis dicit. „Spes enim, inquit, quae „videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid „sperat?“ Idem Apostolus „Castigo, inquit, cor„pus meum, et in servitutem redigo, ne cum aliis „praedicaverim, ipse reprobus efficiar.“ 1. Cor. 9. v. 27. Num Paulus non fuit fidelis, num ille veram fidem, atque sinceram fiduciam in Christum non habuit? num illius spiritui Spiritus sanctus testimonium non reddidit? Cur ergo timet, ne reprobus efficiatur, cur etiam ideo corpus suum castigat, et in servitutem redigit, si securus, et certus de sua salute erat, aut hoc sibi de se persvasum debere habere existimavit? Ista quidem superstitio, et anilitas Pauli fuit, si illud ex sensu verae Religionis fuit, quod in sua reformatione ii, qui Lutherum, Calvinumque sectati sunt, fecerunt, cum ieiunium, abstinentiam, et quidquid pertineret ad severiorem aliquam Religionis disciplinam, ad coercendam concupiscentiam carnis, e religione, quam sibi formaverunt, eiecerunt, atque elimina-

verunt, solamque sibi fiduciam, et hanc quoque cassam, atque piorum operum inanem reliquerunt. Quid multa? Rem totam hanc Ecclesiastes complexus est cap. 9. v. 1. „Sunt iusti, inquit, et sa„pientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen „nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit, „sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod „universa aeque eveniant iusto, et impio.“ Si vero internum Spiritus testimonium ita manifestum est, ut illi, de quibus modo loquor, sentiunt; quomodo uihilominus ob rerum istos eventus, qui iusto aeque, et impio contingunt, nescit iustus, odione, vel amore dignus sit: utique apud Deum, de quo hoc erga se nesciat, quod iusto, et impio aequaliter videat omnia evenire, et contingere in rerum temporalium providentia? Nos ergo Catholici, dum Dei Spiritus spiritui nostro testimonium reddit tenerum in nobis affectum excitando erga Deum, dumque Dei charitatem in cordibus nostris diffundit, etsi certitudinem ipsi nobis non fingamus, stamus tamen, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei. Spes haec nos non confundet. Rom. 5. v. 2, 5.

17. *Si autem filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Rursus hic Paulus non est adcurate locutus. Non enim debuisset conditionem apponere, *Si tamen compatimur*, sed hanc: si tamen fidem solam, et fiduciam nostram in illo habeamus. Quid cum compassione habuit, ut illius conditionem huc affigeret? Nam, cum compati la-

tionem alicuius molestae rei significet, istaque proinde actio aliqua esse intelligatur, sequeretur, praeter fidem, et fiduciam erga Christum, aliquid etiam, quod agendum sit, praescribi in Religione, idque tali pacto, ut nonnisi ista conditione cum Christo conglorificari possemus. Jam vero Lutherus, et Calvinus dogma fidei constituit per solam fidem, et fiduciam erga Christum salutem esse nobis tribuendam idque certo, et indubitate, ergo Paulus istam conditionem, quam apposuit de compassione, revocet, et retrahat. Quomodo ille, quod tantis reformatoribus contrarium esset, statuere ausus est? Quin ergo potius, quomodo isti, quod cum Pauli doctrina pugnans esset, sibi potuerunt sumere, ut inducerent, novaque dogmata suo pruritu cuderent, et multo magis quomodo aliqui illos, quam Paulum docentem audire maluerunt? Patientiam autem sic S. Chrysostomus homil. 14. definit: „Patientiae, inquit, nomen sudorum nomen est, „et tolerantiae multae.“

18. *Existimo enim, quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Existimo*, Graece, λογίζομαι: quod verbum idem significare, quod Latine diceremus, inferre, et alicunde concludere per argumentationis consequentiam, iam supra ad capitis 3. versum 28. demonstratum est. Cum Paulus superiore versu de compatiendo, veluti de conditione conglorificationis cum Christo locutus esset, eam vero consequentiam, quae hinc flueret, ut tantae

gloriae causa nihil non arduum, et difficile libenter perferremus, aperte non posuisset; hoc deinde ipsum, quod in praesente versiculo est, pro istius rei causa posuit. Non sic autem non sunt passiones condignae, in Graeco est tantum simplex nomen, *dignae passiones* ἄξια παθήματα, quasi his gloriae haereditas cum Christo non responderet veluti merces, ut hoc rursus eo torquent, atque inflectunt in Augustana, et Helvetica Confessione: quod faciunt, ne quid aliud praeter assensum fidei, et fiduciam, ab ipsis videretur salutis obtinendae causa requiri, sed quod omne, quantumcumque illud sit, quod patiendum esset, respectu tantae felicitatis, quae promitteretur, nihil sit. „Id enim, quod in praesenti „ est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, „ supra modum in sublimitate aeternum gloriae pon„ dus operatur in nobis.“ 2. Cor. 4. v. 17. Nam si nobis societas gloriae cum Christo non etiam veluti merces tribuitur, cur Paulus hanc de compatiendo cum Christo conglorificationis causa superiore versu apposuit conditionem?

19. *Nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat.* 20. *Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe.* 21. *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* 22. *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.* Quo vividius gloriae amplitudinem proponeret, illiusque spe universos excitaret, ipsam creaturam reliquam

in mundo inducit istius commutationis exspectatione veluti sollicitam, atque suspensam. *Nam exspectatio*, inquit, *creaturae revelationem filiorum Dei exspectat.* Exspectatio, Graece, ἀποκαραδοκία, significat non vulgarem exspectationem, sed eam, quae cum ingenti aliqua sollicitudine, et quadam anxietate, ob moram, coniuncta est. Haec ergo exspectatio huic adspectabili mundo tribuitur, erga illam gloriam, quae Dei filiis revelabitur, et exhibebitur. Quare autem exspectatione ista laborat creatura? *Vanitati enim*, inquit, *creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe.* Vanitas creaturae est, quod nihil in ea sit constans, et perseverans. Sed non haec mutabilitas modo intelligitur. In subsequenti enim versiculo servitus corruptionis haec eius vanitas vocatur, unde etiam liberanda sit, dum filii Dei in suam gloriae libertatem pervenerint. Quae ergo creatura cum beatis libertatis conditionem subitura est; haec intelligitur, cum ipsis corruptionis servitutem simul etiam subiisse. Cum homo peccasset in paradiso, et mortalis factus fuisset, terra quoque propter ipsum maledictionem Divinam subiit. „Maledicta terra, di„cebat Deus Adamo, in opere tuo: in laboribus „comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae, spinas, „et tribulos germinabit tibi.“ Genes. 3. v. 17. Huic ergo vanitati creatura subiecta est, non volens, utpote, quam status sui conditionem non per creationem acceperit sic, ut ei esset naturalis vi creationis, sed quae, ei accesserit tantum postea per mo-

dum poenae, ac proinde contra naturalem suam constitutionem, et ex qua proinde poena quasi molestia afficeretur, et quam nihilominus ferret, quod huic vanitati Deus illam subiecerit, cuius imperio cogeretur obtemperare, et a quo liberationis etiam sibi haberet factam spem. Nempe, quemadmodum terra maledictionem cum homine peccante subiit; ita cum homini promissus fuisset a Deo liberator: quae terra, hominis causa, subiit maledictionem; cum eodem homine spei etiam particeps facta est de liberatione, cum causa maledictionis cessasset. *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* De terra, quam incolimus, et de caelo, quod supra nos sidereum est, dicit S. Petrus Epist. 2. cap. 3. v. 10. esse dissolvenda, et exurenda, novos autem caelos, et novam terram, in qua iustitia habitet, esse successuram. Tunc ergo creatura liberabitur a servitute istius corruptionis, in qua nunc est, cum transeunte isto caelo, et terra novus mundus succedet undique fulgens, et gloriosus, caelum videlicet, ubi beati cum Christo aeternum in gloria victuri sunt, quodque ipsum caelum, quasi novus mundus in gratiam electorum a Deo conditus, ubi Christus suum obtineret regnum, nulli iam etiam corruptioni obnoxium, sed immobile, et stabile semper futurum sit. „Itaque hic cum emphasi, ait S. Chry-„sostomus homilia 14. loquitur, et mundum totum „in personam convertit, ut et Prophetae faciunt, „fluvios plaudentes manibus inducunt, et colles sa-

„lientes, montesque exultantes, non ut illa animata esse putemus, neque ut cogitationem quamdam ipsis indamus, sed ut bonorum exsuperantiam discamus, quasi ad ea, quae sensu carent, pertingant. Hos Apostolus imitatus, creaturam in personam vertit, aitque illam ingemiscere, et parturire. Non quod gemitum quempiam audierit, a terra, et caelo emissum; sed ut futurorum bonorum immensitatem declaret, et desiderium excedendi a malis, se detinentibus. *Vanitati creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit illam.* Quid est illud, Vanitati creatura subiecta est? Corruptibilis facta est. Quare? propter te hominem. Quia enim corpus accepisti mortale, et passibile; et terra maledictum accepit, ac spinas, tribulosque emisit.“ Ponit deinde sibi hanc obiectionem, cur ergo terra maledictum subierit, cum nihil illa, sed tantum homo peccaverit, et respondet: „Quid ergo? an illi damnum illatum est, cum pro alio id patiatur? minime. Nam propter me facta est. Quae igitur propter me facta est, quid iniuriae accipiat, si ad emendationem meam haec patiatur? Alioquin vero iusti, et iniusti rationem ne movere quidem oportet, cum de inanimatis, et insensibilibus agitur. Verum Paulus, postquam illam, ut personam induxit, nulla rationum, quas dixi, usus est; sed alia auditorem admodum consolari studet. Quanam? Quid dicis, inquit, male affecta propter te, et corruptibilis facta est? In nullo certe laesa

„ est. Nam propter te incorruptibilis rursum fu-
„ tura est."

23. *Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias Spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes redemptionem corporis nostri.* Non solum autem illa, creatura videlicet, de qua sermo nunc antecessit, ingemiscit, sed et nos ipsi, qui primitias Spiritus habemus, intra nos gemimus, dum exspectamus adoptionem filiorum Dei, et redemptionem corporis nostri. Primitiae sunt primi rei alicuius fructus. Spiritus ergo primitias, atque primos fructus iam consecuti sumus per spiritum Dei habitantem in nobis; et quamvis secundum corpus adhuc mortui; spiritus tamen iam in nobis vivit propter iustificationem, quemadmodum fuit huius capitis versu 10. Exspectamus autem ingemiscendo adoptionem filiorum Dei. Jam etiam nunc sumus filii Dei. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non ergo adoptio haec iam illa est, qua facti sumus filii Dei; sed in gloriae consortium cum Christo quae futura est, intelligitur haec esse adoptatio, illaque in resurrectione quoad corpus quoque iam perfecta, atque completa, quod tum redimeretur, a morte videlicet, et corruptione, quam ad illud usque tempus ferret. Sic locum hunc explicuit etiam S. Chrysostomus homil. 14. „Hoc est, inquit, futura iam
„ gustavimus. Etsi enim quis omnino lapideus fue-
„ rit, ea, quae data sunt; satis sunt ad illum ex-
„ citandum, ut a praesentibus absistat, et ad futu-

„ra advolet duplici de causa, et quod magna sint „dona, et quod haec tot, et tanta, primitiae sint. „Nam si primitiae tantae sunt; ut per illas a pec- „catis liberemur, atque iustitiam, et sanctificatio- „nem consequamur; totum illud cogita, quantum „sit.“ Nempe fideles per fidei sacramentum gustaverunt donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus sancti. Hebr. 6. v. 4. Is vero est pignus haereditatis nostrae. Eph. 1. v. 14. Pignus autem utique datur in securitatem rei, quae praesens nondum est, sed exspectatur. Quare eatenus donum Spiritus sancti, quod iam percepimus, primitiae Spiritus vocantur: quatenus doni, quo facti sumus filii Dei, et cohaeredes Christi; iam partem perceperimus, reliquum autem adhuc, quod restat, exspectemus.

24. *Spe enim salvi facti sumus.* Hoc est, nondum ipsam salutem tenemus, sed tantummodo illius spem habemus. Quod deinde declaratur verbis subsequentibus. *Spes autem, quae videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? 25. Si autem, quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus. 26. Similiter autem et Spiritus adiuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Cum dixisset, adoptionem filiorum Dei exspectari a nobis per patientiam, deinde subiicit: *Similiter autem et Spiritus adiuvat infirmitatem nostram:* ut cum difficultatem ostendisset ex parte nostra, quod nobis patientia esset exhibenda, quae

res spem posset deprimere; simul etiam securos faceret de Spiritus sancti auxilio, qui, sicut nobis per patientiam exspectandus esset; ita etiam infirmitatem nostram ad exhibendam patientiam adiuvaret. „Aliud tuum est, ait S. Chrysostomus homil. „14. nempe patientia; aliud ex Spiritus dono, qui te „ad spem acuit, et per eam labores tuos allevat. Deinde, ut discas, non in laboribus tantum, et periculis „tibi gratiam in iis, quae faciliora videntur, tecum cooperari, et ubique suam conferre opem, „subiungit: *Nam quid, ut oportet, oremus, nescimus.* Haec porro dixit, tum ut multam Spiritus erga nos providentiam ostenderet; tum ut „nos doceret, non illa omnino nobis utilia censenda esse, quae humanis ratiociniis talia videntur „esse. Quia enim verisimile erat illos, flagellatos, „pulsos, mille gravia patientes, quietem quaerere, „et sibi utile fore putare, si illam abs Deo gratiam „postularent, dicit: Ne putetis illa, quae vobis „videntur utilia, vere talia esse. Etenim ad eam „rem Dei ope egemus. Usque adeo homo infirmus est, et ex se nihil.“ Cum dixisset, Spiritum adiuvare infirmitatem nostram, pro huius rei causa deinde posuit: *Nam, quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Unde intelligeretur, non tantum ex nobis ipsis auxilium nobis nullum esse, sed etiam cum intelligeremus, illud nobis petendum esse a Deo precibus, tamen adhuc etiam, quemadmodum nobis esset orandum, nos ignorare. „Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis,

„sed sufficientia nostra ex Deo est. " 2. Cor. 3. v. 5. Ubi vero dixit, nescire nos, quid oremus, sicut oportet, subiecit deinde: *Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Cum ergo prius orationem memoraverit, quae fieri deberet a nobis auxilii causa, quo nostra adiuvaretur infirmitas a Deo; deinde vero dixerit, Spiritum pro nobis interpellare; intelligitur eatenus dictum esse Spiritum pro nobis interpellare, quatenus, quemadmodum orandum sit, cum ignoremus, ab illo etiam hoc ipsum accipiamus, quique inenarrabiles gemitus in nobis excitet, quod pertinet ad fervorem orationis. „Quid est, interpellat? verba sunt S. Augustini in Epist. 194. ad Sixtum, „nisi interpellare nos facit? Indigentis enim certissimum indicium est, interpellare gemitibus. „Nullius autem rei esse indigentem, fas est credere Spiritum sanctum. Sed ita dictum est, interpellat, quia interpellare nos facit, nobisque „interpellandi, et gemendi inspirat affectum, sicut „illud in Evangelio: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Matth. 10. v. 20. Neque enim et „hoc ita fit de nobis, tamquam nihil facientibus „nobis. Adiutorium igitur Spiritus sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut „faciamus, facit. " Hoc idem, S. Augustinus in libro de Perseverantia cap. 23. probat etiam inde: quod de eodem Spiritu sancto, qui nunc dicitur postulare, prius versu 15. huius capitis fuerit:

„Non

„Non enim accepistis spiritum servitutis iterum „in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis „filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.“ de quo tamen iterum sit ad Galatas 4. v. 6.. „Misit „Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem „Abba, Pater.“ Ibi dixit, verba sunt illius, *cla-„mantem*, hic vero, *in quo clamamus*: aperiens „videlicet, quomodo dixerit, clamantem, id est, „sicut iam exposui, clamare facientem. Ubi intelli-„gimus, et hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci „corde, et spiritualiter clamemus ad Deum. At-„tendant ergo, quomodo falluntur, qui putant „esse a nobis; non dari nobis, ut petamus, quae-„ramus, pulsemus: et hoc esse dicunt, quod gra-„tia praeceditur merito nostro, ut sequatur illa, „cum accipimus petentes, et invenimus quaeren-„tes, aperiturque pulsantibus, nec volunt intelli-„gere, etiam hoc Divini muneris esse, ut oremus, „hoc est, petamus, quaeramus, atque pulsemus. „Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in „quo clamamus, Abba, Pater.“ 27. *Qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro nobis.* Qui autem scrutatur corda, scrutans corda, et renes est Deus. Psal. 7. v. 11. Is ergo scit, quid desideret Spiritus, hoc est, quid nos desideremus, moti a Spiritu sancto ad postulandum, quemadmodum demonstratum est superiore versu: quia secundum Deum postulat pro nobis, hoc est, quia is ea, quae secundum Deum sunt, nos postulare facit.

28. *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Hoc quoque eo spectat, ut Romanorum animos confirmaret in illius exspectationis adoptionis patientia, ne adversitatibus deiicerentur, siquidem iis, qui a Deo secundum propositum essent vocati, omnia in bonum, salutisque adminiculum verterentur. Non dixit autem Apostolus sic: iis, qui a Deo secundum propositum sunt vocati, sed diligentibus Deum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Possunt enim aliqui nunc diligere Deum: sed si non sunt vocati secundum propositum; non usque ad finem in dilectione perseverabunt. „Apostolus, cum di„xisset, ait S. Augustinus lib. de Corrept. et „Grat. cap. 9. *Scimus, quoniam diligentibus Deum „omnia cooperantur in bonum*, sciens nonnullos „diligere Deum, et in eo bono usque in finem „non permanere, mox addidit, *his, qui secundum „propositum vocati sunt.* Hi enim in eo, quod „diligunt Deum, permanent usque in finem, et „qui ad tempus inde deviant, revertuntur, ut usque „in finem perducant, quod in bono esse coeperunt.“ Cuiusnam vero hoc propositum intelligendum est, ipsiusne hominis, qui a Deo vocatur, an vocantis Dei? Illa priore ratione istud sumpserunt Pelagiani. „Hoc quippe, ita dicunt, inquit de ipsis S. „Augustinus lib. 2. contra duas Epist. Pelagianor. „cap. 9. velut homo a seipso sine adiutorio Dei „habeat propositum bonum, studiumque virtutis,

„quo merito praecedente dignus sit adiuvari Dei „gratia subsequente. Putant enim fortasse ita di- „xisse Apostolum: Scimus, quia diligentibus Deum „omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum „propositum vocati sunt, ut propositum hominis „vellet intelligi, quod propositum tamquam bonum „meritum sequatur misericordia vocantis Dei: „ignorantes ideo dictum esse, qui secundum pro- „positum vocati sunt, ut Dei; non hominis pro- „positum intelligatur, quo eos, quos praescivit, „et praedestinavit conformes imaginis Filii sui, „elegit ante mundi constitutionem. Non enim omnes „vocati, secundum propositum sunt vocati, quo- „niam multi vocati, pauci electi. Matth. 20. v. 16. „Ipsi ergo, secundum propositum vocati, qui ele- „cti ante constitutionem mundi. De hoc proposi- „to Dei dictum est et illud de geminis Esau, et „Jacob: *Ut secundum electionem propositum Dei „maneret, non ex operibus, sed ex vocante di- „ctum est, quia maior serviet minori.* Rom. 9. „v. 11. Hoc propositum Dei et illo commemora- „tur loco, ubi ad Timotheum scribens, ait: *Col- „labora Evangelio secundum virtutem Dei salvos „nos facientis, et vocantis vocatione sua sancta „non secundum opera nostra, sed secundum suum „propositum, et gratiam.* 2. Tim. 1. v. 8. Hoc „est ergo propositum Dei, unde dicitur: *Omnia „cooperantur in bonum, iis; qui secundum pro- „positum vocati sunt.* Hominis autem propositum „bonum adiuvat quidem subsequens gratia; sed

„nec ipsum esset, nisi praecederet gratia. Stu-„dium quoque hominis, quod dicitur bonum, quam-„vis cum esse coeperit, adiuvetur gratia; non „tamen incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur, „de quo dicit Apostolus: *Gratias autem Deo,* „*qui dedit idem studium pro nobis in corde Titi.* „2. Cor. 8. v. 16. Si studium quisque, ut pro „aliis habeat, Deus dat; ut pro ipso se habeat, „quis alius est daturus?"

29. *Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* 30 *Quos autem praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et iustificavit: quos autem iustificavit, illos et glorificavit.* Hoc pro causa est positum illius, quod antecessit, iis, qui secundum propositum vocati sunt, omnia cooperari in bonum. *Nam, quos praescivit, et praedestinavit.* Hoc vero sic sumendum est, ut quos Deus praesciverit; hos deinde etiam praedestinaverit: quemadmodum eadem ratio inter quaevis bina verba in subsequente versu est. Nam secus, si coniunctim quasi ad unum membrum periodi utrumque verbum, praescivit, et praedestinavit, accipiatur, incompleta manebit periodus, et imperfecta erit oratio. Quos ergo Deus praescivit, illos praedestinavit: quos praedestinavit, illos vocavit: quos vocavit, illos iustificavit: quos iustificavit, illos glorificavit. Inde sic a praescientia usque ad glorificationem tota gradatim procedit oratio. Fide autem Catholica certum est, praedestinationem non esse factam ex praevisione, et

praescientia sic, ut quorum Deus futuram fidem, et opera bona viderit, hos praedestinaverit. Id quod clare perspici potest et ex illo testimonio Pauli, quod ex Epistola ad Timotheum inter S. Augustini verba paulo ante positum fuit, et quod argumentum tractabitur etiam sequenti capite ab ipso Apostolo. „Opera misericordiae ac iustitiae, ait „Adrianus I. Papa in epistola ad Egilam, et ad „episcopos Hispaniae, praeparavit Deus in aeter„nitate incommutabilitatis suae: et sicut futuro„rum operum suorum numquam fuit ignarus; sic „in eorumdem operum praeparatione numquam „improvidus. Praeparavit ergo iustificandis homi„nibus merita, praeparavit iisdem glorificandis et „praemia. Malis vero non praeparavit voluntates „malas, aut opera mala, sed praeparavit eis iusta, „et aeterna supplicia. Haec est aeterna praedesti„natio futurorum operum Dei, quam sicut nobis „Apostolica doctrina semper insinuari cognoscimus; „sic etiam fiducialiter praedicamus. Teneatur ergo „Praedestinationis veritas a fidelibus cunctis: quia „quisquis Divinum non credit in hac praedestina„tione consilium; non perveniet ad gloriosum „eiusdem praedestinationis effectum.“ Quaenam igitur est illa praescientia, quae Dei praedestinationem quasi antecesserit? Reipsa enim, cum in Deo omnia aeterna sint, nec praescientia prior fuit praedestinatione apud illum. Dicit in Epistola ad Ephesios cap. 1. v. 11. Paulus: „In quo etiam et „nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum

„propositum eius, qui operatur omnia secundum „consilium voluntatis suae.“ Dum ergo hic in Epistolā ad Romanos illos dicit esse a Deo praedestinatos, qui ab eo fuerunt praesciti; in Epistola autem ad Ephesios praedestinatos nos esse docet a Deo secundum ipsius propositum, atque consilium voluntatis; intelligitur eadem esse praescientia, secundum quam nos Deus praedestinaverit, quoad propositum, atqu consilium voluntatis ipsius. Dei autem propositum est secundum ipsius electionem. Sic enim sequentis capitis versu 11. est: „Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egis„sent, aut mali, ut secundum electionem propo„situm Dei maneret, non ex operibus, sed ex vo„cante dictum est ei: Quia maior serviet minori, „sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem „odio habui.“ Electio autem iterum huius eiusdem ad Romanos epistolae capite 11. versu 5. vocatur electio gratiae, id quod hinc quoque manifestum est, quod modo dictum sit, non ex operibus, sed ex vocante esse dictum: Quia maior serviet minorí; consequens ergo rursum est, hoc Dei propositum, et consilium voluntatis, secundum quod nos praedestinavit, esse simpliciter gratuitum, nec propter opera nostra, quae praeviderit, sed ex ipsius pura gratia. Quia veró Apostolus ad probandam electionem per gratiam erga Jacobum prae Esau fratre, Malachiae hocce testimonium produxerit, quo ostenditur, Jacobum ideo Deus elegisse, quod eum amaverit, non vero Esa-

vum; intelligitur iterum Dei electionem, ac proinde illius propositum quoque, et consilium voluntatis, ipsamque Dei praescientiam, qua nos praedestinavit, et tam vocationis gratiam, quam praemia, quae nobis iustificatis, et in iustificatione perseverantibus praeparavit, sic enim S. Augustinus in libro de Perseverantia cap. 14. praedestinationem definivit esse praeparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur, fluere ex Dei erga eos, quos Deus ex massa perditionis liberare vult, gratuito amore, atque beneplacito. ,, Eramus natura filii irae, ait ,, Apostolus, sicut et ceteri. Deus autem, qui dives ,, est in misericordia, propter nimiam charitatem ,, suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui ,, peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gra- ,, tia estis salvati. " Eph. 2. v. 3. Dilexit autem nos Deus, quamvis adhuc in peccatis mortuos, utpote quos ab aeterno elegerit: sed tamen non ut peccatores, sed quibus, quamvis peccatoribus, et indignis, atque inimicis suis daturus esset gratiam. ,, Tales nos amat, ait Concilium Arausicanum II. ,, cap. 12. quales futuri sumus ipsius dono, non ,, quales sumus nostro merito. " Praedestinavit autem Deus eos, quos praescivit, ut conformes fierent imaginis Filii sui. Hoc est, ut similes fieremus Filio Dei, et cum ille Filius Dei sit secundum naturam, nos per Spiritum adoptionis, quemadmodum fuit versu 15. fieremus filii Dei secundum gratiam, et qua ratione Christus esset Filius Dei pri-

mogenitus in multis fratribus. Non omnes autem etiam vocati, et iustificati perveniunt usque ad glorificationis dignitatem. Quomodo ergo illud consistit, ut qui fuerunt praesciti, deinde praedestinati, vocati, iustificati, iidem etiam dicantur esse glorificati? Non multo ante, definitionem praedestinationis ex S. Augustino posui, per quam certissime liberentur, quicumque liberantur. Non ergo pertinent ad hanc praedestinationem ii, qui vel tantum vocati sunt, vel etiam iustificati, nisi hoc iustitiae suae donum perseveranter retineant, ita, ut ad grorificationem etiam perveniant. ,, Qui ca-,, dunt, et pereunt, ait S. Augustinus lib. de Cor-,, rept. et Grat. cap. 12. in praedestinatorum numero ,, non fuerunt." ,, Ex nobis prodierunt, ait S. Joannes ,, 1. Epist. 2. v. 19. sed non erant ex nobis: nam si fuis-,, sent ex nobis, permansissent utique nobiscum."

31. *Quid ergo dicemus ad haec? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Pertinet adhuc istud semper eo, ut quibus Deus Spiritum adoptionis iam in cor dedisset; hi spe non deficerent, quamvis exhibenda esset exspectatio, et patientia. ,, Or-,, bis totus, ait S. Chrysostomus homil. 15. tyranni, ,, populi, cognati, concives contra nos sunt. At-,, tamen hi contra nos non sunt, tantum abest, ,, ut nobis noceant; ut etiam vel inviti coronarum ,, nobis, et mille bonorum auctores sint, Dei sa-,, pientia insidias in salutem, et gloriam nostram ,, vertente." 32. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum:*

quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? „Cogita enim, ait idem S. Chrysostomus, quan„tae bonitatis fuerit, proprio Filio non parcere, „sed tradere illum, et pro omnibus tradere, pro „vilibus, ingratis, inimicis, blasphemis. Quomodo „igitur non etiam cum illo omnia nobis largietur? „Id est, si Filium suum largitus est, nec modo „largitus est, sed et neci tradidit, quid postea de „reliquis ambigis, cum dominum acceperis? quid „dubitas de possessionibus, dominum habens? „Qui enim id, quod maius erat, inimicis dedit, „quomodo non minora dabit amicis?"

33. *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui iustificat.* 34. *Quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* „Postquam Apostolus osten„dit, ait S. Thomas in Commentario, quod san„cti, quos Deus promovet, nullum detrimentum „pati possunt, quasi a malo poenae; hic ostendit, quod „nullum detrimentum pati possunt, quasi a malo cul„pae." Quaerit igitur, quis accusabit adversus electos Dei, Deusne, qui iustificat? Sic enim etiam altera pars versus cum interrogatione accipi debet. Neque enim rectus prodiret sensus, si dum quaeritur, quis accusaturus, sit et litem intentaturus electis Dei, deinde responderetur, Deum hunc esse, et qui deinde nihilominus dicatur illos eosdem electos iustificare. Item reliquum etiam in altero versu sic accipiendum est: Quis est, qui condemnet? Christusne

Jesus, qui mortuus est, imo, qui et resurrexit, qui est ad dexteram, qui etiam interpellat pro nobis? Electos namque Deus, et Christus deberet accusare, et in iudicium vocare, eosque condemnare. Quos vero Deus ipse iustificavit, quomodo adhuc in crimen vocabit? Et pro quibus Christus mortuus est, et resurrexit propter illorum iustificationem Rom. 4. v. 5. qui est ad dexteram Dei, ut eius vultui appareat pro illis, Hebr. 9. v. 24. qui etiam Patrem interpellat pro illis, quo pacto illos condemnaret?

35. *Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* 36. *Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.* Testimonium hoc petitum est ex Psalmi 43. versu 22. Is vero Psalmus, quemadmodum ibi demonstratum est, tractat de adversitatibus, quas Judaei pertulerunt in captivitate Babylonica. Quae vero acerbitas, quam Judaei pertulerunt in captivitate a Babyloniis typice adumbraverit persecutiones, quas Ecclesia pertulit ab infidelibus. Secundum igitur hunc sensum typcium, secundum quem res haec, quae erga Judaeos acta tum est, cum vim praedictionis habuisset erga Ecclesiam eius, quod tum paterentur Christiani; scriptum istud atque praedictum docuit Paulus illius, quem produxit Psalmi testimonio. 37. *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* 38. *Certus enim sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principa-*

tus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, 39. *neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.* Loquitur generatim in persona eorum, quos Deus praedestinavit, et de quibus omnino certum est, posse ex eorum numero, qui praedestinati sunt, neminem perire. Secus enim id, quod Deus praedestinando constituisset, effectum suum non sortiretur, Deusque eo, quod decrevisset, propositum suae voluntatis non assequeretur. Speciatim vero adeo ista certitudo non habetur, ut Paulus ipse, quemadmodum iam demonstratum est ad huius capitis versum 16. corpus suum castigaverit, in servitutemque redegerit, ne cum ipse aliis praedicaverit, reprobus efficeretur, et cum timore, atque tremore operandam esse salutem monuerit Philippenses cap. 2. v. 12. Quemadmodum autem in Epistola ad Galatas cap. 1. v. 8. dixit: „sed licet „nos, aut angelus de caelo evangelizet vobis, prae„terquam quod evangelizavimus vobis, anathema „sit" cum angelus utique falsum docere non possit, sed tantummodo per conditionem, etiamsi fieri non posset, unde immobilitas veritatis Evangelicae, quam semel praedicasset, tanto evidentius appareret; ita hic angelos quoque, principatus, et potestates inter alia commemoravit eadem ista ratione, quod etiamsi hi vellent, et conarentur nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu, tamen hoc effectum dare non possent. Instantia eadem in-

telliguntur, quae praesentia, quibusque respondent futura, quae in enumeratione deinde posuit. Altitudo, et profunditas, abstracta nomina sunt posita pro iis rebus, quae in mundo, vel in alto, et in caelo, uti sidera constituta sunt, vel in imo terrae. Nam res creatas, quae in alto, et in profundo essent constitutae, Apostolum omnino intellexisse; verba haec eius indicant sequentia: *Neque creatura alia.* Hinc enim sequitur, dum dixit: *Neque creatura alia;* altitudinis, et profunditatis nomine etiam creaturas quaspiam intellexisse.

CAPVT IX.

Judaeos ex Dei electione excidisse: neque tamen eo minus firmam esse Dei promissionem, quam Abrahae dedit de illius posteris, siquidem illa non respexerit Abrahae filios secundum carnem, sed filios promissionis, et erga quos simpliciter gratuita sine ullo operum respectu sit Dei electio, et vocatio.

1. *VERITATEM dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto,* 2. *quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo.* Veritatem dico in Christo, hoc est, per Christum, quem scilicet testem suae asseverationis vocat: non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto: rursus per Spiritum sanctum. Cum enim suam conscientiam etiam in testimonium vocasset; ut doceret, se se in ea non falli propria persvasione; testimonium illud conscientiae suae asseverat

sibi esse per Spiritum sanctum. De tristitia autem sua istud testatur, et cuius causam postea explicat. 3. *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, 4. qui sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, 5. quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.* Anathema, sic Graece scriptum, Ἀνάθεμα, quemadmodum est in praesenti loco, significat rem execrabilem, et exitio devotam, et quomodo etiam usurpatur hocce vocabulum ad Galatas cap. 1. v. 8. 1. Cor. 16. v. 22. Numer. 21. v. 3. Deut. 7. v. 26. et cap. 13. v. 17. Josue 6. v. 17. Nam alia ratione cumque unius literae mutatione, Ἀναθήμα, significat donarium, quod in templo in memoriam alicuius a Deo accepti beneficii suspenditur. E quorum locorum consideratione etiam perspicitur sic res illas fuisse, ipsosque homines, in quos anathema esset constitutum, devotos exitio, ut hoc dirigeretur ad cultum Dei, cuius honor eorum, qui in exitium mitterentur, supplicio vindicaretur. Paulus anathema optabat fieri pro fratribus suis, qui eius essent cognati secundum carnem, qui scilicet ab iisdem maioribus genus, atque originem cum his duceret, generatim enim Israelitae intelliguntur, ut ipse explicuit, idque a Christo. Erant hi scilicet reprobati, et in aeternum supplicium ituri. Hos ergo, si posset ab interitu vindicare, cu-

peret ipse à Christo addici supplicio in eorum locum. Quo vehementissimum suum erga eos expressit affectum. Neque vero dubium esse potest, quin se ad solam tantum poenam pro illis obtulerit, non vero reatum etiam culpae in se suscipere voluerit, quod amori erga Deum esset contrarium, qui superioris capitis versu 35. sic perseverantiam amoris Divini declaraverat: „Quis ergo nos separabit a „charitate Christi?" Nec in poena, si absit culpa, est aliqua deformitas: quin tanto maior declaratur charitas, quanto maius est, quod quis pro altero subire paratus est supplicium. Qua ratione etiam ipse Christus factus est pro nobis maledictum, Gal. 3. v. 13. suamque charitatem Deus in nobis commendavit, dum pro nobis Christus mortuus est. Rom. 5. v. 8. Moyses quoque isto modo petiit a Deo, uti eum deleret de suo libro, nisi vellet veniam Israelitis dare, cum peccassent adorando aureum vitulum. Exod. 32. v. 32. Utique non latebat Paulum, aeternum illud supplicium non esse irrogandum, nisi iis, qui illud suo commeruissent peccato. Quare, nec istud Pauli desiderium aliud fuit, quam declaratio, quantopere cuperet Judaeorum salutem, quam seipsum etiam substituendo in ipsorum locum ad poenam non dubitaret, si posset, procurare: cuiusmodi ab ipso etiam illud, sed de Galatis est „Quia, si fieri posset, inquit, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi." Gal. 4. v. 15. *Quorum est*, inquit, *adoptio filiorum:* hoc est, quos Deus sibi ad suum cultum assumpserit ex omni-

bus aliis nationibus singulariter. „Te elegit Domi- „nus Deus tuus, dicebat Moyses illis, ut sis ei „populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt „super terram.“ Deuter. 7. v. 6. Omnes autem populi sunt per creationem Dei filii, utpote ista ratione ab eo producti. Quod nisi ita esset, ne Israelitis quidem dici a Moyse potuisset, „Deum, qui „te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini Crea- „toris tui“ Deuter. 32. v. 18. neque enim etiam istos a Deo genitos, ideo quod creati ab eo sint, dicere potuisset, nisi idem filii nomen omnibus, qui a Deo creati sunt, ob eamdem creationis causam competeret. Cur ergo de Israelitis peculiariter, et distincte: *Quorum est adoptio filiorum?* quia cum Deus omnium esset Deus dicente Paulo: „An Ju- „daeorum Deus tantum? nonne et gentium?“ Rom. 3. v. 29. erga Israelitas tamen peculiarem favorem exercuerit: „Non fecit taliter omni nationi, et iu- „dicia sua non manifestavit eis,“ Psal. 147. v. 20. istosque in suos filios ex omnibus quos creavit, peculiariter assumpserit, singularesque favores exhibuerit, qui non essent communes ceteris nationibus. *Et gloria, et testamentum.* Quaenam haec gloria fuerit, ex Exodi cap. 33. v. 16. perspicuum esse potest, ubi Moyses dicit: „In quo enim scire po- „terimus ego, et populus tuus, invenisse nos gra- „tiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, „ut glorificemur ab omnibus populis, qui habitant „super terram?“ Gloria igitur intelligitur ex tot illis favoribus, quos Deus populo exhibuit Israeliti-

tico, et in quorum gratiam tot prodigia produxerit in Aegypto, in mari Rubro, in deserto, nec non etiam deinceps. Testamentum intelligitur ipsum illud foedus, quod cum illis iniit. *Et legislatio, et obsequium, et promissa.* Legislatio est lex, quam illis per Moysem Deus dedit. *Obsequium*, Graece, λατρεία, Religionis intelligitur cultus, quem Deus illis tradiderit, et quo se ab illis coli voluerit. *Promissa:* haec vero de Christo illis fuerunt facta. Sic enim Paulus, cum Christum Judaeis Antiochiae Pisidiae praedicasset, dicebat: „Et nos vobis an„nunciamus eam, quae ad patres nostros repromis„sio facta est.“ Act. 13. v. 32. *Quorum patres*, hoc est, quorum patres sunt, quibus facta sunt haec promissa: *et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.*

Erasmus, et Grotius, cum nimium nasuti videri vellent critici; sic saepe sagacitatem narium ad investigandum male applicuerunt; ut dubitari posset, an vel nasus ipsis fuerit. Nam hic adversus rationem lectionis, quae semper obtinuit, dubium commoverunt, an non magis hoc: *Et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*, sic esset legendum, ut post illa verba: *qui est super omnia*, figeretur punctum, ac deinde separatim poneretur reliquum, *Deus benedictus in secula. Amen*, quodque iam non ad Christum, de quo sermo antecessit, sed simpliciter ad Deum referretur. Non habent autem propositum Christo Divinitatem detrahere; sed pura, putaque

putaque est criticae intemperantia, ut videantur aliquid reperisse, quasi quod observatum nondum ab aliis fuerit, et acutiore naso putentur esse. Quid enim tam ventosum est, ac proinde etiam leve, et sine gravitate, quae vero esse debet in critica, ut nova alicubi in aliquo scripto legendi ratio inducatur, quae sit contraria documentis totius antiquitatis? Nam sic, ut modo nos, versiculum hunc legerunt S. Irenaeus lib. 3. cap. 18. Tertullianus contra Praxeam, Origenes, S. Dionysius Alexandrinus in epist. ad Paulum Samosatenum, et Antiochena etiam prima synodus in literis ad hunc eumdem, item S. Athanasius Orat. 2. et 5. contra Arianos, S. Hilarius lib. 4. et 8. de Trinitate: atque argumentum hinc etiam petierunt ad refutandos Arianos negantes Christi Divinitatem. Isti autem tanti critici quod S. Chrysostomus cum in homilia 16. in hanc S. Pauli epistolam locum hunc recitasset, licet etiam ista interpungendi ratione locum exhiberet, saltem quod tunc in Arianos isto argumento non consurrexerit, deinde quasi hoc alienum esset a stilo Pauli, ut Christum Deum vocet, item quod Syrus in versione nomen: *Deus*, hoc loco praetermiserit, et S. Cyprianus lib. 2. ad Quirinum etiam ista ratione sine isto nomine: *Deus*, istud Pauli testimonium citaverit, intulerunt, vel non esse Dei nomen hoc loco, ut modo legimus, positum a Paulo, vel non pertinere ad Christum. Estne autem hoc argumentum, quod S. Chrysostomus non putaverit hic sibi disputandum cum Arianis, non putasse, Dei nomen

referendum esse ad Christum? Plures autem alii Patres non tantum aperte retulerunt, neque enim inde vel de Chrysostomo etiam consequens est, non retulisse, quod hoc loco disputationem non moverit, verum etiam isto argumento Arianos impugnaverunt: quin ipsum etiam Chrysostomum retulisse in eadem illa homilia apparet. Sic enim post illa verba: *Qui est benedictus in secula*, subiecit: „Pro omnibus ipse (de Paulo autem loquitur) gra-„tiam referens Unigenito Dei.“ Sed non disputavit. Cur ergo istorum potius auctoritas, qui disputarunt, in contrariam partem illos non movit? S. Paulus Christum etiam alibi vocat Deum, „Apparuit, „inquit, gratia Dei Salvatoris nostri omnibus homi-„nibus.“ Tit. 2. v. 11. et ad Timotheum 1. Epist. 2. v. 3. „Hoc enim bonum, et acceptum est co-„ram Salvatore nostro Deo.“ In Syriaca versione non esse Dei nomen falsum est, item illud apud S. Cyprianum existit non solum in manuscriptis, sed pluribus etiam editionibus. Nasus in critica pertinet solummodo ad indagandum: id autem, quod ex odoratu deprehensum est, librandum, et ponderandum deinde ratione est. Amen est ab Apostolo additum, illius, quod dixit Christum Deum esse benedictum in secula, atque ut numquam non benedicatur, voluntatis suae, ac desiderii indicandi gratia. Quoniam vero ante istud: *Et ex quibus est Christus*, proxime, quidem praecesserit nomen: *Patres*, remotius autem aliud nomen: *Israel*, nonnulla dubietas est, ad quod nomen, ex his duobus an-

tecedens respiciat pronomen: *ex quibus*, et referaturne ad Israelitas, vel ad patres. Cum priore: *Israelitae*, pronomen convenire, haec videtur potior esse ratio, quod cum de Israelitis fiat enumeratio, quas praerogativas habuerint, et inter has utique praecipuum locum tenere debeat Christus, qui secundum carnem ortus ex illis sit; hoc omnino de Christo ad Israelitas referendum sit. Id quod confirmatur etiam inde, quod Joannis 4. v. 22. sit: „Salus ex Judaeis."

6. *Non autem, quod exciderit verbum Dei.* „Id est, frustratum sit" ait S. Thomas in Commentario. De seminis autem, et posterorum Abrahae multiplicatione Dei verbum, atque promissio haec fuit, illa tanta, ut instar stellarum numeratio eorum fieri non posset. Genes. 15. v. 5. *Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitae.* 7. *Neque, qui semen sunt Abrahae, omnes filii.* Intelliguntur videlicet illi Israelitae, et Abrahae filii, ad quos illa Dei promissio respexerit. Quos nimirum Abraham filios, atque posteros non per naturalem generationem, sed alia via, et per solam Dei promissionem accepturus esset. *Sed in Isaac vocabitur tibi semen.* 8. *Id est, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine.* 9. *Promissionis enim hoc verbum est: secundum hoc tempus veniam, et erit Sarae filius.* Genes. 18. v. 10. „Si didiceris, ait S. Chrysosto-„mus homil. 16. quale sit semen Abrahae, vide-„bis datam esse promissionem semini eius, et cog-

„nosces non excidisse verbum eius. Quodnam igi-„tur, quaeso, semen est? Non ego dico, inquit, „sed ipsa lex vetus seipsam explicat, sic dicens: „*In Isaac vocabitur tibi semen.* Quid sit, *in Isaac* „explica. Id est, *non filii carnis, hi filii Dei sunt,* „*sed filii promissionis reputantur in semen.* Et vi-„de Pauli prudentiam, animique magnitudinem. In-„terpretans enim non dixit, non filii carnis filii sunt „Abrahae, sed filii Dei, praesenti vetera conne-„ctens, et ostendens, ne Isaac quidem simpliciter „fuisse filium Abrahae: id est, quicumque secun-„dum Isaac nati sunt, ii sunt filii Dei, et semen „Abrahae. Ideo enim dicit: *In Isaac vocabitur* „*tibi semen*, ut discas eos, qui hoc modo nati „sunt secundum Isaac, ii maxime semen sunt Abra-„hae. Quomodo igitur Isaac genitus est? Non se-„cundum legem naturae, neque secundum vim car-„nis, sed secundum vim promissionis. Quid sibi „vult secundum vim promissionis? *In tempore hoc* „*veniam ad te, et erit Sarae filius.* Haec igitur „promissio, et verbum Dei Isaacum formavit, et „genuit. Quid enim si vulva subiiciebatur, et ma-„trix mulieris? Non enim vis matricis, sed vis „promissionis filium genuit. Ita et nos nascimur „per Dei verba. Etenim in piscina aquarum (in „baptisterio) sunt Dei verba, quae nos generant, „et formant. Nam in nomine Patris, et Filii, et „Spiritus sancti baptizati generamur. Haec porro „generatio, non naturae, sed promissionis Dei est. „Sicut enim, cum Isaaci generationem promisisset,

„tunc illam implevit; sic et nostram ante multa prae-
„nunciavit tempora per omnes Prophetas, et postea
„in opus deduxit. Viden, quantum demonstraverit,
„et quod cum magnum quid promiserit, facillime
„illud perfecerit?“

10. *Non solum autem illa, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri.* Non solum autem Sara, de illa enim modo proxime antecessit: *Erit Sarae filius*, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri, intelligitur idem etiam hic, quod de partu Sarae, et nativitate Isaaci antecessit, ut in hoc partu Rebeccae Deus etiam non attenderit, et rationem habuerit naturalis generationis, sed suae promissionis erga Jacobum, quem altero gemello fratre Esau neglecto elegerit, atque assumpserit, quamvis ex iisdem parentibus, eodemque tempore essent et concepti, et in lucem editi. Atque istud alterum exemplum tanto luculentius est, non naturalis generationis habere Deum rationem erga eos, quos pro filiis Abrahae haberet, quod cum Isaac ex Sara uxore libera, Ismael vero, cui Isaac antelatus est, ex Agare ancilla sit natus; hic inter Jacobum, et Esau nullum, ne eiusmodi quidem discrimen sit, et non tantum ex iisdem parentibus generati, eodem concubitu concepti, unoque tempore nati sint; sed etiam is, qui ex his geminis posterior natus est, antepositus sit ei, qui editus est a matre prior.

11. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electio-*

nem propositum Dei maneret ; 12. *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei :* 13. *Quia maior serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Illud, maiorem serviturum minori, Rebeccae fuit dictum a Deo, cum foetum adhuc in utero gereret, et in eo gemelli colliderentur : Gen. 25. v. 23. alterum testimonium est ex Malachiae cap. 1. v. 2. Hic autem amor Dei erga Jacobum, non item erga Esavum, in eo constitit, quod is Jacobum, istiusque stirpem assumpserit in populum suum peculiarem, cum quo vetus foedus inierit, cui non tantum fertilissimam regionem ad habitandum concesserit, et innumeros favores praestiterit ; sed cui promissiones etiam illas omnes, quae ad Christum respicerent, quasque Abrahae dederat, tradiderit, cum nihil eiusmodi esset praestitum Esavi posteris, et hi non tantum asperam, a cultuque abhorrentem regionem ad habitandum accepissent, sed etiam Israelitis postea sub Davide fuissent subiecti, tributariique facti. Sic enim est ulterius deinde in Malachia de Esau : „Et posui montes eius in solitudinem, et haereditatem „eius in dracones deserti.“ Hinc ergo illud demonstrabatur, Deum in iis, quos pro Abrahae posteris, ad quos promissiones pertinerent eidem factae Abrahae, haberet ; non habere considerationem naturalis generationis, sed suae solius gratuitae electionis, et vocationis, ut ne horum quidem, quos eligeret, opera in considerationem vocet, qui [Jacobum] prae Esau elegerit, antequam quidquam boni, vel mali

egissent, utpote cum in utero adhuc ambo gestarentur, nec aliquam adhuc vel agendi facultatem habuissent. Itaque, quamvis hi, qui Abrahae filii, et Israelitae essent secundum carnem, in beneficio vocationis per Christum, repudiati fuissent a Deo; tamen Dei verbum non excidisse, firmamque eius esse promissionem de innumerabilitate posterorum; quam Deus non via naturalis generationis, sed suae promissionis Abrahae impleret et exhiberet, filiorum turbam innumerabilem ei praebendo, quos ille non secundum carnem ex se genuisset, sed qui ob fidem in Christum in fratres, et cohaeredes adoptati a Christo, qui semen Abrahae est, cui promissiones sunt factae, Gal. 3. v. 16. una etiam Abrahae filii fierent. Dum enim Christus Abrahae filius est, et qui in Christum credunt, Christi fratres fiunt; sequitur, ut hi iidem etiam fiant filii Abrahae, ac proinde in consortium illius promissionis, quae Abrahae facta est, venirent. Ex hoc vero duplici exemplo Isaaci a Deo assumpti prae Ismaele, et Jacobi prae Esavo, illud etiam inferebatur; ut quoniam Deus non Ismaelem per naturalem procreationem filium Abrahae, sed Isaacum, vi promissionis, quem accepisset filium, assumpsisset ad illud eius semen, in quo promissio, quam Deus ipsi fecerat, expleretur; et ex duobus gemellis Isaaci, minor antelatus esset maiori, siquidem Esau, quamvis eodem partu editus sit, tamen prior Jacobo fratre ex utero materno prodierit; Israelitas secundum carnem Abrahae posteros, et qui priores erant in notitia

veri Dei, a quo legem acceperint, esse postpositos gentilibus in vocationis gratia ad fidem, quodque ipsum, ita eventurum esse, illo exemplo de Isaaco, et Jacobo, iam olim esset a Deo praemonstratum. Ex quo vero iterum illud etiam ulterius intelligebatur, ut quoniam non ex operibus, sed ex vocante dictum esset: Quia maior serviet minori, Judaeos non habere, cur in vocatione ad fidem per Christum, quasi per legis opera, quibus illam meruerint, possent se anteferre gentilibus, qui scopus est primarius istius epistolae, quemadmodum in praefatione demonstratum est, esseque vocationis donum pure gratuitum. Quid autem illud: *Ex vocante*, adcurate significat? „Id est, respondet S. „Thomas in Commentario, ex ipsa gratia vocan„tis, de quo supra dictum est: Quos praedestina„vit, hos et vocavit.“ Est autem istud opposite dictum ad illud: *Non ex operibus:* deinde non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, ideo docet Apostolus, ut secundum electionem propositum Dei maneret: ergo hoc: *Ex vocante* tantumdem significat, atque si Deus dixisset, istud se velle, ut fiat, ut maior serviat minori, atque istius rei tota illa ratio sit, Deum ita voluisse, nec praeter Dei voluntatem, atque beneplacitum quidquam in Jacobo, cur ei minori frater serviret maior, ex parte ipsius, et quo Deus esset motus, ut eum fratri maiori anteferret, fuisse.

Hoc vero, quoniam ita positum a Paulo est, ut doceret, tamquam in exemplo, qua ratione, qui

donum adoptionis filiorum adepti essent; vocati essent ad fidem, non ex suo aliquo merito, sed puro Dei volentis beneplacito, veluti Jacob; S. Augustino invictissimum telum praebuit adversus Pelagianos, qui contenderent gratiam secundum merita dari; et cum inde, quod saepe in infantibus eveniret, premerentur, quorum alter baptizatus moreretur, et salutem adipisceretur; alter non baptizatus, et mortuus sine baptismo ex regno caelorum excluderetur, cum uterque in aetate infantili mortuus, nihil boni adhuc agere, propter rationis defectum, potuisset; eo recurrerent; ut dicerent, Deum futurorum operum rationem habuisse, cur uni infanti prae altero gratiam baptismi tribuerit, quae praeviderit, et cum hoc ipsum de Jacobo, et Esau, cur alterum Deus dilexerit; alterum odio habuerit, eo torquere ad suum praevisionis dogma voluissent; sic illos refutavit S. Augustinus in Epistola 194. ad Sixtum. ,, Deus, inquit Rebeccae, habenti ge-
,, minos ex uno concubitu Isaac patris nostri, cum
,, illi nondum nati, nihil egissent boni, vel mali,
,, ut secundum electionem propositum eius maneret,
,, electionem scilicet gratiae, non debiti; electionem,
,, qua eligendos facit ipse, non invenit; non ex ope-
,, ribus, sed ex vocante dicit, minori serviturum
,, esse maiorem. In quam sententiam beatus Apo-
,, stolus etiam testimonium Prophetae longe poste-
,, rioris assumpsit, *Jacob dilexi*, *Esau autem odio*
,, *habui*, ut intelligeretur hoc apertum postea per
,, Prophetam, quod antequam illi nascerentur, erat

„in Dei praedestinatione per gratiam. Quid enim „diligebat in Jacob, antequam natus fecisset ali„quid boni; nisi gratuitum misericordiae suae do„num? Et quid oderat in Esau, antequam natus „fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? „Nam neque in illo diligeret iustitiam, quam nul„lam ille fecerat; neque in isto odisset naturam, „quam bonam ipse fecerat. Mirum est autem, cum „his coarctantur angustiis, in quanta se abrupta „praecipitent, metuentes retia veritatis. *Ideo*, in„quiunt, *nondum natorum alium oderat, alium di„ligebat, quia eorum futura opera praevidebat.* „Quis istum acutissimum sensum defuisse Aposto„lo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quan„do sibi, velut adversantis obiecta quaestione, non „id potius tam breve, tam apertum, tam, sicut „isti putant, verum, absolutumque respondit. Cum „enim rem stupendam proposuisset, quomodo de „nondum natis, nec aliquid agentibus boni, aut „mali recte dici potuerit, quod unum Deus dile„xerit, alium odio habuerit, ipsa sibi obiecta quae„stione motum exprimens auditoris, *Quid ergo „dicemus*, inquit, *numquid iniquitas apud Deum? „absit.* Hic ergo erat locus, ut diceret, quod isti „sentiunt; *Futura enim opera praevidebat, quando „minori maiorem serviturum dicebat.* Non autem „hoc Apostolus dicit, sed potius, ne quisquam de „suorum operum audeat meritis gloriari; ad Dei „gratiam, et gloriam commendandam voluit va„lere, quod dixit. Cum enim dixisset: *Absit, ut*

„*sit iniquitas apud Deum*, tamquam ei diceremus, „unde hoc ostendis, cum asseras, non ex operi„bus, sed ex vocante dictum esse, Maior serviet „minori; *Moysi enim dicit*, inquit, *Miserebor*, „*cui misertus ero*, *et misericordiam praestabo*, „*cui misericors fuero. Igitur non volentis*, *neque* „*currentis*, *sed miserentis est Dei.* Ubi nunc me„rita, ubi opera, vel praeterita, vel futura, tam„quam liberi arbitrii viribus adimpleta, vel adim„plenda? Nonne apertam protulit Apostolus de gra„tuitae gratiae, hoc est, de verae gratiae com„mendatione sententiam? Nonne stultam fecit Deus „haereticorum sapientiam? Quid autem agebatur, „ut hoc Apostolus diceret, ut eorum geminorum „commemoraret exemplum? Quid persvadere mo„liebatur? quid inculcare cupiebat? Nempe hoc, „quod ipsum oppugnat amentia, quod superbi non „capiunt, quod superbi nolunt, qui ignorantes Dei „iustitiam, et suam volentes constituere, iustitiae „Dei non sunt subiecti. De ipsa quippe gratia sa„tis agebat Apostolus, et ideo promissionis filios „commendabat. Quod enim promittit Deus, non „facit nisi Deus. Habet namque aliquid rationis, et „veritatis, ut homo promittat, et Deus faciat: ut „autem homo se facere dicat, quod promiserit „Deus, superbae impietatis est reprobus sensus. „Commendans ergo filios promissionis, hoc primum „significatum ostendit per Isaac filium Abrahae. „Evidentius namque opus Dei apparet in eo, quem „non genuit usitatus ordo naturae de sterilibus vi-

„ sceribus, et senectute confectis, ut in filiis Dei, „ qui futuri praenunciabantur, hoc esset signum Di- „ vini operis, non humani. *In Isaac*, inquit, *vo-* „ *cabitur tibi semen: hoc est, non qui filii carnis,* „ *ii filii Dei, sed filii promissionis deputantur in* „ *semen. Promissionis enim verbum hoc est: Ad* „ *hoc tempus veniam, et erit Sarae filius. Non* „ *solum autem*, inquit, *sed et Rebecca ex uno con-* „ *cubitu habens Isaac patris nostri.* Quo pertinuit, „ ut adderet, ex uno concubitu, nisi ut non solum „ de suis, neque de parentum meritis aliorum, sed „ ne de ipsius quidem unius patris, mutata forte in „ melius voluntate gloriaretur Jacob, dicens, ideo „ se a Creatore dilectum, quia pater eius, quando „ eum seminavit, melioribus laudabilior moribus „ fuit? Ex uno, inquit, concubitu: unum tunc ad „ eos seminandos meritum patris, unum ad conci- „ piendos meritum matris. Quia etsi mater eos, do- „ nec pareret, visceribus portavit inclusos, et forte „ voluntates, actionesque variavit; non uni, sed „ ambobus utique variavit, quos pariter ventre por- „ tavit. Intentio igitur intuenda est Apostoli, quo- „ modo propter gratiam commendandam noluit eum, „ de quo dictum est, *Jacob dilexi*, nisi in Domi- „ no gloriari, ut eum ex eodem patre, eadem ma- „ tre, uno concubitu, antequam aliquid egissent „ boni, aut mali, alterum Deus diligit, odit alte- „ rum; intelligat Jacob, ex illa massa originalis ini- „ quitatis, ubi fratrem suum, cum quo habuit com- „ munem causam, videt per iustitiam meruisse da-

„mnari, nonnisi per gratiam se potuisse discerni. „Nondum enim nascentibus, nec agentibus bonum, „aut malum, ut secundum electionem propositum „Dei maneret, non ex operantibus, sed ex vo- „cante dictum est ei, Maior serviet minori.“

14. *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit.* Eo pertinet haec interrogatio, quod dixerit Jacobum, et Esau, cum nondum nati fuissent, nec aliquid boni, vel mali fecissent solius Dei proposito, alterum fuisse dilectum, alterum odio habitum ab eo. 15. *Moysi enim dicit: Miserebor, cuius misereor: et misericordiam praestabo, cuius miserebor.* 16. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quod Deus Moysi respondit, clarius sic est versum in nostra Vulgata. Exod. 30. v. 19. unde hoc testimonium a Paulo, sed secundum Versionem Septvaginta citatum est: *Miserebor, cui voluero, et clemens ero, in quem mihi placuerit.* Quod ad Jacobum refertur, Dei erga illum dilectionem, eiusque ab eo electionem fuisse pure gratuitam, et sine ullo eius merito: et unde deinde concludit: *Igitur non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* Ex singulari exemplo Jacobi generalem facit illationem, in nemine gratiae, et electionis bonum esse per propriam voluntatem, aut conatum, sed ex sola misericordia Dei. Non est hominis volentis, quia ipsa bona voluntas est effectus Divinae gratiae. „Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, „et perficere pro bona voluntate:“ Phil. 2. v.

12. nec sponte currentis, dicente Sponsa ad Sponsum: „Trahe me: post te curremus in odorem „ungventorum tuorum.“ Cant. 1. v. 3. Et „Nemo „potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.“ Joan. 6. v. 44. „Non ergo ideo misertus est Deus, „ait S. Augustinus lib. 1. Oper. Imp. num. 41. quia „voluit, et cucurrit Jacob; sed ideo voluit, et cucur„rit Jacob, quia misertus est Deus. Paratur enim vo„luntas a Domino, et a Domino gressus hominis diri„guntur.“ Non ex beneficentia autem, non ex liberalitate repetitur gratiae donum, sed ex misericordia, quia iis datur, qui non tantum nihil habent, quo meruissent accipere a Deo gratiae donum; sed qui etiam filii irae sint, et meruissent damnari.

17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuncietur nomen meum in universa terra.* 18. *Ergo cuius vult, miseretur, et quem vult, indurat.* „Quia propter Jacob, ait „S. Augustinus in eodem, quem paulo ante cita„veram loco, dicta est ista sententia generalis: „Non volentis, neque currentis, sed miserentis „est Dei; datur etiam exemplum de Pharaone pro„pter id, quod dictum est: *Esau autem odio ha„bui*, et subiicitur: Dicit enim Scriptura Pharaoni, „quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te vir„tutem meam, et ut annuncietur nomen meum „in universa terra. Post haec ad utrumque con„cluditur: Ergo, cuius vult, miseretur; et quem „vult, obdurat. Sed miseretur utique secundum

„ gratiam, quae gratis datur, non meritis redditur: „ obdurat autem secundum iudicium, quod meri- „ tis redditur. De massa quippe damnata facere „ vas in honorem, manifesta est gratia: facere „ autem inde vas in contumeliam, iustum iudicium „ est." Testimonium de Pharaone est desumptum ex Exodi capite 9. versu 16. Ubi quod a Paulo secundum Versionem Septvaginta Interpretum, *Excitavi te*, ἐξήγειρά σε, positum est, in Hebraico est *stare te feci*, (הֶעֱמַדְתִּיךָ) constitui, vel, quemadmodum in Versione Vulgata est: *posui te*. Cuius sensum illo in loco demonstratum est, esse hunc, Pharaonem a Deo non eo minus esse et regem constitutum, et etiam productum, quod eum sciret tantopere sibi adversaturum, et contrarium futurum; qui illius tanta perversitate, et nefario conatu, quo eius mandato, de dimittendis Israelitis e servitute, se se opposuerat toties, uteretur ad potentiae suae magnitudinem demonstrandam, unde ab aliis timeretur. Nec tamen malitiam Pharaonis Deus voluit aliter, quam permittendo. „ Non „ enim Deus volens iniquitatem tu es." Psal. 5. v. 5. Dum ergo dicitur Deus Pharaonem in hoc ipsum excitasse, non malitiae causa, quam exerceret, hoc intendit, sed qua ipsa eius malitia, cum eam praevidisset, uteretur ad potentiam suam ostendendam. *Ergo cuius vult miseretur, et quem vult, indurat.* Misereri, et indurare sunt ad se invicem opposite dicta. Ergo, quoniam misericordiae contrarium est, non misereri; induratio etiam

non aliud significat, quam eius, qui induratur, Deum non misereri. ,, Obduratio Dei est, ait S. ,, Augustinus lib. 1. ad Simplician. Quaest. 1. nol- ,, le misereri; ut non ab illo irrogetur aliquid, quo ,, sit homo deterior; sed tantum, quo sit melior, ,, non erogetur. " Non misereri autem, quoniam supponit eum, cui misericordia non exhibetur, poena, et supplicio esse dignum, poena autem sit stipendium peccati; intelligitur hominis ipsius esse meritum, ut eius Deus misereatur, dum eum punit; Divinae autem tantummodo benignitatis, si misereatur. ,, Quaerimus meritum obdurationis, ait S. ,, Augustinus in epistola 194. ad Sixtum, et inve- ,, nimus. Merito namque peccati universa massa ,, damnata est. Nec obdurat Deus impertiendo ma- ,, litiam, sed non impertiendo misericordiam. Qui- ,, bus enim non impertitur; nec digni sunt, nec me- ,, rentur: at potius, ut non impertiatur; hoc digni ,, sunt, hoc merentur. Quaerimus autem meritum ,, misericordiae, nec invenimus: quia nullum est, ,, ne gratia evacuetur, si non gratis donatur, sed ,, meritis redditur. "

19. *Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? Voluntati enim eius, quis resistit?* ,, Hanc contra- ,, dictionem sibimetipsi, eiusdem S. Augustini sunt ,, verba in eadem epistola ad Sixtum, tamquam, ,, ab altero opposuit, velut ex eorum voce, ,, qui nolunt accipere, quod superius dixerat, *Er-* ,, *go cuius vult, miseretur, et quem vult, obdurat.* Conqueritur enim Deus (in lib. 1. ad Simplicia-

,, num

„num Quaest. 1.) saepe de hominibus, sicut per „innumerabiles apparet Scripturarum locos, quod „nolint credere, et recte vivere. Unde fideles, et „facientes voluntatem Dei, conversari dicuntur si„ne querela Luc. 1. v. 6. quod de illis non quera„tur Scriptura. Sed quid conqueritur, ait? Nam „voluntati eius quis resistit, quando cuius vult, „miseretur, et quem vult, obdurat? Et tamen „intueamur superiora, et inde nostram, quantum „ipse Dominus adiuvat, sententiam dirigamus. Ait „enim paulo ante, *Quid ergo dicemus? numquid „iniquitas est apud Deum? Absit.* Sit igitur hoc „fixum, atque immobile in mente sobria pietate, „atque stabili in fide, quod nulla est iniquitas apud „Deum, atque ita tenacissime, firmissimeque cre„datur, idipsum, quod Deus, cuius vult, mise„retur, et quem vult, obdurat, hoc est, cuius „vult, miseretur, et cuius non vult, non misere„tur; esse alicuius occultae, atque ab humano „modulo investigabilis aequitatis, quae in ipsis „rebus humanis, terrenisque contractibus animad„vertenda est. Nam cum dando, et accipien„do inter se hominum societas connectatur; „dentur autem, et accipiantur vel debita, vel non „debita; quis non videat, iniquitatis argui nemi„nem posse, qui, quod sibi debetur, exegerit? „nec eum certe; qui, quod ei debetur, donare „voluerit? hoc autem non esse in eorum, qui de„bitores sunt, sed in eius, cui debetur, arbitrio? „Sunt omnes homines, quandoquidem, ut Apo-

„stolus ait, in Adam omnes moriuntur, 2. Cor. „15. v. 22. a quo in universum genus humanum „origo ducitur offensionis Dei, una quaedam massa „peccati, supplicium debens Divinae, summae„que iustitiae, quod sive exigatur, sive donetur, „nulla est iniquitas. A quibus autem exigendum, „et quibus donandum sit, superbe iudicant debi„tores: quemadmodum conducti ad illam vineam „iniuste indignati sunt cum tantumdem aliis do„naretur, quantum illis redderetur. Matth. 20. v. „11. Itaque huius impudentiam quaestionis ita „retundit Apostolus: *O homo, tu quis es, qui respon„deas Deo?* Sic enim respondet Deo, cum ei displi„cet, quod de peccatoribus conqueritur Deus, qua„si quemquam Deus peccare cogat, si tantummo„do quibusdam peccantibus misericordiam iustifi„cationis suae non largiatur, et ob hoc dicatur, „dicatur obdurare quosdam peccantes, quia „non eorum miseretur, non quia impellit, ut „peccent. Eorum autem non miseretur, quibus „misericordiam non esse praebendam, aequitate „occultissima, et ab humanis sensibus remotissima „iudicat. Inscrutabilia enim iudicia eius, et inve„stigabiles viae ipsius. Rom. 11. v. 33. Conque„ritur autem iuste de peccatoribus, tamquam de „his, quos peccare ipse non cogit."

20. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* (Graece: σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ Θεῷ; *Tu quis es, qui obloquaris Deo?*) *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic?*

21. *An non habet protestatem figulus luti ex eadem massa facere quidem aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* „Haec massa, ait S. „Augustinus in epistola 186. ad Paulinum, si es„set ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita „nec mali aliquid mereretur; non frustra videretur „iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. „Cum vero per liberum arbitrium primi hominis „in condemnationem universa defluxerit: procul„dubio, quod ex ea fiunt vasa in honorem; non „ipsius iustitiae, quae gratiam nulla praecessit, „sed Dei misericordiae; quod vero in contume„liam, non iniquitati Dei, quae absit, ut sit apud „Deum, sed iudicio deputandum est. Hoc quisquis „cum Ecclesia Catholica sapit, non contra gratiam „pro meritis disputat; sed misericordiam, et iu„dicium cantat; ut nec misericordiam recuset in„gratus; nec iudicium accuset iniustus."

22. *Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam; sustinuit in multa patientia vasa irae apta in interitum,* 23. *ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam.* Non est completa oratio, sed intelligitur hic illud, quod antecessit, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo.* Non eadem autem hic est ratio loquendi de Deo erga vasa irae, et misericordiae: haec dicitur ipse praeparasse in gloriam, ut scilicet fierent vasa gloriosa; illa vero, quae iam ex se apta essent in interitum, sustinuisse in multa patientia, ut il-

lud intelligeretur opus esse Dei, hoc hominis, quod tantum abest, ut voluerit, suaque voluntate promoverit, ut in eo sufferendo multam etiam patientiam dicatur exhibuisse. 24. *Quos et vocavit non solum ex Judaeis, sed etiam ex gentibus.* Eos videlicet, qui essent vasa misericordiae. 25. *Sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* 26. *Et erit: In loco, ubi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi.* Hoc est, vocabo eam, quae non fuit plebs mea, plebem meam. Erant enim gentiles prius sine Deo, et extra illius cultum, et Religionem positi, quos ne alicuius populi quidem appellatione Deus dignos censeret, Deut. 32. v. 21, et quos ad suum cultum sibi eiusmodi foedere devinctos non habuerit, quali erant Israelitae; neque erga quos tantam beneficentiam, quantam erga Israelitas, quos in peculiarem suum populum assumpserat, exhibuerit. Et cum antea tantum ab Israelitis coleretur Deus, secundum illud Psalmi 75. v. 2. „Notus in Judaea Deus, in „Israel magnum nomen eius," deinde ubique terrarum ex iis fierent filii Dei, qui ne Dei quidem populus ad illud tempus fuerunt. Oseae autem capite 1. versu 10. haec existit praedictio de gentium conversione.

27. *Isaias autem clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel, tamquam arena maris, reliquiae salvae fient.* Pro Israel, Graece:

ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ, *de Israel.* Hanc enim vim significationis haec praepositio etiam habet, ut eam sic vertit etiam Vulgatus Interpres 2. Cor. 9. v. 2. cap. 12. v. 5. Sic ergo his ambobus productis testimoniis ex Osea pro gentilium conversione, et ex Isaia cap. 10. v. 22. pro Judaeorum solis reliquiis, rem agit, ut iterum illud probaret, quod initio huius capitis fuit, suos populares, pro quibus cupiverat esse anathema, quoad maximam partem reprobandos a Deo esse. 28. *Verbum enim consummans, et abbrevians in aequitate: quia verbum breviatum faciet Dominus super terram.* Verbum enim consummans, et abbrevians in aequitate Graece: Λογὸν γὰρ συντελῶν, καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ: *Verbum* (est Deus) *consummans, et abbrevians in aequitate.* Quod testimonium adhuc est ex Isaia, ita ut Apostolus primo suis verbis sensum prophetiae ponat, deinde verba etiam ipsius Prophetae subiiciat: *Quia verbum breviatum faciet Dominus.* Proxime autem, et literaliter respiciebat haec praedictio ad illam Judaici populi stragem, et devastationem, quae per Sennacheribum regem Assyriorum impendebat, cum vastata tota Judaea sola Jerusalem fuisset immunis conservata, et ex quibus reliquiis Judaeorum populus iterum repullularet; et quae res cum typice pertinuisset ad designandam futuram Judaeorum reprobationem per Christum; idcirco ad eam probandam usus est hocce testimonio Paulus. Verbum autem consummans, et abbrevians facturum Deum, significat, Deum rem, cuius denunciatio iam apud


Isaiam praecesserat, esse perfecturum, et Israeliticum populum ad paucitatem redacturum. Nam verbum pro re, quae fit, Hebraeorum consvetudine loquendi sumi, res nota est. 29. *Et sicut praedixit Isaias: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus.* Idem hoc etiam altero testimonio Isaiae confirmat ex capite 1. v. 9. Sodoma, et Gomorrha funditus eversae, et perditae sunt civitates. Docet igitur idem seipsos etiam supplicium meruisse, nec ulla gratia fuisse dignos; nisi Deus saltem semen aliquod ex ipsis sua benignitate voluisset relinquere. Hoc vero semen eaedem illae sunt reliquiae, quae ex omni multitudine Judaeorum electae sunt a Deo, ut Divinae vocationis ad fidem consequerentur gratiam, et ex quibus reliquiis, tamquam e quodam semine populus Israeliticus iterum novus reflloresceret in locum veteris, qui periisset, et esset reprobatus a Deo. Apostolorum enim praedicatione Evangelii, gentium facta est conversio ad fidem, novusque Dei populus effloruit.

30. *Quid ergo dicemus? quod gentes, quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem, quae ex fide est.* 31. *Israel vero sectando legem iustitiae in legem iustitiae non pervenit.* Israel sectando legem iustitiae in legem iustitiae non pervenit. Gentes vero apprehenderunt iustitiam, quae ex fide est. Lex, quam Israelitae habuerunt, non poterat eos iustificare. „Si enim

„per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus „est.“ Gal. 2. v. 21. Habendo tamen hancce legem, legem iustitiae sectabantur, quia haec lex ipsos manuducebat ad Christum, si ductum illius sequi voluissent. Sic enim loquitur Apostolus: „Priusquam veniret, inquit, fides, sub lege custodie„bamur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat. „Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo, ut „ex fide iustificemur.“ Gal. 3. v. 23. Quatenus ergo sub lege erant, sectabantur legem iustitiae, quin tamen eam assequerentur, quia non pervenerunt ad fidem, per quam iustificarentur, et per quam fidem gentes, cum eam suscepissent, sunt iustificatae.

32. *Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus.* Redditur ratio, cur Israel sectando legem iustitiae, ad legem iustitiae, hoc est, ad fidem, non pervenerit, quod in operibus legis confiderent, unde iustificarentur. Nam cum Christus illis praedicaretur, et Evangelium annunciaretur, credere in Christum noluerunt, confidentes in lege, et per quam se putarent salutem adepturos. Fides autem lex iustitiae appellatur, quod nonnisi ista fidei via obtineri posset iustificatio, et quam legem veniendi ad iustitiam Israelitis Deus tradidisset in illa ipsa lege, quam sectabantur, utpote cuius finis esset Christus ad iustitiam omni credenti. Rom. 10. v. 4. *Offenderunt enim in lapidem offensionis,* 33. *sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali, et omnis, qui credit in eum, non confundetur.* „Impingere est, ait S. Chrysosto-

„mus homil. 16. non credere. Impingere autem ex „eo provenit, quod non attendatur, et quod ad alia „inhietur. Quia igitur hi legi attendebant, impege„runt in lapidem.“ Christus fuit a Deo propositus tamquam lapis fundamenti, ad quod omnes, qui salutem vellent adipisci, deberent accedere, et veluti lapides super illo lapide exstrui, ut sic fierent domus Dei. „Ad quem accedentes lapidem vivum, „ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem „electum, et honorificatum, et ipsi, tamquam la„pides vivi, superaedificamini domus spiritualis.“ 1. Petr. 2. v. 4. Judaei autem in Christum credere noluerunt, sed e contrario persequebantur, et occiderunt illum. Ista ratione in illum impegerunt, seque ipsos confregerunt: quemadmodum est dictum ab ipso Christo: „Lapidem, quem reprobaverunt „aedificantes, hic factus est in caput anguli: et „qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; „super quem vero ceciderit, conteret eum.“ Matth. 21. v. 44. Atque ideo Christus iam etiam prophetico oraculo Isaiae lapis offensionis, petraque scandali fuit appellatus, a quo esset praenunciatum, Judaeos impingendo in Christum per incredulitatem, se esse confracturos.



CAPVT X.

Judaeos, dum suam iustitiam statuere conantur per legem, non esse Dei iustitiam assecutos, quae est ex fide, quamque iustificationis rationem Deus omnibus, tam Judaeis, quam gentilibus proposuerit. Fidem esse ex auditu, cuius praedicatio ad universum orbem pertineat, et quam gentiles prae Judaeis susceperint.

1. *FRATRES, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.* 2. *Testimonium enim perhibeo illis, quod aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Aemulationem Dei, Graece est: ζῆλον Θεοῦ, *zelum Dei.* Tamquam enim pro Deo sibi videbantur pugnare, illiusque causam agere, dum adversus fidem in Christum, legis studium ante se ferrent, et pro ea defensionem susciperent. Quae eorum aemulatio, et qui fervor pro lege non erat secundum scientiam, siquidem adversus ipsam legem agerent, quae ipsos remitteret ad Christum, et ad viam fidei dirigeret obtinendae iustificationis gratia, quam ipsa per se non posset praestare. 3. *Ignorantes enim iustitiam Dei, et suam quaerentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti.* „Ignorantes Dei iustitiam, id „est, ait S. Augustinus lib. 3. cap. 1. contra duas „epistolas Pelagianor. quae est homini ex Deo, ut „sit iustus, et suam volentes constituere, tamquam „per eorum, non adiutum Divinitus arbitrium, lex

„possit impleri, iustitiae Dei non sunt subiecti.“ Quid est, iustitiae Dei non sunt subiecti? non assequuntur Dei iustitiam. „Justitia enim Dei per „fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui „credunt in eum.“ Rom. 3. v. 22. Sic enim est dictum ab eodem Apostolo etiam supra capitis 6. versu 18. „Liberati autem a peccato, servi facti „estis iustitiae.“ Et rursus in contrarium: „Cum „enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae.“ Intelligitur itaque illa subiectio erga iustitiam, ad quam a Deo positi, huic postea servirent. Quoniam autem in lege sibi constituerent iustitiam, atque sub hac vellent esse sine fide in Christum, nec fidei erga Christum se se vellent subiicere; non erant etiam Dei iustitiae subiecti, quae nonnisi per fidem posset venire in ipsos.

4. *Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.* „Lex paedagogus noster fuit, ait Apo„stolus, in Christo, ut ex fide iustificemur.“ Gal. 3. v. 25. Hunc igitur finem habuit lex, ut ad Christum duceret, atque mitteret. Hoc ergo eo pertinebat, ut doceret, fidem in Christum non tantum non esse adversariam legi, sed ipsius legis etiam hunc esse scopum, ut fides exhibeatur Christo, et eum, qui in Christum crederet, id, quod ipsa lex intenderet, esse assecutum; eum, qui non crederet, deviare a lege, nec attigisse eius scopum, ac proinde Judaeos, quamvis tanti essent aemulatores legis, contrarios ipsi legi esse, respuendo fidem in Christum, qui finis, atque scopus esset legis. „Ne

„ergo inquit timeas, ait S. Chrysostomus homil. „17. quasi legem transgrediens, postquam ad fi„dem accessisti. Tunc enim illam transgrederis, „cum propter ipsam Christo non credis. Contra, si „Christo credideris, legem implevisti."

5. *Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam, quae ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea.* Graece: Μωσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς: *Moyses enim scribit iustitiam, illam ex lege, quia faciens illa, homo, vivet in ipsis:* hoc est, faciens illa, quae sunt legis, vivet in ipsis. Sic enim est Levitici cap. 18. v. 5. ipsum hoc testimonium, quod Paulus produxit: „Custodite le„ges meas, atque iudicia, quae faciens homo vi„vet in eis." Quod idem etiam repetitur Ezechielis 20. v. 11. „Et dedi eis praecepta mea, et iu„dicia mea ostendi eis, quae faciens homo vivet „in eis." Et quod testimonium etiam ad Galatas cap. 3. v. 12. Paulus citans sic inquit: „Quoniam „autem in lege nemo iustificatur apud Deum, ma„nifestum est, quia iustus ex fide vivit. Lex autem „non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis." Quorsum ergo pertinuit istius testimonii Moysis allegatio a Paulo? Cum Judaei sibi ex lege vellent iustitiam constituere, ille vero esset pro iustitia ex fide; ex Moyse demonstravit rationem iustitiae, quae fuerit sub lege, et quae esset per fidem. Illud autem alterum hocce, quod modo produxit, testimonio probat; alterum deinde declarat rursus per Moy-

sem. Dicitur ergo, eum, qui ea faceret, quae sunt legis, victurum in his. Et quoniam Paulus affirmat, hoc ipsum citans, neminem in lege iustificari apud Deum; intelligitur eum, qui Dei leges observaret, victurum quidem in hac observantia, sed non vi istius observantiae, sed per fidem, siquidem iustus ex vide viveret. In lege igitur ostendebatur vita esse, sed non ex lege, hoc est, legem quidem esse observandam, neque enim legem destruimus per fidem, sed statuimus, Rom. 3. v. 31. sed legem tamen non profuturam, cuius finis esset Christus, nisi ad eam accederet spiritus fidei. „Verum ergo „dicit lex, ait S. Augustinus lib. 4. contra duas „epist. Pelagianor. Cap. 5. Qui fecerit ea, vivet „in illis. Sed ut faciat ea, et vivat in eis, non lex, „quae hoc imperat; sed fides est necessaria, quae „hoc impetrat.“

6. *Quae autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis adscendet in caelum? id est, Christum deducere: 7. aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare. 8. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod praedicamus. 9. Quia, si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Hoc a Moyse de observantia legis est ad Israelitas dictum Deuteronomii cap. 30. v. 11. „Mandatum „hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra „te est, neque procul positum; nec in caelo si-

„tum, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cae-„lum adscendere, ut deferat illud ad nos, ut au-„diamus, atque opere compleamns? neque trans „mare positum, ut causeris, et dicas: Quis ex no-„bis poterit transfretare mare, et illud ad nos us-„que deferre, ut possimus audire, et facere, quod „praeceptum est? Sed iuxta te est sermo valde in „ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum.“ Vetus autem lex figuravit novam legem Evangelii. Erat enim lex umbram habens futurorum bonorum. Hebr. 10. v. 1. Quod ergo de facultate observandae legis fuit dictum a Moyse, referebatur typice ad legem Evangelii, et ad fidem. Quid autem intendit hic probare Paulus? Cum docuisset, quaenam ratio iustitiae fuerit sub lege, in qua quamvis vivi potuisset, non tamen vita haberetur ex ipsa lege, sed per fidem; declarat viam fidei multo etiam faciliorem esse viam obtinendae iustificationis, quam illam per ambages legis, quae cum per se iustitiam non posset praestare, cogeretur semper eos, quos sub se haberet, remittere ad fidem, iustitiae causa, si eius compotes vellent esse. Contra Judaeos enim agit, qui sibi in lege iustitiam vellent constituere, et contra quos probabat, hanc iustitiam, non haberi in lege, sed ex ipsius legis etiam proposito esse quaerendam ex fide. Qua ratione autem hanc iustitiae obtinendae facultatem per fidem ex isto Moysis testimonio, quod is de lege dixerat, demonstrat, et quae illius, quod a Moyse de legis observantia dictum est, cum eo, quod a

Paulo de facilitate iustificationis per fidem, est inter se convenientia? Dum quod Moyses de lege dixit, illius habendae causa non esse adscendendum in caelum, neque transfretandum mare; Paulus ad Christum retulit, huius aut e caelo deducendi, non esse adscendendum in caelum; nec in quem mortuum, et a morte resurgentem oporteret credere, huius a morte excitandi in abyssum esse descendendum; clare indicavit etiam illud, quod a Moyse erat de lege dictum, sic esse de illa dictum, ut hoc ad eius finem pertineret, qui erat Christus, quae in statu etiam veteris suae durationis impleri non posset, nisi per spiritum fidei in Christum. Christum ergo, si quis iuberetur e caelo deducere, vel a morte excitare, quorum altero indicatur Christi, qui e caelo descenderit, Divinitas, altero mors, et a morte resurrectio, quaeque nobis de Christo, esse hunc verum Deum, et hominem, illiusque morte nos esse redemptos, sunt credenda, id dicit omnino esse supra nostras vires. Quod dum de lege etiam idem dixit Moyses, nisi quod descensum in abyssum Paulus posuerit pro maris transfretatione, clarius id exprimens, quod erat a Moyse positum attendendo ad scopum, quo referretur; proculdubio intelligitur, eiusdem legis finem fuisse Christum, quem Deum credimus, qui de caelo descenderit, homoque sit factus, et cum pro nobis esset mortuus, resurrexerit a morte. Sed non istud postulari a nobis, ut aut e caelo Christum deducamus, aut ut ab inferis eum mortuum revocemus, sed solum-

modo ut istud a nobis credatur. Hoc autem verbum prope est in ore tuo, et in corde tuo. Os, est positum pro cognitione, cor pro voluntate. Nam quod quis ore proferre, atque explicare scit; illius profecto etiam habet cognitionem: deinde ponitur etiam os pro eius, quod quis in corde haberet, externa declaratione, qua ratione etiam hic Paulus istud in versu nono, et decimo sumit. Dicitur ergo verbum fidei, quod praedicarent Apostoli, esse unicuique prope in ore, et corde, sive cuius habendi in ore, et corde quisque haberet facultatem, dum illud ei praedicatur: cumque ex fide sit iustitia, per Evangelium, et viam fidei paratissimam esse obtinendae iustificationis rationem. Quod autem de lege est per Moysem dictum, prope esse verbum uniuscuiusque ori, atque cordi, quoniam haec, ut iam dictum est, typus fuit novae legis Evangelii, per typicum sensum istud iterum Paulus applicuit ad verbum fidei.

10. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Respicit hoc ad illud, quod superius citavit, Moysis testimonium: „Prope „est verbum in ore tuo, et in corde tuo“ ut quemadmodum erga legem os, atque cor fuissent necessaria; ita hoc utrumque etiam concurrere oporteret in fide confitenda. Quare superiore etiam versu fuit: „Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, „et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.“ Si vero corde creditur ad iustitiam, et qui iustus factus est, certe

quidem etiam salvus fiet, cur, postquam dictum est, *Corde creditur ad iustitiam*, illud, adhuc: *Ore autem confessio fit ad salutem*, additum est? Nempe, qui credit, statim ut credit, iustus fit. Non tamen adhuc salutem adeptus est. Huic ergo, necesse est, fidem deinde etiam profiteri ore, aliter salutem non adipiscetur. „Quid prodest, ait S. Au„gustinus Serm. 280. corde credidisse ad iustitiam, „si os dubitat proferre, quod corde conceptum „est?" Cum vero Apostolus dicat: „Confitentur se „nosse Deum, factis autem negant" Tit. 1. v. 16. nec vero, qui factis Deum negant, salutem adipiscantur, quos ibi Paulus abominatos, incredibiles, et ad omne opus bonum reprobos vocat; intelligitur, Apostolum, dum hic ore fieri confessionem ad salutem dixit; os non tantum pro ea confessione, quae sola lingva fieret, verum etiam quae operibus exhiberetur, posuisse, tamquam sine quibus fides esset mortua.

11. *Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Ex Isaiae capite 28. versu 16. sed secundum versionem Septvaginta. Ad illud autem probandum, et confirmandum hoc pertinet, quod nono versu fuit, eum, qui in ore suo, et corde Christum confiteretur, salvum futurum. 12. *Non enim est distinctio Judaei, et Graeci. Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* 13. *Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Ex Joelis capitis 2. versu 32. est hoc testimonium.

Pertinet.

Pertinet eo haec Pauli argumentatio, via fidei patere omnibus salutem nullo discrimine, sive illi Judaei, sive gentiles sint. Quo rursus illa Judaeorum de lege opinio evertitur, qua se inter Romanos, cum in Christum credidissent, anteferrent iis, qui ex gentilibus fidem susceperunt, quasi istis ipsi digniores fuissent, et alicui eorum merito reddita fuisset gratia a Deo, quam perinde ut gentiles nonnisi per fidem adepti essent.

14. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante?* 15. *quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur, sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona?* Anteccesit, omnem, quicumque invocaverit nomen Domini, salvum futurum. Quare illud modo propositum habet probare, notitiam Evangelii esse prolatam non tantum ad Judaeos, sed ad alias etiam gentes. Hoc vero, quo probat eos, qui fidem praedicarent, oportere mitti, ex Isaiae capite 52. versu 7. est testimonium, et secundum literam est de illis, qui Judaeis Babylone captivis, et servitute pressis, laetissimum nuncium adferrent concessae libertatis, dataeque redeundi in patriam facultatis. Quae quoniam liberatio ex illa captivitate typice ad eam redemptionem pertinebat, quae facta est per Christum; non est difficile perspectu, qua ratione id, quod de nunciis illius pacis ab Isaia positum est, Apostolus adhibuerit erga Apostolos, qui

eam pacem, quae per Christum est, annunciarunt in mundo, quorum videlicet illi in Babylonia pacis nuncii, typum, et figuram gesserint.

16. *Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro?* Isaiae capite 53. versu 1. est hoc testimonium. Ponitur autem auditus pro eo, quod ad audiendum auribus offertur. Quod deinde declarat versus subsequens: 17. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Intulit autem istud ex eò, quod prius posuerat: ,, Quomodo credent ,, ei, quem non audierunt? " Hinc enim consequens est, ut fides etiam sit ex auditu, nec credere aliquis Evangelio possit, qui illius notitiam per praedicationem non accepit.

18. *Sed dico: numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Testimonium hoc est ex Psalmi 18. versu 5. De sideribus autem est, quae lucem suam diffundant per totum mundum. Ex quo illud rursus infertur, illud lumen, quod sol, reliquaque sidera fundunt per totum orbem, fundereque coeperunt statim ubi productus fuisset mundus, ut hunc illustrarent, fuisse typum lucis Evangelicae, quae itidem statim propagata sit in mundo per Apostolos, dum illius reparatio, et quasi nova creatio facta fuisset per Christum. Ponit ergo Psaltis testimonium Paulus, quo doceat praedicationem Evangelii, veluti quamdam lucem solis, atque siderum pertinere ad totum orbem. Si veropraedi-

catio fieret in toto orbe, audiri etiam illud. Haec praedicatio per Apostolos omnino iam coeperat, et propagata per maximam orbis partem iam erat, ad totum autem prorsus mundum illius praedicatio ne nunc quidem pervenit, siquidem hac facta, mundi ventura consummatio dicatur. Matth. 24. v. 14. Nec Paulus, dum dicit: *Numquid non audierunt?* hoc de omnibus hominibus, qui in mundo sunt, dicit, quasi hi iam audivissent tunc Evangelium; sed tantum de illis, qui non obedirent Evangelio. Nam cum versu 16. dixisset: „Sed non „omnes obediunt Evangelio" et iam praemisisset, quomodo crederent ei, quem non audierunt? docet, istos, qui non obedirent, se non posse excusare, quasi Evangelium non audivissent. Loquitur videlicet de iis, quibus cum Evangelium annunciatum esset, huic tamen se inobedientes praestiterint. Neque enim non obedivisse Evangelio dici potuissent, quibus illud ne propositum quidem fuisset. Audivisse autem illos probat, siquidem eius praedicatio fieret in toto mundo, et quae ad hos, qui non obedirent, in suo cursu iam etiam pervenerit, utpote quae Evangelii lux ultra eos iam etiam excurrerit. Hos enim, qui non obediverint, Judaeos intelligit. Ad hos enim pertinet illud etiam Isaiae testimonium: „Domine, quis credidit auditui no„stro?" quod produxit ad hoc ipsum demonstrandum, non omnes morem gesturos Evangelio. Sed et sequente versu: „Sed dico, numquid Israel non „cognovit?" satis declarat, dum eandem quae-

stionem movet, etiam Israelem nominatim appellat, quos etiam prius intellexerit.

19. *Sed dico: Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit: Ego ad aemulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam.* 20. *Isaias autem audet, et dicit: Inventus sum a non quaerentibus me: palam apparui illis, qui me non interrogabant.* 21. *Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.* Producit tria testimonia, primumque testem Moysem. Apud hunc Deuteronomii capite 32. v. 21. est hoc, quod ex eo protulit. Ostendit autem Deus se se Israelitas, si hi ab eius cultu ad idola deficerent, in iram missurum, aliisque nationibus insipientibus, et a suo cultu alienis in servitutem traditurum, hisque contra eos prosperitatem concessurum, ut sic istis invideant. Haec ergo res hoc ipsum iterum praefiguraverat, futurum, ut Deus Israelitas, qui se ei refractarios semper exhibuerint, a suo cultu repudiaturus, et ab illis bonis, quae per Christum tribuerentur, exclusurus sit, in ipsorumque locum, et ad eorum invidiam bona haec collaturus aliis nationibus sit, quae ne ipsum quidem ad hoc tempus agnoverant. „Anferetur a vo„bis regnum, et dabitur genti facienti fructus „eius," est ab ipso etiam Christo dictum. Matth. 21. v. 43. *Isaias autem audet, et dicit*, „Id est, „ait S. Thomas in Commentario, audacter Ju„daeis annunciat veritatem, quamvis ei periculum

„mortis immineret.“ *Inventus sum a non quaerentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Est Isaiae cap. 65. v. 1. de gentibus vaticinium, a quibus Deus inventus sit, quem hi antea non quaesiverint, et quibus Deus palam apparuerit, seque ipsum manifestaverit, lumen suae cognitionis per fidem iis tribuendo, qui eum non interrogaverint, hoc est, qui de eius voluntate non fuerunt soliciti, ut eam exsequerentur proiecti extra illius legem. S. Thomas in Commentario, „Id „est, inquit, qui meam doctrinam non quaerebant.“ *Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.* Quem scilicet Israelem vocaverit, manu, quasi protensa ad eum, qui gestus vocantis solet esse. Vocavit autem per Prophetas, quos numquam non ad eos miserat, vocavit per ipsum Christum, et Apostolos, cui vocationi illi semper non tantum terga verterint, sed adversus ipsos, qui venerant, ut vocarent, consurrexerint, persecutique illos sint, atque contumelia affectos occiderint, quemadmodum hoc etiam a Christo per parabolam est propositum erga eos de homine rege, qui nuptias celebravit filii sui, et cuius servos, qui venerant invitandi causa occiderunt contumeliose ii, qui fuerant invitati. Matth. 22. v. 6.

Ad hocce vero caput duo adhuc veniunt consideranda, unde nobis Catholicis litem intentant ii, qui Augustanam et Helveticam Confessionem profitentur. Primum est, quod ex eo, quod est

huius capitis versu 3. de Judaeis, ignorantes iustitiam Dei, et suam quaerentes statuere, iustitiae Dei, non fuisse subiectos, idem nobis crimen impingant, nosque istud ipsum facere dicant, dum profitemur nos per iustificationem sic iustos fieri, ut haec iustitia etiam nobis propria fiat, et non sit tantummodo imputata. Dicimusne iustitiam, qua iustificamur per Christum, partam nobis a nobismetipsis? an habere nos illam Christi dono, tametsi cum donatur nobis, eam omninò dicamus fieri nostram per donationem. Num hoc, quod quispiam donat alteri, non fit illius, cui donatur? Et potestne aliqua esse donatio, si nihil accipiat, quod ei, cui donatio fit, fiat proprium? Nihil enim erit hoc ipso donatum, si nihil accepit, cui aliquid dicitur esse donatum. Quinam ergo Christum honore donationis spoliant, nosnè, qui ipsius beneficio, atque donò profitemur nobis esse iustitiam collatam; an, qui quod acceperunt, negant aliquid esse, quod ab eo acceperint? Nam si nihil recognoscunt se habere, quod ab eo sit datum, consequens est, ut etiam negent se se quidquam ab eo accepisse. Estne aliquid praestitum nobis a Christo? Quis erit ita impius, ut audeat dicere, nihil esse praestitum, si se Christianum profitetur? Ergo, quod praestitum est, nostrum, quibus praestitum est, factum est: secus nihil nobis erit praestitum.

Utique dicent per eum habere nos imputationem iustitiae. Haec imputatio iustitiae estne aliquid, vel nihil? Si aliquid est, et hoc aliquid no-

bis confertur; necesse est, ut etiam ista ratione tamen aliquid fiat nostrum ex hac iustitia, quae nobis imputatur: sin alterum, et nihil est, quod conferatur; sequetur, ut nihil etiam Christo debeamus, nulloque eius beneficio obstricti teneamur. Si hoc alterum concedendum non putant; sequitur, ut dent alterum. Ergo per imputationem tamen agnoscunt fieri aliquid suum. Suamne autem propterea iustitiam statuunt, et iustitiae Christi ne sint subiecti, hinc de se dicunt esse consequens? Si autem hoc nolunt de se esse consequens, ut iustitiae Christi non sint subiecti, ideo quod imputatitiam ab eo se habere confiteantur iustitiam, quod hanc non suo aliquo merito, sibi vindicent, sed Christi dono se illam habere confitentur, num Catholicus non est subiectus iustitiae Christi, dum veram se habere confitetur iustitiam a Christo, quam ille pariter non se a se ipso habere statuit, sed a Christo? Omnino, si Catholicus iustitiam sic suam esse statueret, ut eam non se habere a Christo diceret, quamque gratuitam ab eo acceperit, iustitiae Christi non esset subiectus. Confitetur autem suam quam habet iustitiam, esse munus et donum Christi, ergo est illius iustitiae subiectus. Num quia Adam creatus in iustitia, et sanctitate veritatis, Ephes. 4. v. 24. eam, quae vere ei inhaereret, non imputatiam accepit iustitiam, non fuit ideo Dei iustitiae subiectus? Omnino si hanc non a Deo se habere, sed a seipso arroganter putavisset? Quid interest inter iustitiam, quae

a Deo homini in creatione tributa est, et eam, quae in eius renovatione per Christum? Illa eiusmodi esse potuit, ut vere inhaereret, et tamen maneret homo subiectus iustitiae Dei; ista per Christum eiusdem modi esse non potest? Dicant, si aliquam reperire possuntdifferentiam, et expediant se hinc, si possunt.

Estne nobis illud restitutum, quod amisimus per peccatum? Si restitutum est, quandoquidem in iustitia fuit primus homo creatus, in quo peccavimus, quae ei iustitia vere inhaereret, sequitur hanc etiam nobis per Christum esse restitutam. Si non est restitutum, quod perdidimus, non sumus vere etiam per Christum reparati, quia ad illum iustitiae statum non sumus per eum repositi, unde excidimus per peccatum. Expiavitne Christus nostra peccata, satisfecitne, exsolvitne debitum nostrum? Si expiatum est peccatum, propter quod iustitia nobis est ablata, sequitur ut illud redditum sit, quod fuit ablatum, aut vera peccati expiatio non est facta. Secundum ipsos non redditur per Christum iustitia, quae fuit per peccatum ablata. Ergo nec peccata vere per Christum sunt expiata. Ita isto ipsorum dogmate evertitur ipsa Christi satisfactio. Quid ergo? Hoc in Christum conferre, pro nobis ab eo non esse satisfactum, non veram reparationem esse factam illius damni, quod est per peccatum allatum, ac proinde nec vere esse nos ab eo redemptos, qui illud, quod perdideramus, non reddidit; est honore Redemptoris, Liberatoris, Salvatoris illum privare. Ista autem certe est iniqui-

tas, est contumelia, quae Christo irrogatur. Hanc ergo, qui Christo faciunt, qui sangvinem illius, quod in expiationem peccatorum nostrorum dedit pretium, conculcant, suntne iustitiae Dei subiecti?

Alterum adhuc est illud hoc capite, quod Apostolus dicat versu 14. „Quomodo invocabunt, „in quem non crediderunt?" Hinc verum sic adversum non argumentantur: Non potest invocatio illius fieri, in quem non creditur, quia quomodo invocabunt, in quem non crediderunt. Catholici autem invocant Sanctos, ergo in illos credunt. Ergo fidem, quae unice in Deo, et Christo esset habenda, superstitiose, idololatrice conferunt in Sanctos, quos invocant. Acuta sane, et ponderosa argumentatio. Quomodo hinc evadam, ne illius vi, atque pondere succumbam? Manifesta sunt verba Apostoli: Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Negabo esse illationem legitimam? Est facta ad regulas Logicae. Utique, qui fidem Catholicam oppugnant, dum ex Scriptura sibi argumenta desumunt, cuius sensum vel non intelligunt per inscitiam, vel per malitiam detorquent, sic compositas suas argumentationes habere debent, ut veritatis aliquam speciem prae se ferant. Secus enim quem decipere possent? Talis autem est ista argumentatio. Nam de quali invocatione tractat nunc Paulus? Praecessit, unde hoc evidens fiat: „Omnis enim, quicumque invocaverit no- „men Domini, salvus erit?" Certe enim ipsi recognoscent sine fide salutem obtineri non posse.

Ergo etiam nonnisi is, qui per fidem nomen Domini invocat, salvus erit. Sicne autem Catholicorum aliquis invocat quempiam de Sanctis? Dicitne aliquis, credo in sanctum Petrum, credo in sanctum Paulum, quemadmodum in symbolo fidei loquimur erga Deum: Credo in Deum Patrem omnipotentem? Dum Paulus a Thessalonicensibus petiit „Fratres, inquiens, orate pro nobis" 1. Thess. 5. v. 25. Et rursus in epistola 2. cap. 3. versu 1. „Fratres orate pro nobis, ut sermo Dei „currat, et clarificetur, sicut et apud vos, et ut „liberemur ab importunis, et malis hominibus," invocavitne illos, ut ab ipsis, et precibus eorum, apud Deum adiuvaretur? Crediditne propterea in Thessalonicenses, quemadmodum in Deum? Si in Apostolum haec nonnisi insulsa posset fieri illatio, cur illam in nos faciunt, dum eodem modo Sanctos invocamus, ut pro nobis apud Deum intercedant, quo Paulus in auxilium suum, ut eorum precibus adiuvaretur, invocavit Thessalonicenses? aut aliquid interest viventesne nobiscum, an iam positi in caelo, a nobis invocentur? Quid si ipsorum aliquis in aliquam difficultatem, aut periculum incidat; videat autem alterum, a quo iuvari possit; num illum in suum auxilium non invocabit? aut propterea necesse erit, ut in illum, quemadmodum in Deum, credat? Hoc est ergo, quod dicit Apostolus, Deum, ut Deum non invocabit, qui in illum non credit. Nam quem non agnoscit Deum, hunc certe nec invocabit, ut Deum. Qui ergo

invocat Deum, sequitur, ut hunc etiam agnoscat esse Deum. Qui Deum invocat, et non ita invocat, ut credat illum per seipsum tribuere posse, quod petit, non credet esse Deum, et quem invocat, non invocabit ut Deum. Ergo, qui Deum invocat, omnino credere in illum, et agnoscere illum debet. Invocamus autem nos Sanctos, non ut Deum, sed ut intercessores apud Deum, et cum ista distinctione stabit etiam illa convenientia illationis, quod nec istos invocaremus ista ratione, nisi omnino crederemus, precibus eorum esse nos iuvandos apud Deum. Jacob duobus suis nepotibus e Josepho filio, Ephraimo, et Manassi sic est Genesis 48. v. 16. precatus: „Invocetur super eos nomen „meum, nomina quoque patrum meorum Abra„ham, et Jsaac." Si in eos, ut Deum creditur, qui invocantur, ergo Jacob fuisset precatus, ut ipse, deinde Abraham, et Isaac invocetur super Ephraim, et Manassen, ut Deus. Quis ferat hanc consequentiam? Qui nomen Domini non invocant, salvi non erunt, quia quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Invocare autem Deum illi non possunt, qui in illum non credunt: quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? Una est Fides. Eph. 4. v. 5. Una etiam Ecclesia, in qua haec reperitur fides, quia unum est Christi corpus, et per fidem fideles cum Christo coalescunt in unum eius corpus, quod est Ecclesia. Ibi autem est Ecclesia, ubi fundamentum est, super quod Christus aedificavit Ecclesiam. Illud est fun-

damentum, de quo Christus dixit: „Tu es Petrus, „et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, „et portae inferi non praevalebunt adversus eam.“ Matth. 16. v. 18. Non est ergo in Ecclesia, qui non est in Ecclesia, quae aedificata super hanc Petram est. Qui in Ecclesia non est, non est in fide, quae una est. Qui in hac una fide non est, in nulla fide est, quia alias non una, sed plures fides essent. Qui ergo in hac Ecclesia, in qua haec una fides est, non sunt; quomodo Deum invocabunt, qui non credunt? et quomodo, qui Deum non invocant, salvi esse possunt?

CAPVT XI.

Solis Judaeorum reliquiis esse gratiam, et salutis donum collatum, reliquis excaecatis, in eorumque locum esse gentiles assumptos a Deo, nec tamen his esse relictum locum gloriandi adversus Judaeos: quorum Deus, ubi plenitudo gentium intraverit, iterum miserturus sit. Esse Dei iudicia inscrutabilia.

1. D*ICO ergo: Numquid Deus repulit populum suum? absit. Nam et ego Israelita sum ex semine Abraham de tribu Benjamin.* 2. *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit.* Cum in fine superioris capitis generatim de Judaeis, eorumque reprobatione fuisset locutus; declarat istud non tamen pertinere ad illos prorsus omnes: nec illos esse repulsos a Deo, et

ex gratiae dono exclusos, qui ab eo fuerunt praesciti. Ad Psalmi autem nonagesimi tertii versum 14. Apostolus respexit, ubi est: „Quia non re„pellet Dominus plebem suam, et haereditatem „suam non derelinquet.“ Praescitam autem a Deo plebem docet non esse repellendam. Num ergo Deus hanc plebem suam tantum praescivit, non etiam praedestinavit? „Aliquando praedestinatio „significatur etiam nomine praescientiae, inquit „S. Augustinus in lib. de dono Perseverantiae cap. „18. sicut ait Apostolus: *Non repulit Deus ple„bem suam, quam praescivit.* Hic quod ait, prae„scivit, non recte intelligitur, nisi praedestinavit, „quod circumstantia ipsius lectionis ostendit. Lo„quebatur enim de reliquiis Judaeorum, quae sal„vae factae sunt pereuntibus ceteris. Nam superius „dixerat, ad Israel dixisse Prophetam, *Tota die „expandi manus meas ad populum non credentem, „et contradicentem*, et tamquam responderetur, „Ubi sunt ergo factae promissiones Dei ad Israel? „continuo subiunxit: *Dico ergo, numquid Deus „repulit plebem suam? absit. Nam et ego Israe„lita sum ex semine Abraham de tribu Benjamin:* „tamquam diceret, nam et ego ex ipsa plebe „sum. Deinde addidit, unde nunc agimus, *Non „repulit Deus plebem suam, quam praescivit.* „Atque ut ostenderet Dei gratia fuisse relictas re„liquias, non meritis operum eorum, secutus ad„iunxit: *An nescitis in Elia, quid dicit Scriptu„ra? quemadmodum interpellat Deum adversus*

„*Israel*, et cetera. *Sed quid dicit illi*, inquit, *re-*
„*sponsum Divinum? reliqui mihi septem millia*
„*virorum*, *qui non curvaverunt genu ante Baal.*
„Non enim ait, relicta sunt mihi, aut reliquerunt
„se mihi, sed reliqui mihi. *Sic ergo*, inquit, *et*
„*in hoc tempore reliquiae per electionem gratiae sal-*
„*vae factae sunt. Si autem gratia iam non ex*
„*operibus*, *alioquin gratia iam non est gratia.*
„Et connectens illa, quae iam supra interposui:
„*Quid ergo?* et huic interrogationi respondens,
„*Quod quaerebat*, inquit, *Israel*, *hoc non est*
„*consecutus*, *electio autem consecuta est*, *ceteri*
„*vero excaecati sunt.* In hac ergo electione, et in
„his reliquiis, quae per electionem gratiae salvae
„factae sunt, voluit intelligi plebem, quam pro-
„pterea Deus non repulit, quia praescivit. Haec
„est illa electio, qua eos, quos voluit, elegit in
„Christo ante constitutionem mundi, ut essent
„sancti, et immaculati in conspectu eius, in cha-
„ritate, praedestinans eos in adoptionem filiorum.
„Nullus igitur, qui haec intelligit, negare, vel
„dubitare permittitur, ubi ait Apostolus, *Non re-*
„*pulit Deus plebem suam*, *quam praescivit*, prae-
„destinationem significare voluisse. Praescivit enim
„reliquias, quas secundum electionem gratiae fue-
„rat ipse facturus. Hoc est ergo, praedestinavit,
„sine dubio enim praescivit, si pradestinavit, sed
„praedestinasse, est hoc praescisse, quod fuerat
„ipse facturus.“ Supra capitis 8. versu 29. dicit
Paulus: „Quos praescivit, et praedestinavit:“ ibi-

que demonstratum est, quod etiamsi secundum captum nostrum concipiatur praescientia praecedere Dei praedestinationem; haec tamen praescientia in Deo nihil aliud sit, quam propositum, et consilium voluntatis ipsius.

An nescitis, in Elia, quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversum Israel? Elias quomodo Deum interpellaverit. Illius enim deinde verba proponuntur. 3. *Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego relictus sum solus, et quaerunt animam meam.* 4. *Sed quid dicit illi Divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* 3. Reg. 19. v. 10. 5. *Sic et in hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt.* Ex illis Dei verbis: *Reliqui mihi*, hanc consequentiam intulit. Hinc enim intelligitur, Deum illud fecisse, ut illa septem millia virorum in Dei cultu perseveraverint, atque adeo non esse hoc volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, et ex quo exemplo Divinae gratiae, quae illam perseverantiam in Dei cultu in illis septem millibus operata est, infert etiam harum reliquiarum, quae Christum ex Judaeis agnoverunt, fidem esse effectum Divinae gratiae. 6. *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.* Praecessit proxime: Sic et in hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt, quamque eamdem gratiam cum neget esse ex operibus, intelligitur, lo-

qui ipsum de electionis, et praedestinationis gratia, quae uti capite nono, versu 11. iam fuit, opera antecessit, ita ut ne illorum quidem, quae praevideri potuerint, Deus in electione, et praedestinatione suam aliquam rationem habuerit. Alioquin gratia iam non esset gratia. Dat autem Deus istam gratiam, qua fiant ea, quae Deo grata sunt opera, et quibus ille vi suae promissionis mercedem tribuit, non quasi ex seipsis illa opera ius exigendae mercedis haberent. „Praecedit namque, „ait S. Augustinus lib. 2. contra duas epist. Pela„gianor. cap. 7. non debita, sed gratuita gratia, „ut per illam fiant bona opera: ne, si praecesse„rint bona opera, tamquam operibus reddatur gra„tia, ac sic gratia iam non sit gratia." Non ergo hoc de operibus est, quae iam fiunt ex gratia, siquidem haec ipsa iam sint gratia. „Quibus cum „vita aeterna redditur, ait idem S. Augustinus „Enchiridii cap. 107. quid nisi gratia pro gratia „redditur?" „Atque ideo ait Concilium Triden„tinum Sess. 6. cap. 16. bene operantibus in finem „usque, et in Deo sperantibus proponenda est „vita aeterna, et tamquam gratia filiis Dei per „Christum Jesum misericorditer promissa, et tam„quam merces ex ipsius Dei promissione bonis „ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda. „Haec est enim illa corona iustitiae, quam post „suum certamen, et cursum repositam sibi esse, „aiebat Apostolus, a iusto iudice sibi reddendam „et non solum sibi, sed et omnibus, qui diligunt „adventum

„adventum eius. Cum enim ille ipse Christus Je-
„sus, tamquam caput in membra, et tamquam vi-
„tis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter vir-
„tutem influat, quae virtus bona eorum opera sem-
„per antecedit, comitatur, et subsequitur, sine
„qua nullo pacto Deo grata, et meritoria esse pos-
„sent; nihil ipsis iustificatis amplius deesse cre-
„dendum est, quo minus plene illis quidem ope-
„ribus, quae in Deo facta sunt, Divinae legi pro
„huius vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam
„suo etiam tempore, si tamen in gratia decesse-
„rint, consequendam, vere promeruisse censean-
„tur, cum Christus Salvator noster dicat: *Si quis bibe-*
„*rit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in*
„*aeternum; sed fiet in eo fons aquae salientis*
„*in vitam aeternam.* Joan. 4. v. 14. Itaque ne-
„que propria nostra iustitia, tamquam ex nobis
„propria, statuitur, neque ignoratur, aut repudia-
„tur iustitia Dei. Quae enim iustitia nostra dicitur,
„quia per eam nobis inhaerentem iustificamur;
„illa etiam Dei est, quia a Deo nobis infunditur
„per Christi meritum.“

7. *Quid ergo? quod quaerebat Israel, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est, ceteri vero excaecati sunt.* Quid ergo? ponit hanc quaestionem, istud, quod modo dixerat, reliquias secundum electionem gratiae esse salvas factas, quo pacto sic se habere potuerit: atque deinde declarat accidisse ista ratione, quod Israel id consecutus, quod quaesiverat, non sit, sed electio tantum gra-

tiae consecuta sit. Quid vero consecuta est? videlicet illud, quod intenderat, quod sibi propositum habuit, ut obtineret. Quidnam vero istud fuit? isti nimirum, qui electi sunt, ut crederent, et per fidem iustitiam adepti salvi fierent. Hoc autem Israel, quamvis quaereret, consecutus non est. Sic enim fuit iam supra capitis 9. versu 31. „Israel vero sectan-„do legem iustitiae in legem iustitiae non pervenit. „Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. „Offenderunt enim in lapidem offensionis.“ 8. *Sicut scriptum est:* illud testimoniis confirmat, quod dixerat, reliquos, qui per electionem gratiae salvi facti non sunt, esse excaecatos; *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos, ut non videant, et aures, ut non audiant, usque in hodiernum diem.* 9. *Et David dicit: Fiat mensa eorum in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in retributionem illis.* 10. *Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* Prius testimonium est Isaiae ex duplici loco desumptum, atque compositum. Cuius anterior pars, *Dedit illis Deus spiritum compunctionis* est ex capitis 29. versu 10. sed quod iuxta Versionem Septvaginta citatum est, cum in Hebraeo sit: *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis:* qui sopor spiritus cum oculis deinde, qui non videant, et auribus, quae non audiant, quae pars istius testimonii de Judaeorum excaecatione Isaiae capite 6. versu 10. existit, magis congruit. Nec tamen ab Hebraeo Graeca etiam versio, abludit, quae pro spiritu soporis, *spiritum*

compunctionis, πνεῦμα κατανύξεως, habet. Nam κατανύξις tam compunctionem, quam soporem, et stuporem Graecis significat: in illa videlicet significatione vocabulum sumitur proprie, in altera translate, intelligendo stuporem, quasi si animus transfixione emortuus esset, et obriguisset. Is autem Judaeorum et animi stupor, et caecitas, atque surditas illud ipsum futurum designabat, quod deinde evenit, et qui tam manifestis characteribus habuissent in lege, et per Prophetas delineatum sibi, atque descriptum Christum; hunc tamen non agnoverint, nec agnoscant in hodiernum usque diem. Davidis testimonium est ex Psalmo 68. versu 23. Per apparatum autem cuiusdam mensae haec poenarum illis fercula offeruntur, quod Christo fel, et acetum in passione praebuerint, et omni acerbitate ad mortem usque persecuti sint, cuius in illo psalmo, quemadmodum ibi demonstratum est, David typum gesserat.

11. *Dico ergo; numquid sic offenderunt, ut caderent? absit. Sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos aemulentur.* Jam nono capite versu 31. dixerat: „Israel sectando legem iustitiae in „legem iustitiae non pervenit: quare? quia non ex „fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in „lapidem offensionis.“ Cum vero de reprobatione sui populi generaliter fuisset locutus, deinde isto capite demonstrat, non tamen universum Israel esse a Deo abiectum, sed eius reliquias per electionem gratiae salvas factas. Cum ergo testimonia nunc

rursus interposuisset duo ex Isaia, et Davide, quaerit rursus idem, sed aliis verbis, quod iam huius undecimi capitis initio etiam quaesiverat: „Numquid Deus repulit populum suum?“ Quemadmodum ergo ibi de populo quaesivit, num is totus repulsus a Deo esset; ita etiam hic de omnibus Israelitis istud quaerit, num sic offenderint, ut caderent. Utrumque vero negat. *Sed illorum delicto, salus*, inquit, *est gentibus, ut illos aemulentur.* Graece: Ἀλλὰ τῷ αὐτῶν παραπτώματι, *sed illorum ruina salus est gentibus, ut has aemulentur*, iidem videlicet Judaei. In Latino discordat pronomen, *illos*, cum antecedente suo nomine, *gentibus*. Quod nomen in Graeco, ἔθνος est generis neutrius. Latinus autem interpres cum pro hoc nomine in versione nomen, *gens* posuisset, quod est generis feminini; non tamen pronomen huic deinde nomini quoad genus etiam adcommodavit. Qua ratione vero Judaei gentes aemulenter, quae in eorum casu donis per Christum locupletatae sunt, quodque ipsis in poenam evenerit, est iam ad superioris capitis versum 19. demonstratum. Judaeorum vero casu, atque ruina salus dicitur tributa esse gentibus, non quasi, si Judaei credidissent, non gentibus quoque lux Evangelii resplenduisset; hoc ipsum enim postea ipse etiam Paulus statim probat: „Quod si delictum illorum divitiae sunt mundi, et diminutio eorum divitiae gentium, quanto magis plenitudo eorum?“ sed tantum quod in ordine Judaeis fuissent posteriores, quibus tamen antepositi sint. Hoc

ab ipso etiam Christo demonstratum est luculentissime per illam parabolam de nuptiali convivio, Matth. 22. v. 2. et de coena magna Lucae 14. v. 16. a qua coena, et convivio, cum emansissent, qui erant invitati, in eorum locum ex viis, atque compitis introducti sunt pauperes, debiles, caeci, et claudi. Quamobrem etiam Paulus ad eosdem Judaeos „Vo-„bis, inquit, oportebat primum loqui verbum Dei, „sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iu-„dicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gen-„tes.“ Act. 13. v. 46. „Palam est, ait S. Chryso-„stomus homil. 19. rerum quidem seriem illam fuis-„se, ut illi primi accederent, et postea gentiles. „Quia vero increduli fuerunt; ordo mutatus est, il-„lorumque incredulitas, et lapsus, ut hi priores „intrarent, effecit.“

12. *Quod si delictum illorum divitiae sunt mundi, et diminutio eorum divitiae gentium, quanto magis plenitudo eorum?* Magis enim consequens est, ut bonum efflorescat ex bono, quam ex malo. Si ergo ex infidelitate Judaeorum divitiae gentium, et earum fides est subsecuta; quanto istud magis factum fuisset, si ipsi Judaei quoque Evangelium recepissent? 13. *Vobis enim dico gentibus: quamdiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo: 14. si quomodo ad aemulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis.* Commemoraverat modo divitias fidei in gentes esse effusas, postpositis Judaeis. De his ergo divitiis, quae collatae gentibus sint,

ac se coram illis, qui etiam ex gentibus ad fidem essent vocati, loqui, atque gloriari, siquidem gentium Apostolus a Deo constitutus sit, ut suum ministerium honorificet, neque tamen etiam sic, quasi Judaeos nollet etiam, et optaret, qui eius essent caro, hoc est, ut capitis 9. versu 3. istud idem expressit, fratres, et cognati secundum carnem, quasi inquam hos etiam non desideraret ad salutem venire; sed ut gentium exemplo, quae ad fidem converterentur, Christumque agnoscerent; tanto magis etiam illos ad hocce gentium exemplum emulandum, atque imitandum provocaret, salvosque faceret aliquos ex illis, 15. *Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi, quae assumptio, nisi vita ex mortuis? Si enim amissis eorum*, Judaeorum videlicet Graece: ἀποβολὴ, *abiectio*, reprobatio, est reconciliatio mundi, hoc est, si ex illorum reprobatione salus secuta est gentium omnium in mundo, *quae assumptio*, id est, quis fructus erga easdem gentes sequeretur ex Judaeorum assumptione, a Deo videlicet, et eorum conversione, *nisi vita ex mortuis?* nisi, ut tanto magis etiam gentiles per gratiam revocentur ad vitam? Docet igitur suum hocce studium erga Judaeos, ut eos provocet ad aemulandos gentiles, atque ut aliquos ex illis salvos faciat, pertinere ad ipsum hoc ministerium suum, in quo gentium Apostolus constitutus est, decorandum, siquidem ista ratione in ipsas etiam gentes fructus Evangelii ampliores redundarent, pluresque gentilium converterentur.

16. *Quod si delibatio sancta est, et massa: et si radix sancta, et rami.* Delibatio, Graece est, ἀπαρχὴ, quae vox *primitias* significat. Sunt autem primitiae utique eiusdem generis, cuius illud est, unde sunt primitiae: quo pertinet altera quoque comparatio de ramorum cum arbore sua convenientia. Radix Judaeorum sancta fuit Abraham, Isaac, et Jacob, unde Judaei genus duxerunt: et ex qua Judaeorum tota gente, et massa iidem patriarchae quidam primi fructus, primitiaeque fuerunt. Hinc ergo Paulus docet esse conveniens, ut Judaei prae gentilibus etiam ad fidem venirent, ut cum gentiles modo in electione Dei antelatos esse Judaeis, ostendisset; illos intra modestiae cancellos teneret, neque supra Judaeos insolenter efferre se sineret. Quod identidem erga utrosque facit Paulus, iam hos iam illos reprimens, ut totum ab utrisque Dei gratiae tribueretur.

Hinc autem Calvinus illud Helveticae Confessionis dogma fabricatus est, quo infantibus, qui ex fidelibus parentibus essent nati, non censent necessarium baptismum ad delendum originale peccatum, quod cum in parentibus iam sit remissum, tamquam ex radice iam sanctificata non iam ultra fluere possit in ramos. Nihil hic loquitur Paulus de baptismo, sed est mera tantum huius per Calvinum ad baptismum, et ad eos, qui per baptismum sanctificati sunt, applicatio. Sed quam apte, et apposite, ut scilicet omnia ipsius dogmata sunt, quae in suae reformationis officina procudit. Quomodo enim de ra-

mis loquitur? Sic ut omnes dicat esse sanctos, etiamsi aliqui ex his fracti essent. Hoc enim declarat nexus subsequentium verborum. Sic enim post haec verba generaliter de ramis: *Si radix sancta, et rami*, ulterius deinde pergit: *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, noli gloriari adversus ramos.* Alii ergo fracti, alii non fracti intelliguntur ex ramis, quos dixit esse sanctos. De ramis enim, quos sanctos dixerat, quod sint aliqui ex his fracti. Idemque ex scopo etiam Pauli, quem hic habuit, cum istud dixisset, perspicuum est. Pertinebat enim istud eo, ne gentiles, qui assumpti essent ad fidem prae Judaeis, lapsis per infidelitatem, gloriarentur, qui quamvis per infidelitatem corruissent, sint nihilominus naturales filii Abrahae, quorumque radix cum sit sancta, ipsi quoque sint sancti. Neque enim gentiles adversus alios ramos, quam fractos potuissent gloriari. Qui enim fracti non sunt, et in radice manserunt velut naturales rami; quomodo gentiles, insititii tantummodo, sibi potuissent sumere, ut gloriarentur sdversus ramos naturales? Ergone rami etiam fracti essent sancti? Omnino, sed tali sanctitate sancti, qualem hoc loco Paulus intelligit. Neque enim aliud, Judaeos esse ramos sanctos radicis sanctae significat, quam legitimos secundum naturam esse filios Abrahae. Qua ratione virum etiam infidelem idem Paulus dicit sanctificatum esse per mulierem fidelem, et mulierem infidelem sanctificari per virum fidelem, alioquin, inquit, filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. 1. Cor.

7. v. 14. Certe enim virum, aut mulierem infidelem, quos sanctificatos dicit per coniugem fidelem, non aliter intellexit esse sanctificatos, quam quod legitimi essent coniuges, et ex quo iusto, ac legitimo matrimonio honestae quoque, et legitimae proles procrearentur. Secundum se enim, quomodo is, qui infidelis esset, posset dici sanctificatus? et coniuxne per seipsum habet vim sanctificandi coniugem incredulum, atque infidelem? Hincne ergo valet Calvini argumentatio ad proles fidelium parentum, non esse his necessarium baptismum ad delendum originale peccatum? Eramus et nos omnes, loquitur Paulus de se, et omnibus Judaeis, natura filii irae, sicut et ceteri. Eph. 2. v. 3. Et Abrahamo, cum ipse esset sanctificata radix, tamen mandatum a Deo est, ut infans octo dierum circumcideretur, tanta severitate; ut delendus is infans de populo suo dicatur, qui circumcisus non esset. Gen. 17. v. 14. Nam si ex radice sanctus infans fuisset ea sanctitate, quae iam delevisset culpam originalem, cur infans deleretur, et poena tam gravi excidii plecteretur, dum omissae circumcisionis reus non ipse, sed parentes essent? Si ex parentibus fidelibus filii sancti nascuntur, cur David, cuius parentes fideles fuerunt, de se dicit: „Ecce enim in „iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis conce„pit me mater mea?“ Psal. 50. v. 7. Oblitus est etiam Calvinus, se in sua reformatione fidelibus imputatitiam tantum, et non eam, quae vere illis inhaereret, et propria illorum esset facta, concessis-

se sanctificationem, et iustitiam, et quod haec iustitia nemini infundatur aliter, quam per propriam fidem. Qua ratione ergo per naturalem generationem, parentes, quam ipsi non habent, propagare in filios suos possunt sanctificationem, et quomodo sanctificari possunt infantes, qui nondum possunt credere? Quo istud pertinuerit de ramis, qui sancti sint, siquidem etiam radix sit sancta, ex eo, quod subsequetur, intelligi poterit, quorum scilicet ramorum, quoniam naturales sint, maior sit facilitas rursus inserendi eos ad radicem, et ad arborem, unde defracti sunt, quam eos, qui ad radicem naturaliter non pertinuerunt, quales erant gentiles, qui ad Abrahami stirpem nihil iuris habuerunt. Itaque dupliciter istos terret, quod licet inserti essent ad Abrahami progeniem, qui pater est fidelium; Galat. 3. v. 7. securi tamen de triumpho nondum sint, siquidem, qui insititii rami tantum cum sint, metuere debeant, ne defringantur, eo magis, quod defracti naturales etiam rami sint; et quamvis ipsi insitione ad stirpem Abrahae devenissent; tamen proclivius sit, ut naturales rami rursus suae radici inserantur, quam quod ipsi, qui naturaliter ad radicem non pertinuerunt, inserti sint.

17. *Quodsi aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pingvedinis olivae factus es;* 18. *noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.* „Abra„hae dictae sunt promissiones, et semini eius.“

Gal. 3. v. 16. Abraham est radix. Haec ergo radix portat ramos, sive naturales, sive insititios. 19. *Dices ergo: fracti sunt rami, ut ego inserar.* 20. *Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.* Huic, qui fide stat, dicit Apostolus, ut timeat. In Augustana, et Helvetica Confessione habent dogma, ut sibi quisque certitudinem etiam facere debeat de salute. Ubi autem certitudo est, ibi securitas est. Ubi securitas, non est metus. Apostolus tamen ei, qui fide stat, dicit ut timeat. Calvinus ergo, et Lutherus supra Paulum sapuit.

21. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Istis rursus hoc Apostolus dixit, qui fide stabant, qui inserti erant ad olivam, et ad radicem. Metu nihilominus hos terret, ne fortasse Deus non parcat. Rursus igitur securitas non est. Cur autem his, quibus iam pepercit, qui iam iustificati, iam sanctificati sunt, qui fide stant, dicitur metuendum esse, ne forte Deus non parcat? Qui iustificatus est, ut propter peccata, quae commisit, antequam iustificatus esset, damnetur, iam timendum non habet. Quid ergo istud est, *Ne forte nec tibi parcat?* Philippenses monet Apostolus, ut cum metu, et tremore suam salutem operentur. „Deus enim est, inquit, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.“ Philip. 2. v. 12. Quid est hoc, quod inde metuendum sit, quod Deus in nobis operetur velle, et perficere, qui „Tutiores vivimus, quem-

„ admodum inquit S. Augustinus de dono Perseve-„ rantiae cap. 6. si totum Deo damus, non autem „ nos illi ex parte, et nobis ex parte committimus ?“ nisi quod cum gratia ipsius salvemur, illudque Dei donum sit, et non ex nobis, Eph. 2. v. 8. nec sit volentis, et currentis, sed Dei miserentis Rom. 9. v. 16. nec proinde certum etiam sit, án hanc gratiam, quam iam dedit, continuaturus semper, et an non nos labi in peccatum permissurus sit, et unde nos per suam gratiam non liberet? Qua ratione David, et Petrus in peccatum lapsi etiam periissent, nisi sua misericordia Deus illis subvenisset. Quamvis ergo „ Deus sua gratia semel iustificatos, „ quemadmodum Concilium Tridentinum inquit Sess. „ 6. cap. 11. non deserit, nisi deseratur“ et gratiae suae auxilium, qua agere possint bene, illis non subtrahat; non tamen omnibus iustis etiam eam gratiam tribuit, ut bonum operentur, quaeque gratia a Theologis vocatur efficax. Quam si omnes acciperent, utique ab iusitia per peccatum non deficerent. Tum vero Deus, lapso parsurusne sit, vel non, et per misericordiam suam largiturus gratiam ad resurgendum ex peccato, certum non est, ideoque timendum, ne forte non parcat. Quemadmodum erga eos iustos, quos Deus per gratiam suam aut in accepta iustitia servat, ne cadant; aut si cadunt, iterum ad eam revocat, effectus misericordiae est, qua illos ad gloriam praedestinavit; ita ergo eos, qui iam etiam iustificati fuerunt, dum a Deo sinuntur labi, nec deinde ex casu eriguntur per gratiam; ef-

fectus illius ipsius iustitiae est, qua illos per suae electionis propositum non discrevit a damnationis massa, et quibus non parcit, quos ex reproborum numero non exemerit, quamvis temporariam aliquam gratiam illis concesserit, non quasi vindicaret Deus adhuc illud peccatum, cuius veniam ei, qui fuit iustificatus, iam concessit, „Nihil enim damna„tionis est iis, qui sunt in Christo Jesu" Rom. 8. v. 1. sed quod erga iterum peccantem non se iam misericordem exhibere decreverit, nec cui gratiam etiam illam, ne peccaret, et acceptae iustitiae iacturam faceret, dare voluerit. Hac ergo ratione cum Deus naturalibus ramis non pepercerit, fuerunt enim iustificati, qui signaculum iustitiae fidei acceperunt in circumcisione; monet Apostolus ramos insititios, ne sibi quidem de securitate esse insolescendum, sed ne forte ipsis quoque Deus non parcat, esse metuendum.

22. *Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris.* 23. *Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos.* 24. *Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam, quanto magis ii, qui secundum naturam inserentur suae olivae?* 25. *Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia caecitas ex parte contigit in Israel,*

donec plenitudo gentium intraret, 26. *et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, et avertat impietatem Jacob.* 27. *Et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum.* Anterior pars huius testimonii est ex Isaiae capite 59. versu 20, posterior ex Jeremiae capite 31. versu 34. Ex contextu autem orationis perspicuum est, de Judaeis illis ipsum loqui, qui per infidelitatem corruerunt, ac proinde quos Deus, ubi plenitudo gentium intraverit, rursus ad fidem revocaturus per suam gratiam sit. Hoc est, Judaei eousque sinentur a Deo in sua caecitate, dum is numerus fuerit completus, quem Deus ad salutem perducere constituit ex gentilibus. In fine autem mundi istud futurum est. Sic enim de tempore illo est etiam scriptum apud Danielem cap. 12. v. 1. „Et veniet tempus, quale non fuit „ab eo, ex quo gentes esse coeperunt, usque ad „illud: et in tempore illo salvabitur populus tuus, „qui inventus fuerit scriptus in libro.“ Ex quo illud etiam intelligitur, etiam tum eos Judaeos salutem tantum adepturos, qui scripti sunt in libro: ac proinde, quod a Paulo positum est, omnem Israelem salvum futurum, non esse absolute sic sumendum, quasi omnes prorsus, qui tum Judaei victuri sunt, ad fidem essent adducendi, salutemque adepturi; sed esse consvetudine Scripturae universalem terminum positum pro maxima parte.

28. *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem charissimi propter patres.* 29. *Sine poenitentia enim sunt dona, et vocatio Dei.* De Israel, et de Judaeis continuat orationem, in quibus tunc caecitas accidit, quae durat etiam nunc. *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos:* hoc est, aperte ponendo verbum, quod tacite intelligitur: *Secundum Evangelium quidem sunt inimici propter vos, secundum electionem autem charissimi propter patres.* Secundum Evangelium autem inimici, cui videlicet non crederent, et cui adversarentur, ac propterea Deo essent exosi, propter eos autem, qui ex gentibus crederent, siquidem ex eorum delicto salus esset iisdem gentibus, quemadmodum fuit supra versu 11. Quasi ergo dixisset; Deus illis infensus est, ut vobis beneficum se exhiberet, citius ad salutem vos perducendo, quam illos. Secundum electionem autem sunt charissimi propter patres: hoc est, respectu autem eorum, quos Deus ex illis elegit, quique etiam adhuc in fine mundi salvi fient, sunt Deo charissimi, propter patres autem illorum, Abrahamum videlicet, Isaacum, et Jacobum, quorum Deus posteros penitus abiicere noluerit, et quibus semper iterum propitius fieret. Levit. 26. v. 44. „Quod adiungit, ait S. „Augustinus epist. 149. ad Paulinum, secundum „electionem autem dilecti propter patres, hic osten„dit non illos inimicos, sed electos esse dilectos. „Sed Scripturae mos est ita loqui de parte tam-

„quam de toto: sicut Corinthios in primis episto-
„lae suae partibus ita laudat, tamquam omnes
„tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum,
„et postea in nonnullis epistolae ipsius locis ita
„reprehendit, tamquam omnes culpabiles essent,
„propter quosdam, qui tales erant." Nec tamen, quod hos Deus dilexerit, sic est positum, quasi causa, quae Deum moverit, ut illos eligeret, fuerint patres, et illorum merita, cum ipsos etiam patres, sine operibus secundum suum tantum propositum elegerit: Rom. 9. v. 11. sed tantummodo, quod patribus promiserit se illorum semen penitus repudiaturum numquam, et vi cuius promissionis se Israelitis Deus propitium exhibebit adhuc in fine mundi. *Sine poenitentia enim sunt dona, et vocatio Dei.* Quod eo pertinet, quod cum Deus Abrahae etiam secundum carnem posteris promiserit vocationem ad fidem, et ad salutem; huius illum doni, quod promisit, poenitentia subeat nulla, nec subire possit. Neque enim mutabilitas aliqua voluntatis cadere in Deum potest.
„Sine poenitentia sunt dona, et vocatio Dei, id
„est, ait S. Augustinus de Praedestinat. Sanct.
„cap. 16. sine mutatione stabiliter fixa sunt."

30. *Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum,* 31. *ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur.* 32. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut*

omnium

omnium misereatur. Judaei tunc non crediderunt, quando per Apostolos est praedicatum Evangelium, neque nunc adhuc credunt, ut et ipsi misericordiam consequantur, postquam increduli fuerunt. Neque enim incredulitas ipsorum, causa Divinae misericordiae fuit; sed sivit illos Deus cadere in incredulitatem, ut quemadmodum ex incredulis, et a suo cultu, atque notitia alienis gentilibus sibi effecit fidelem populum; ita gratiae hocce eius donum in Judaeis etiam similiter exsplendesceret. Tanto enim magis apparet Dei misericordia, et bonitas; quanto indignioribus gratiam tribuit. 33. *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! 34. Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? 35. aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? 36. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Quod argumentum Apostolus tractavit hactenus de gratuita electione eorum, qui vocantur ad fidem, et ad salutem ex sola Dei misericordia, et gratia, atque ista agendi ratione erga Judaeos, et gentiles, quae modo proposita est; nunc ista exclamatione concludit, ut doceat, consilium Divinae voluntatis, quo haec omnia fiunt, esse humanae menti impervium, et impenetrabile. Totam vero hanc exclamationem de profunditate Dei consiliorum ex Scripturae documentis, atque testimoniis contexuit. *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei*, est ex Psalmi 146. versu 5. ubi

dicitur, Sapientiae Dei non esse numerum. *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius*, est ex Psalmi 35. versu 7. ubi iudicia Dei vocantur abyssus multa. *Et investigabiles viae eius*, est ex Eccli. capite 3. versu 1. Sapientiam Dei, omnia praecedentem neminem investigasse. *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* est ex Sapientiae capite 9. v. 13. ubi sic est: ,, Quis ,, enim hominum poterit scire consilium Dei, aut ,, quis poterit cogitare, quid velit Deus?" vel etiam ex Isaiae capite 40. v. 13. ,, Quis adiuvit Spi- ,, ritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, et ,, ostendit illi? cum quo iniit consilium, et instru- ,, xit illum?" *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* istud denique est ex Jobi capite 41. versu 2. ubi Deus inquit: ,, Quis ante dedit mihi, ,, ut reddam ei?" Nempe omne nostrum est nihil. Ex nihilo enim sumus, et quidquid habemus, ab illo accepimus, a quo ipsum nostrum etiam esse est. ,, Quid dedimus Deo, ait S. Augustinus Serm. ,, 16. quando totum, quod sumus, et quod habe- ,, mus boni, ab illo habemus?" *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Omnia ex ipso dicuntur esse, quod omnibus Deus, quae existunt, originem, atque existentiam tribuerit; omnia per ipsum, cuius vi omnia facta sint, et fiant, in ipso: hoc vero in Graeco est: *in ipsum:* εἰς αὐτὸν, in quem veluti finem suum, ad quem facta sunt, omnia referantur. *Ipsi gloria in secula: Amen.* Totum hoc profundissimum Divinae electionis mysterium, siqui-

dem in eo erga electos bonitatis suae infinitum thesaurum patefecerit, gratiarum actione, et laudando Deum Paulus concludit. „Quando enim mirabile „quidpiam, ait S. Chrysostomus homil. 19. et „arcanum dicit; mirabundus in gloriam Dei desinit.“

CAPVT XII.

Hortatur, ut se totos Dei obsequio impendant, mutuoque complectantur veluti eiusdem corporis in Christo membra: seque diligant invicem absque simulatione, ne alicui malum pro malo reddant, sed ipsos inimicos diligant, beneficiisque malefacta compensent.

1. *OBSECRO itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* „Postquam Apostolus osten„dit, ait S. Thomas in Commentario, necessita„tem virtutum, et originem gratiae; hic docet „gratiae usum, quod pertinet ad instructionem „moralem. Et circa hoc duo facit. Primo ponit „doctrinam moralem in generali, secundo specia„liter descendit ad quaedam particularia, pertinen„tia ad eos, quibus scribit circa medium capitis „15. Circa primum duo facit: primo docet usum „gratiae, quantum ad hoc, ut sit homo perfe„ctus, secundo, quantum ad hoc, ut perfectus

„ imperfectum sustineat. Circa primum tria facit: pri-
„ mo inducit ad perfectionem vitae, quantum ad
„ sanctitatem; quam homo servat Deo; secundo
„ quantum ad iustitiam, quam quis exhibet proxi-
„ mo, tertio quantum ad puritatem, quam homo
„ servat in seipso. Circa primum duo facit: primo
„ monet, ut homo se exhibeat Deo sanctum, se-
„ cundo docet, qualiter aliquis uti debeat donis
„ gratiae, quibus sanctificatur." *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei.* De misericordia Dei, quemadmodum iam demonstratum est etiam in fine superioris capitis, tractavit in antecedentibus capitibus, per quam Dei misericordiam ipsi etiam Romani, ad quos scribit, gratiam consecuti sunt. Per hanc igitur ipsos obsecrat, ut exhibeant corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium suum. Victima, quae in sacrificio immolabatur, igne consumebatur, ut sic tota quasi mitteretur ad Deum, cui offerebatur. „ Unde ipse homo, ait S. Augustinus
„ lib. 10. de Civ. Dei cap. 6. Dei nomini consecratus
„ et Deo devotus, in quantum mundo moritur, ut
„ Deo vivat, sacrificium est." Id qua ratione Christiano praestandum esset, perspicuum fit ex verbis Apostoli capitis 6. versu 11. „ Existimate vos
„ mortuos quidem esse peccato, viventes autem
„ Deo in Christo Jesu Domino nostro. Non ergo
„ regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut
„ obediatis concupiscentiis eius, sed neque exhibea-
„ tis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed

„exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes, „et membra vestra arma iustitiae Deo." Hanc exhibitionem corporis, instar hostiae viventis, rationabile obsequium vocat Apostolus Graece, τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν, *rationalem cultum vestrum*, rationale sacrificium vestrum. Est nimirum explicatio, qua ratione illa exhibitio sui corporis instar hostiae fieri debeat per mentis, et animi eiusmodi obsequium erga Deum, ut tota intentione homo, feratur ad Deum, et ad eum omnia referat, nec sibi, sed Deo vivat, atque seipsum tota mente sacrificet Deo. „Quid est rationabilis cultus? ait „S. Chrysostomus homil. 20. Spirituale ministerium, „vita secundum Christum."

2. *Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Quid sit conformari huic seculo, potest intelligi ex illis verbis ad Colossenses cap. 3. v. 1. tamquam e contrario: „Quae sursum sunt, quaeri„te, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quae „sursum sunt, sapite, non quae super terram:" item ex illis verbis S. Joannis: „Nolite diligere „mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Si „quis diligit mundum, non est charitas Patris in „eo: quoniam omne, quod est in mundo, con„cupiscentia carnis est, et concupiscentia oculo„rum, et superbia vitae." 1. Joan. 2. v. 15. Etiam alterum de reformatione per novitatem sensus, declaratur illis Apostoli verbis ad Colossenses:

„Exspoliantes vos, inquit, veterem hominem „cum actibus suis, et induentes novum, eum, qui „renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, „qui creavit illum" Colos. 3. v. 9. *Ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta*, Graece: εἰς τὸ δοκιμάζειν: quod verbum significationem etiam habet explorandi, examinandi, et investigandi. Sensus igitur est, ut scire curent, quae Dei sit voluntas, atque hanc exsequerentur.

3 *Dico enim per gratiam, quae data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Dico enim per gratiam, quae data est mihi*, Apostolus sui intelligit gratiam. Sic enim infra capite 15. versu 15. etiam inquit: „Propter gratiam, quae „data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Je„su in gentibus:" *Omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem et unicuique*, non est in Graeco vox copulativa: *et*, atque sic magis inter se cohaeret oratio: *sed sapere ad sobrietatem, unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Eo autem pertinebat haec adhortatio, ut se intra fines sui ministerii, vel doni, quod a Deo accepisset, unusquisque teneret, nec altiora appeteret, contentusque eo esset, et modeste se se in eo gereret, quod sibi datum haberet secundum mensuram fidei, illius videlicet fidei, quae consisteret in exhibitione alicuius mini-

sterii, et quatenus actuosa esset; et quam proinde operatricem per charitatem, ut eam Paulus ad Galatas cap. 5. v. 6. vocat, alius alio genere obsequii in Ecclesia deberet, exhiberet, quod sibi haberet commissum a Deo.

4. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; 5. ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Dixerat omnes esse unum corpus in Christo. Alter ergo alterius membrum intelligitur, quatenus membra eiusdem corporis communionem inter se habent mutuam. 6. *Habentes autem donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, 7. sive ministerium in ministrando, sive qui docet, in doctrina, 8. qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praeest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.* Est hoc nexum cum eo, quod antecessit: Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra; sed qui habeamus donationes secundum gratiam, nobis datam, differentes, vel prophetiam secundum rationem fidei, vel ministerium in ministrando, vel qui docet, ministerium habeat docendi, qui exhortatur, ministerium exhortandi, qui tribuit, ut tribuat in simplicitate, qui praeest, ut praesit in sollicitudine, qui miseretur, ut opus misericordiae exerceat cum hilaritate. Inter has donationes primo loco posita est prophetia secundum rationem fidei. Prophetiae au-

tem vocabulum non semper eadem ratione sumitur in Scriptura. Usurpatur communissime pro praedictione, quae Divino Spiritu fit. Prophetae autem quinam insuper dicerentur, perspicuum fit ex illis Apostoli verbis: „Qui loquitur lingva, non homi„nibus loquitur, sed Deo, nemo enim audit: Spi„ritus autem loquitur mysteria. Nam, qui prophe„tat, hominibus loquitur ad aedificationem, et ex„hortationem, et consolationem. Qui loquitur lin„gva, semetipsum aedificat; qui autem prophetat, „Ecclesiam Dei aedificat." 1. Cor. 14. v. 2. Qui ergo fidei mysteria explicaret, Dei spiritu collustratus, ad instruendam, et aedificandam Ecclesiam, propheta dicebatur. Atque ideo haec prophetia, quae nunc recensetur inter dona, prophetia vocatur secundum rationem fidei, Graece, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίςεως, *secundum convenientiam fidei.* Neque enim ad aedificandam Ecclesiam eiusmodi prophetia idonea fuisset; quae aliquid proponeret, quod cum recta fide conveniens non esset: sed nec vera fuisset prophetia, et a Dei spiritu proficiscens, si dissonum aliquid a fide habuisset. Neque enim Deus contraria revelare potest. Ministerium, quod secundo loco memoratur inter donationes, potest intelligi hinc, quid proprie sit, quod se, ceterosque Apostolos Paulus vocet ministros Christi. „Sic nos, „inquit, existimet homo, ut ministros Christi, et „dispensatores mysteriorum Dei." 1. Cor. 4. v. 1. Timotheo quoque scribit, et praecipit, ut ministerium suum impleat. 2. Tim. 4. v. 5. Ministerium

igitur intelligitur ordinis Ecclesiastici, cuiusmodi ministri erant, et sunt episcopi, presbyteri, et diaconi. Qui docet, in doctrina; et qui exhortatur, in exhortando, etiamsi ad idem videatur posse utrumque referri; differunt tamen illa ratione, quod doctrina sit adhibenda erga eum, qui ignarus est; adhortatio autem sit exstimulatio tantum ad id, quod quis torpore, et negligentia praetermitteret. Tribuere in simplicitate, quid sit, perspici potest ex contrario, si quid duplici corde tribuatur, quando praeter id, quod is, qui tribuit, ante se fert foris in externa actione, ut subveniat quasi dilectionis studio egenti, aliam intentionem occulte gerit in mente, unde ipse sibi fructum alicuius commodi, aut saltem ostentationis quaerit, quem vult decerpere. 9. *Dilectio sine simulatione.* Verbum est elliptice positum: Dilectio sit sine simulatione: ut nimirum sincere, et ex animo essent bene affecti erga alios, non verbis tantum istud iactarent. *Odientes malum, adhaerentes bono.* Sitis odientes malum, adhaerentes bono. 10. *Charitate fraternitatis invicem diligentes*, Graece: *Fraterna charitate ad vos mutuo amandos propensi* (Τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι) *honore invicem praevenientes.* 11. *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.* In Graecis codicibus, sed non ubique est loco huius, *Domino servientes*, tempori servientes (τῷ καιρῷ δουλεύοντες) Orientales autem Versiones omnes etiam cum nostra Vulgata conveniunt, et sic existit etiam apud S. Chrysostomum, Theodore-

tum, Theophylactum, et Latinos Patres omnes, excepto illo interprete uno, qui sub nomine S. Ambrosii Commentarium habet in epistolas S. Pauli. Unde diiudicare difficile non est, cuiusnam lectionis pondus sit gravius. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes*, 13. *necessitatibus sanctorum communicantes.* Sanctorum nomine fideles intelliguntur. Sic enim fuit etiam initio huius epistolae ad Romanos: „Omnibus, qui sunt „Romae dilectis Dei, vocatis sanctis.“ Cap. 1. v. 7. Graece est: ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες: *Cum sanctis ea, quae usui sunt illis, communicantes*: ut virtus subveniendi non extrudatur ad solam necessitatem. *Hospitalitatem sectantes.*

14. *Benedicite persequentibus vos: benedicite, et nolite maledicere.* 15 *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Etiam in Graeco utrumque verbum est in modo infinitivo: χαίρειν, κλαίειν. Multae tamen editiones Latinae habent imperativum: Gaudete, flete. Qua ratione sensus adcuratius exprimitur. Nam is infinitivus per participium est etiam vertendus: Gaudendum vobis est cum gaudentibus, flendum cum flentibus. „Idipsum pro invi„cem, ait Apostolus 1. Cor. 12. v. 25. pro invi„cem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum „membrum, compatiuntur omnia membra; sive „gloriatur unum membrum, congaudent omnia mem„bra. Vos autem estis corpus Christi, et membra „de membro.“ 16. *Idipsum invicem sentientes: non alta sapientes, sed humilibus consentientes:*

Graece: τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι, *ad humiles vos demittentes.* Pertinet videlicet praeceptum eo, ne sorte, et conditione infra se positos et pauperes ii, qui altius essent vel per honores, vel divitias collocati, despicerent. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* „Id est, ait S. Chrysostomus homil. „22. ne putetis vos sufficere vobismetipsis. Nam „alibi quoque dicit Scriptura, (Isaiae 5. v. 22.) „vae prudentibus apud semetipsos, et in oculis „suis sapientibus." Hoc est ergo, ne suae prudentiae inniterentur, quod his ipsis verbis etiam monuit Salomon. Proverb. 3. v. 5. 17. *Nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Providentes*, Graece, προνοούμενοι, quod significat curam, atque cogitationem in re aliqua adhibere. Sensus igitur est, ut studium in iis agendis ponant, quae et Deo probentur, et hominibus. 18. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* 19. *Non vosmetipsos defendentes*, Graece, *ulciscentes*, ἐκδικοῦντες, *charissimi, sed date locum irae. Scriptum est enim: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.* Deut. 32. v. 35. Nec tamen ab ipso etiam Deo ultio est expetenda. Hoc enim esset malum velle. Est autem superius versu 14. „Benedicite persequentibus vos, „benedicite, et nolite maledicere."

20. *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.* Hoc esse in-

telligendum de carbonibus ignitis super caput inimici congestis, quibus ille ad amandum nos accendatur, et provocetur, victus nostro beneficio; iam demonstratum est a me ad Proverbiorum capitis 25. versum 21. unde hoc a Paulo huc transsumptum est. Non enim defuerunt, quos S. Hieronymus refellit lib. 1. dial. contra Pelag. cap. 9. qui hoc sic accipiendum putarent, inimico esse benefaciendum, quo is in graviorem poenam deinde incidat apud Deum, propter suam malignitatem, quam erga nos non tantum innocentes, verum etiam de se bene meritos exercet. Ista enim ratione nostra erga eum beneficentia sincera non esset, cui per beneficium nostrum profundiorem foveam exitii conaremur struere apud Deum, nec per bonum vinceremus eius malum; sed nos potius superati essemus eius malo, inducti ad eamdem malam voluntatem erga illum, quam ille erga nos gerit, quod deinde sequente versu est, et quem locum tractans S. Augustinus Enarratione in Psal. 78. „Quomodo, inquit, potest „vincere in bono malum in superficie bonus, et „in alto malus? qui opere parcit, et corde saevit, „manu mitis, voluntate crudelis?" 21. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

CAPVT XIII.

Esse exhibendam subiectionem erga eos, qui potestatem exercent: monet, ne ulla re se paterentur esse debentes, quam diligendi alios officio. In uno enim dilectionis praecepto contineri mandata omnia. In propinquitate salutis abiectis operibus tenebrarum lucis arma, ipsumque Christum esse assumendum.

1. O*MNIS anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo. Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.* Documenta nunc tradit de subiectione erga principes, et magistratus. Rebellabant enim id temporis erga Romanos imperatores Judaei, quos ideo etiam Claudius, quemadmodum ad Actorum cap. 18. v. 2. demonstratum est, Roma expulit. Christianos autem, quorum magna pars reipsa constaret ex iis, qui genere essent Judaei, cum iisdem Judaeis gentiles confundebant. Sed et Religionem Christianam per seipsam exosam habebant, quod eorum superstitioni, qua tot inanes deos colebant, esset contraria, et cum adversarios ubique esset experta; Christianos non dubitarunt incusare tamquam turbarum auctores, et incentores. ,,Rumor undique circumferebatur, ,,ait S. Chrysostomus homil. 23. quo Apostoli, ut ,,seditiosi, et novarum rerum auctores incusabantur, ,,qui ad legum communium eversionem omnia fa- ,,cerent, et dicerent.“ Quod cum ita se haberet, ne qua paganis criminandi Christianam Religionem

occasio praeberetur a Christianis, quantum in ipsis situm esset; his eos praeceptis instruit Paulus, quod ipsum quoque fecit Petrus erga Judaeos ad fidem conversos, per Asiaeque provincias dispersos in prioris suae epistolae capite 2. v. 13. *Non est enim potestas, nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.* Potestas, Graece, ἐξουσία, significat potentiam, cuius ius in illo sit, qui illam exercet; ac proinde non intelligitur vis qualiscumque, quae etiam cum iniuria exercetur. Id enim, quo offenditur Deus, certe non est a Deo. Potestates autem a Deo ordinatae sunt. Quaenam autem potestates? non est dubium, quin de principum auctoritate loquatur. De his enim aperte deinde prosequitur orationem. „Nam principes, inquit, non „sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non „timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem „ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum.“ Non est autem ius hoc principum ordinatum lege tantum scripta, sed exstitit haec potestas iam etiam prius. Ergo consequens est, esse constitutam lege naturali. Nullum antiquius ius est sociale, quam eius, quod est mariti in uxorem, et parentum in filios. Ac prius, quo uxor subiecta est marito, magis etiam postea videtur accrevisse per Dei sententiam, qua illam subiecit marito Deus, postquam Eva Adamum ad peccandum induxerat, cui tum dixit: „Multi„plicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos, in do„lore paries filios, et sub viri potestate eris, et „ipse dominabitur tui:“ Genes. 3. v. 16. ius ve-

ro, quod parentes habent in filios, omnino prorsus est naturale. Contra naturam enim esset, quod ne quidem pecudes faciunt, ut pater, quem filium procreavit; huius deinde curam negligat, non illum regat, gubernet, non provideat, non ad illum finem dirigat praeceptis, et institutis, ad quem conditus a Deo est. Ex familiis autem domesticis excreverunt deinde integrae gentes. Eadem igitur ratione potestas unius se diffudit per aliquam totam nationem; qua familiae creverunt, ex quibus enatae gentes sunt. Unde perspicuum fit, principis in populum esse quoddam quasi ius paternum, non quasi alia via ad principatus postea non etiam perventum esset, siquidem filii cuiuspiam fieri possint etiam per adoptionem, quae beneficium naturae, et iuris imitatur; sed quod iuris istius prima radix, et fundamentum sit in generatione. Quemadmodum ergo pater, quia a Deo assumptus est tamquam instrumentum, et adiutorium procreationis filii; in filio educando opus Dei, cuius in procreando particeps factus est, continuare debet, ut filium eo ducat, ad quem a Deo productus est; ita intelligitur, cur Paulus etiam dixerit de principe: „Dei enim mi„nister est tibi in bonum:“ qui scilicet hoc ipsum, quod Deus vult, bonum, tamquam eius minister, curare debeat. Proculdubio autem illud bonum est, quod cum illo fine congruit, ad quem genus humanum condidit Deus, et malum, quod deficit, et deflectit ab illo fine. Ergo princeps intelligitur minister esse Dei in eo, quod pertinet ad illum fi-

nem, ad quem Deus creavit hominem, et non aliquid possit contra legem Dei, sed ipse subsit legi ipsius, tamquam minister regni ipsius. „Quoniam „cum essetis ministri regni illius, ait sapiens cap. „6. v. 5. non recte iudicastis, nec custodistis le„gem iustitiae, nec secundum voluntatem Dei am„bulastis. Horrende, et cito apparebit vobis, quo„niam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet.“

2. *Itaque, qui resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt; ipsi sibi damnationem acquirunt.* 3. *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali.* Hoc est, non sunt a Deo constituti sic, ut sint timori boni operis, nec potestas, quam a Deo acceperunt, huc pertinet; non quasi nulli fuissent, qui deterrere voluissent a bono, quales fuerunt, qui persecutores fuerunt Religionis. *Vis autem non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex illa.* 4. *Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Antecessit, eum, qui potestatem exercet, Dei ministrum esse, et vindicem in iram ei, qui malum agit. Ergo haec illa etiam ira intelligitur, propter quam illos subiectos esse iubet potestati: nec tamen propter hanc solam, verum etiam propter conscientiam. Ex quo vero manifeste consequens est, leges a principe, et a civili potestate latas obligare omnino in conscientia.

tia. Nam cum princeps Dei minister sit, et Dei nomine agat, a quo potestatem suam habet; consequens est, ut in Deum recidat, quod adversus auctoritatem principis peccatur. 6. *Ideo enim, et tributa praestatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes:* Graece, εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες, *ad hoc ipsum incumbentes*, et isti negotio, ut bonum fiat, insistentes, instantes, quemadmodum superioris capitis versu 12. hoc etiam a Vulgato nostro interprete versum est. Hinc vero intulit, merito principibus etiam tributa praestari. Nam, qui bonum eorum, quibus praeest, curat; aequum est, ut ab his fructum etiam aliquem sui laboris capiat.

7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* 8. *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Cum dixisset, cuique id esse reddendum, quod ei debetur, ita ut debitum nullum relinquatur; unum tamen debiti genus reliquit, cum dixit, ut nemini quidquam deberent, nisi ut se invicem diligant. Neque enim diligendi debitum exhauritur diligendo, cum eum etiam, quem iam dileximus, numquam non ulterius obligemur amare. „Semper enim debeo charitatem, ait S. Augustinus Epist. 192. quae „sola, etiam reddita, semper detinet debitorem. „Redditur enim, cum impenditur; debetur autem, „etiamsi reddita fuerit: quia nullum est tempus, „quando impendenda iam non sit.“ *Qui enim di-*

ligit proximum, legem implevit. Qui diligit proximum, Graece τὸν ἕτερον, *alterum*, quod proinde manifestius est de diligendo alio quocumque, sine respectu cuiusdam propinquitatis. Et tanto magis istud sic accipiendum est, siquidem ipsos inimicos etiam iubeamur diligere. Matth. 5. v. 44. Christus Matthaei cap. 22. v. 39. duo praecepta posuit charitatis, de Deo videlicet diligendo ex toto corde, et proximo veluti seipso, atque in his duobus mandatis dixit pendere totam legem, et prophetas. Vel ergo, dum Paulus dicit, legem implevisse eum, qui proximum diligit, legem solummodo hic intelligit diligendi proximum; vel vero, quod certius esse videtur, idcirco impleri legem per amorem, qui exhibetur proximo, dixit, quod in hoc Dei amor etiam contineretur. Neque enim verus, et secundum Deum proximi amor est, nisi is propter Deum diligatur. Si autem proximus propter Deum diligitur, in dilectione proximi amor etiam Dei comprehenditur, atque Deus ipse diligitur in proximo. „In dilectione proximi includitur dilectio Dei, ait „S. Thomas in Commentario, sicut causa includi„tur in effectu. Dicitur enim 1. Joan. 4. v. 21. *Et „hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit „Deum, diligat et fratrem suum.* Et e converso, „dilectio proximi includitur in dilectione Dei, sic„ut effectus in causa. Unde ibidem dicitur: *Si quis „dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum „odit, mendax est.* Et inde est, quod in sacra „Scriptura quandoque fiat mentio solum de dilectio-

„ne Dei, quasi sufficiat ad salutem, secundum il„lud Deuteronomii cap. 10. v. 12. *Et nunc Israel,* „*quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut ti-* „*meas Dominum Deum tuum, et ambules in viis* „*eius, et diligas eum?* quandoque autem fiat men„tio solum de dilectione proximi. Joannis capi„te 15. v. 17. *Haec vobis mando, ut diligatis* „*invicem.*“

9. *Nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* 10. *Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo erga legis est dilectio.* 11. *Et hoc scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere.* Pronomen *hoc* non pertinet ad subsequens nomen, *tempus*. Sic enim est in Graeco: καὶ τȣ̃το εἰδότες τὸν καιρὸν. Discordant enim manifeste in genere, et cum pronomen *hoc* sit neutrius, *tempus* in Graeco est generis masculini. Istud ergo: *Et hoc*, refertur ad id, quod antecessit, Et hoc de dilectione, intelligitur autem aliquod verbum, ut curarent, satagerent, scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere: ita ut intelligatur, nihil iam esse ultra cunctandum, et morandum, nec in hoc negotio quidquam stertendum. *Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.* 12. *Nox praecessit, dies autem appropinquavit.* Ubi nox praecessisset, dies autem appropinquasset, propius etiam dicit factam esse salutem, quam cum

crediclissent. In Graeco non est nox praecessit, sed nox processit (ἡ νὺξ προέκοψεν) Atque hoc congruit etiam magis cum eo, quod sequitur: dies appropinquavit. Nec proinde diei nomine lux Evangelii, et fides intelligitur; in ista enim die, et in hac luce clara Evangelii iam fuerunt, qui crediderunt. Attamen hanc tantum dicit appropinquasse, et se positos adhuc in quadam parte noctis, quae quidem iam processerit, nondum tamen transierit. Quaenam igitur haec salus est, quam propius dicit esse factam iam nunc, quam tunc fuerit, quando crediderunt? Est supra capitis 8. versu. 24. „Spe salvi „facti sumus. Spes autem, quae videtur, non est; „nam quod videt quis, quid sperat? Si autem, quod „non videmus, speramus, per patientiam exspe„ctamus." Intelligitur ergo salus, et praemium aeternae vitae, ad quam iam propinquiores facti sint, quam cum fidem suscepissent, utpote in aetate procedendo, et adpropinquando magis semper ad illam diem, in qua haec salus, quae speratur, tribuenda est. „Quando enim regis imminet adventus, inquit „S. Chrysostomus homil. 24. tum tanto magis se „se apparare oportet, quanto propius est bravium, „tantoque magis se se excitare oportet ad certami„na. Nam et cursores hoc agunt, cum ad cursus „finem devenerunt, et ad bravium accipiendum, „tunc magis excitantur, ideo dixit: Nunc enim pro„pior est nostra salus, quam cum credidimus."

Abiiciamus erga opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Peccata, et malae actiones sunt

opera tenebrarum. „Omnis enim, qui male agit, „odit lucem, et non venit ad lucem, ut non ar„guantur opera eius.“ Joan. 3. v. 20. Ex quo intelligitur, quaenam etiam sint arma lucis. Ad induendum autem se his armis hortatur, ad quae scilicet pietatis erga Deum opera vi omni, et contentione incumbant, et non minus resistant vitiis, quam miles se armis tuetur adversus hostem, atque hunc ipse conatur superare. 13. *Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et aemulatione.* 14. *Sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.* Induere Dominum Jesum Christum, veluti contrarium ei proponit, quod modo de operibus tenebrarum, de comessationibus, ebrietatibus, cubilibus, impudicitiis, contentione, et aemulatione dixit. Ergo consequens est, ut is Christum induere intelligatur secundum eam rationem, quam modo intendit Apostolus, qui istis vitiis contrarias virtutes exercet, hisque seipsum exornat, tamquam in seipso exprimens sobrietatem, temperantiam, modestiam, et omnes virtutes Christi. Hoc ergo de imitatione virtutum fuit Jesu Christi. Quod vero Augustani, et Helvetae rursus ad suam imputatitiam iustificationem trahunt, atque hinc probare solent ab eo, qui in Christum credit, Christum indui: et cum vestis, qua aliquis induitur, externe tantum corpus tegat, qui vero credit, Christum induat; iustitiam, quae per fidem in Christum est, non

esse eiusmodi, quae intrinsecus in homine, qui iustificatur, existat, sed quae illum tantummodo tegat, ita ut remanente pristina iniustitia, extrinsecus tantum fiat iustus per solam imputationem iustitiae Christi. De operibus autem hic tractat Paulus, non de ieiuna, et sterili fide. Ergo ista ratione operum, ac virtutum Christum a nobis indui intellexit. Cur sibi ex Christo vestem tantummodo suere volunt, ut foeditatem suae iniustitiae tegant, in qua sibi tantopere complacent, ut hanc sibi per Christum quidem eripi velint, quando Apostolus dicit, nos corpus factos esse Christi. „Membra, „inquit, sumus corporis eius de carne eius, et de „ossibus eius" Eph. 5. v. 30. et eiusdem epistolae capite 1. versu 22. „Ipsum dedit caput supra omnem „Ecclesiam, quae est corpus ipsius." Membra Christi, corpus Christi, vestisne tantum sunt Christi? Nam si in his, qui sunt in Ecclesia, tantum per modum vestis est Christus, ut illos tegat; illi nec membra, nec corpus sunt Christi. Unum autem sumus corpus cum Christo, sumus membra corporis ipsius, sumus de carne, de ossibus eius. Ergo, si Christus iustus est, etiam nos oportet esse iustos, nam si iusti non sumus; ipse Christus iustus non est, cuius membra iusta non sunt, unde ipsius corpus constat, si tamen viva ipsius membra sumus, et de Spiritu illius vivimus. Quod si autem per fidem tantum Christum indueremus, ut viva eius membra efficiamur, siquidem et daemones credant; Jac. 2. v. 19. sequetur, et hos esse indutos Christum,

et quoniam ista induitione obtinetur per Christum iustificatio; isti quoque eadem ratione, qua Helvetae, et Augustani, iusti sunt.

CAPVT XIV.

Cavendum esse, ne infirmis in fide offendiculum agendi aliquid adversus suam conscientiam praebeatur. Omnia esse munda, attamen malum esse manducare per offendiculum, quidquid non est ex fide, esse peccatum.

---

1. *INFIRMUM autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum.* „Multi, inquit S. „Chrysostomus homil. 25. ex credentibus Judaeo„rum erant, qui legis conscientia detenti, etiam „post acceptam fidem ciborum adhuc observantiam „custodiebant, nondum audentes omnino a lege re„cedere. Deinde ne deprehenderentur a suillis car„nibus abstinere tantum, ab omnibus deinceps car„nibus abstinebant, et olera tantum comedebant, „ut illud magis ieiunium videretur, quam legis „observatio. Alii rursus perfectiores erant, qui ab „horum nullo abstinebant, quique illis talia obser„vantibus onerosi, ac molesti erant, exprobrantes, „incusantes, et in moestitiam coniicientes. Timens „ergo beatus Paulus, ne paululum quid emendare „volentes, totum subverterent; neve, dum vel„lent eos ad ciborum indifferentiam deducere, id „efficerent, ut illi a fide resilirent, et cum ante „opportunum tempus totum emendare studerent;

„ circa capitalia damnum inferrent, a Christi con„ fessione illos, assidue increpando, removentes, „ ita ut in utraque incorrigibiles manerent; vide, „ quanta utatur prudentia, et quomodo, cum soli„ ta sibi sapientia utrique parti providere curet. Ne„ que enim increpantibus audet dicere, perperam „ agitis, ne illos in suis observationibus firmaret; „ neque rursus dicit illos probe facere, ne vehe„ mentiores accusatores redderet, sed cum mensura „ correptionem illam instituit.“ *Infirmum autem in fide assumite*, Graece, Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε, *Eum, qui fide est infirmus, assumite*, ita ut illud: *in fide*, non referatur ad verbum, *assumite*, sed ad nomen, *infirmus*. *Non in disceptationibus cogitationum*, Graece, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν, *non ad certamina disputationum*. Infirmus ergo fide intelligitur, cui adhuc conscientia reluctaretur, ne cibis vesceretur, quos lex vetus Judaeis interdicebat. Hunc ergo dicit, assumi oportere non in disceptationibus cogitationum, quod sequentis capitis versu 1. aliis verbis a Paulo dicitur: „ Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.“ Ut horum videlicet animos erigerent, et abstinentes sustinerent cedendo illorum conscientiae, non ad manducandum etiam contra suam conscientiam ipsos impellerent disceptando, ac disputando adversus illos. 2. *Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet.* Graece: ἐσθίει, *manducat*. Et sic contrapositio in-

ter hoc posterius, et anterius versiculi membrum magis constat, et cum alius se crederet omnia manducare, hoc est, manducare posse; is, qui infirmus esset, istudque sibi licere, ut omnia manducet, non putaret; solo tantum olere vesceretur, ut cum penitus ab omnibus carnibus abstineret; ab illis etiam carnibus, quas lex interdixerat, non ob conscientiam, quam non auderet prodere, ne ab aliis reprehenderetur, videretur abstinere, sed cuiusdam alterius sui propositi gratia.

3. *Is, qui manducat, non manducantem non spernat: et qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit.* Is, qui manducat cibos illos videlicet Judaeis antea sub lege interdictos, non manducantem non spernat. Dicitur inferius versu 15. „Noli cibo illum perdere, „pro quo Christus mortuus est.“ Ea igitur ratione ipsum sperneret, si salutis ipsius rationem nullam habendam duceret, atque illum ad edendas illas carnes contra conscientiam suam impelleret, in peccatumque praecipitem ageret. *Et qui non manducat, manducantem non iudicet:* ne suo scilicet iudicio eum damnet, et apud se statuat legis illum transgressorem esse. *Deus enim illum assumpsit.* Quomodo illum assumpsit? per suam gratiam vocando ad fidem, et ad suum cultum, atque obsequium. Sic enim deinde sequitur: „Tu quis es, qui iudi„cas alienum servum?“ Itaque alienum, et Dei servum illum non vocat, quem prius a Deo dicebat esse assumptum.

4. *Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. Stabit autem. Potens est enim Deus statuere illum.* Non cecidit reipsa is, qui iam in lege Evangelii discrimen illud, quod de mundis, et immundis animalibus, erat in vetere testamento, quoad eorum carnes in comedendo, non observaret, nisi fortasse cuipiam in fide infirmo offendiculum praebuisset, ad comedendas illas carnes suam conscientiam inducendo. Sed res sic in utramque partem posita est, ut in isto casu neutris alteros laedendi, et in crimen vocandi facultas relinqueretur. ,, Haec porro, ait ,, S. Chrysostomus homil. 25. nisi scopum Pauli ,, respiciamus, qui vult illos non ante opportunum ,, tempus increpari; indigna erunt illa cura, quae ,, Christianos deceat. Sed, ut semper dico, qua ,, mente haec dicantur, scrutari oportet, et de qua ,, materia loquatur, et quid emendare velit, cum ,, haec loquitur." Nempe docet S. Chrysostomus istud, quod modo positum est ab Apostolo, praecise pertinere ad istud negotium, de quo modo fit sermo, et in quo manducans manducantem, et vicissim, non debeat iudicare. Nam, si generaliter sumeretur; illud, quod contrarium hominis Christiani ei curae est, qua illum praeditum esse convenit, consequeretur; siquidem huius omnino sit, alterum errantem ad viam salutis revocare. Quid est ergo hoc, servus domino suo stat, aut cadit? hoc est, non alterius, quam domini sui sententia servum vel damnari, vel absolvi, si

accusetur. Neque enim iudicium celebrare potest quispiam de eo, in quem ius non habet. Adversus hunc enim pertinet hoc Apostoli dictum, qui manducantem alterum iudicaret, et apud se veluti trangressorem condemnaret. Itaque ipsi ab iudicio eiusmodi abstinerent, quod nisi temere possint exercere, siquidem sua conscientia is, qui non manducaret, manducantem non deberet metiri, ut quoniam ipse nondum auderet edere, quod lege veteri erat prohibitum; eiusmodi affectum esse conscientia, debeat iudicare etiam alterum. „Quod „dicit: Suo domino stat, aut cadit, exponendum „est, ait S. Thomas in Commentario, in iudicio „domini sui. 1. Cor. 4. v. 4. *Qui iudicat me, Do-„minus est.*“ Ergo istud quoque: *Stabit autem,* est accipiendum secundum scopum Apostoli de eo, qui carnes lege veteri vetitas ederet, quamvis ab alterius conscientia iudicaretur, et veluti transgressor haberetur. Potens est enim Deus statuere, Graece στῆσαι: quod significat proprie stantem facere, sive ut in stando firmiter consistat, sive etiam, si lapsus esset, rursum erigendo. Quoniam autem cadere positum prius fuit pro condemnatione, staturumque hunc eumdem dixit Paulus; consequens est, ut istud, statuere quoque quoad hunc, quem temere iudicarent, de firmitate in consistendo, accipiendum sit. Quia autem istud sic positum est, ut qui staret, non sua vi, et virtute diceretur stare, sed quod Deus hanc potentiam illum statuendi habeat; S. Augustinus consequentiam intulit in

libro de Correp. et Gratia cap. 12. Dei solius esse, standi firmitatem tribuere, ut qui stant, vel perseverantissime stent, vel restituere, si cecidissent, quod ipsius testimonium supra a me ad capitis 4. versum 21. productum est.

5. *Nam alius iudicat diem inter diem; alius autem iudicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundet.* Eos, qui ex Judaeis recenter tum ad fidem erant conversi, dierum etiam illorum rationem adhuc aliquam habuisse, qui observandi erant secundum legem veterem; perspicuum fit ex epistolae ad Galatas capite 4. versu 16. „Dies, „inquit ibi Paulus, observatis, et menses, et tem„pora, et annos," et ex epistolae ad Colossenses capite 2. versu 16. „Nemo ergo vos iudicet in „cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut „neomeniae, aut sabbatorum." Alius igitur iudicabat diem inter diem, qui, quod aliquam observantiam erga veterem legem, diem a die discerneret, et verbi gratia in paschate abstineret a pane fermentato, quoniam hoc sic antiquitus fuisset observandum. Nam hanc differentiam dierum sic esse commemoratam, ut haec ad ipsos cibos pertineret, intelligitur inde, quod infra etiam versu 15. ac deinceps ad finem usque capitis huius de cibis etiam tantummodo loquatur, et circa hos tota ipsius versetur oratio. Alius vero iudicabat omnem diem. Quod quoniam opposite est dictum ad id, quod antecessit, alium iudicare diem inter diem, istudque significet, ut modo demonstratum est,

discrimen facere inter dies; consequens est, ut iudicare omnem diem, significet, nullum discrimen facere inter dies, et omnes inter se pares ducere quoad illam ciborum rationem, quae certis festivitatibus observanda esset. De duplici autem hac ratione gerendi se erga istos dies, dictum est deinde ab Apostolo: *Unusquisque in suo sensu abundet.* „Sic enim et observantium timorem abegit, „rem esse indifferentem dicens; et insurgentium „in eos contentionem abstulit, ostendens non tanta „illos sollicitudine perpetuo exagitare opus esse. „Non tanta autem sollicitudo exhiberi oportebat, „non spectando rei naturam, sed quia nondum „tempus erat, et quia illi nuper ad fidem acces- „serant. Nam Colossensibus scribens, hoc magno „studio prohibet, dicens: *Videte, ne quis vos „decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam „secundum traditionem hominum, secundum ele- „menta mundi, et non secundum Christum.* Colos. „2. v. 8. Et rursum: *Ne quis igitur vos iudicet „in cibo, aut in potu, et ne quis vobis bravium „intercipiat.* Galatis autem scribens cum magna „adcuratione exigit ab illis in talibus philosophiam, „et perfectionem. Hic autem non eadem utitur „severitate, quod recens illi ad fidem accessissent. „Ne itaque ad omnia trahamus illud: *Unusquisque „in suo sensu abundet.* Nam cum de dogmatibus „agitur, audi, quid dicat: *Si quis vobis evangeli- „zaverit, praeterquam quod accepistis, etiamsi „angelus fuerit, anathema sit.* Gal. 1. v. 8. Et

„iterum: *Timeo, ne sicut serpens Evam decepit,* „*sic corrumpantur sensus vestri.* 2. Cor. 11. v. 3. „Et Philippensibus scribens, dicebat: *Videte ca-* „*nes, videte malos operarios, videte concisionem* „Philip. 3. v. 2. Apud Romanos autem, quia non- „dum tempus erat haec emendandi, *unusquisque,* „inquit, *in suo sensu abundet.*" Est hoc presse secundum Graecum sic: *Unusquisque, in propria sua mente certam persvasionem habeat.* (ἕκαςος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω.) Pertinet ergo istud eo, ne aliquis in utramlibet partem quoad cibos, qui in lege veteri erant prohibiti, ageret, et vel iis vesceretur, vel abstineret contra suam conscientiam, et si dubium haberet, num liceat, quod agit.

6. *Qui sapit diem, Domino sapit: et qui manducat, Domino manducat, gratias enim agit Deo: et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo.* Diem sapere est studere observantiae dierum, tamquam quos sentiat, et iudicet esse observandos. Sic enim supra etiam capite 8. versu 5. sapere carnem est positum pro eo, qui secundum carnem ambularet, atque studio esset deditus carnis voluptatum. Dicitur vero is, qui diem saperet, Domino sapere, quod licet rudi, et infirma fide, istud faceret, tamen hanc observantiam exhiberet ex officio secundum suam conscientiam erga Deum, et cavendi studio, ne eum offendat. *Et qui manducat, Domino manducat:* quem scilicet ea manducatione honoret. Statim enim sequitur, cur Domino manducet: *Gratias enim agit Deo.*

Et qui non manducat, Domino non manducat: quem videlicet sua etiam abstinentia honoret: quemadmodum de isto etiam sequitur: *Et gratias agit Deo*. Gratias autem agere est positum pro benedicere Deum, colere illum, obsequium ei exhibere, ponendo speciem unam Divini cultus pro genere. Nam cum cessasset quidem iam obligatio illius observantiae abrogatis illis legibus, quae ad solas caerimonias tantummodo pertinerent; et tamen etiam observantia, si quis uti ea vellet, permitteretur; qua indulgentia ipse etiam Paulus usus est, cum circumcidisset Timotheum; Act. 16. v. 3. qui sive manducabat illos cibos ex voluntate se se adcommodandi Evangelio, quod iam illas caerimonias sustulisset; sive non manducabat, retentus adhuc metu illarum legum, et cavendo, ne si eas violaret, offenderet Deum, honorabat Deum.

7. *Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur.* Hoc instar causae est positum, cur contraria licet res, manducare, et non manducare obsequii erga Deum pretium habere possit, dum ad Deum utrumque refertur: quemadmodum vivere etiam, et mori, quamvis contraria sint; tamen impendi possint, et sint impendenda in Dei obsequium. 8. *Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Matthaei capite 22. versu 32. Christus Deum dixit, non esse Deum mortuorum. Nempe, quo probaret Sadducaeis eos, qui quamvis corpore essent mortui, vi-

vere tamen secundum animam, et manere superstites. Cum quo hoc ipsum etiam, quod nunc a Paulo dictum est, convenit, nos etiam cum mortui fuerimus, futuros Domini. Si vero mortuo corpore spiritus non viveret; nos, qui possemus esse Domini, iam non superessemus. Neque enim nos tantum corpus sumus, et quod ipsum etiam in terram atque pulverem, ac proinde in aliam substantiam convertitur. 9. *In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum, et vivorum dominetur.*

10. *Tu autem, quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* Judicare refertur ad eum, qui ipse non manducans iudicaret alterum manducando peccare: spernere pertinet ad eum, qui cum ipse manducet, imbecillitatis conscientiae alterius non habita ratione, occasio peccandi ei fieret. 11. *Scriptum est enim: Vivo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingva confitebitur Deo.* Isa. 45. v. 24. 12. *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* „In epistola ad Hebraeos est capite 13. versu 17. „Obedite praepositis vestris, et subiacete eis, ipsi „enim pervigilant, quasi rationem pro animabus „vestris reddituri.“ „Sed dicendum, ait S. Tho„mas in Commentario, quod in hoc ipso, quod „praelati pro aliis rationem reddent, reddent ratio„nem pro suis actibus; quos circa subditos agere „debuerunt. Si enim fecerunt, quod competebat „eorum officio; non eis imputabitur, si subditi

pereant,

„pereant. Imputaretur autem eis, si negligerent fa-
„cere, quód eorum officium requirebat. Unde di-
„citur Ezechielis cap. 3. v. 18. Si dicente me ad
„impium, morte morieris, non annunciaveris ei;
„ipse in iniquitate sua morietur, sangvinem autem
„eius de manu tua requiram. Si autem tu annun-
„ciaveris impio, et ille non fuerit conversus; ipse
„quidem in iniquitate sua morietur, tu autem ani-
„mam tuam liberasti. Secundo infert conclusionem
„principaliter intentam in tota praecedenti parte,
„dicens, *Non ergo amplius invicem iudicemus*, sci-
„licet temerario iudicio, quod includitur rationibus
„supra dictis. *Nolite ante tempus iudicare.*" 1. Cor.
4. v. 5. 13. *Non ergo amplius invicem iudicemus. Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.*

14. *Scio, et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Quia, quo Judaei, tamquam immundo abstinebant, eo aliarum nationum homines utebantur citra aliquam distinctionem; inolevit apud eos, ut commune usurparent pro immundo. Sic enim manifeste commune pro immundo est positum etiam Actorum capite 10. v. 15. „Quod Deus purificavit, tu commune „non dixeris." Dicit ergo S. Paulus per Jesum Christum nihil esse commune, atque immundum, sumus enim per eum liberati ab illa differentia ciborum, quam lex imposuerat vetus, nisi adhuc sub Evangelio aliquis illud sumeret, quod sibi persva-

sum haberet esse vetitum, atque ista ratione hoc ei commune, et immundum fieret, quia contra conscientiam illud sumendo seipsum peccato contaminaret. 15. *Si enim propter cibum frater tuus contristatur; iam non secundum charitatem ambulas.* Contristabatur frater, qui cum ad declinandam insectationem alterius contra suam conscientiam carnes quasdam comedisset; in angores conscientiae incidit, non tantum quae eam remorderet de facto praeterito; sed quae metum ei etiam de futuro obiiceret, uti rursus periculo eiusmodi, et identidem exponatur, et idcirco in desperationem adigeretur. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Hinc vero duo inferuntur, primum, Christum esse mortuum etiam pro iis, qui pereunt. Nam, quem alter cibo perderet; pro hoc Christus dicitur esse mortuus. „Quamquam enim non omnes, ait „S. Chrysostomus homil. 26. lucraturus esset Chri„stus; attamen pro omnibus mortuus est, quod „suum erat, implens.“ Alterum est, quod si cibo potest perdi is, pro quo Christus mortuus est, cum comedere non sit credere; alia ergo etiam ratione, et non per solam infidelitatem possit amitti iustitia, et quamvis fidem aliquis habeat, si alia ratione praevaricetur, tamen periturus sit, contraquam credunt, et profitentur ii, qui sunt in Confessione Helvetica, et Augustana.

16. *Non ergo blasphemetur bonum nostrum.* Bonum nostrum est, liberos esse ab illa observantia distinctionis ferculorum. Qui vero contra con-

scientiam suam inductus est ad edendum, atque hinc in tristitiam coniectus; detestatus est deinde, atque execratus hanc libertatem edendi, quae ei offendiculo fuit. Ex quo intelligitur, quomodo Apostolus dixerit, blasphemari bonum nostrum. Sic enim pariter Paulus, cum 1. ad Corinthios cap. 10. v. 28. docuisset abstinendum esse ab idolothytis non propter propriam conscientiam alicui, qui sicut rem illam, quae idolis oblata est, propterea mansisse Dei creaturam, et esse bonam, sed propter alterius; blasphemiam vocavit, dum illius libertatem edendi alter, cui fuerat offendiculo, insectaretur. Bonum nostrum in Graecae lingvae codicibus est bonum vestrum. (Μὴ βλασφημείσθω οὖν ὑμῶν τὸ ἀγαθόν.) Syrus autem convenit cum versione nostra Latina. Perinde autem est, nam sive Romanos alloquens illorum dixit esse bonum; sive locutus est in sua, et illorum persona coniunctim; semper illud intelligitur bonum, quod erat tam ipsi, quam illis commune, ne iam tenerentur illa ciborum observatione.

17. *Non est enim regnum Dei esca, et potus, sed iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Eo istud refertur: „Noli cibo tuo illum per„dere, pro quo Christus mortuus est.“ Regnum caelorum autem adhuc in hoc mundo positum utique intelligitur illud, de quo etiam Joannes Baptista praedicavit, cum praecurreret Christi adventum, „Appropinquavit, inquit, regnum caelorum.“ Matth. 3. v. 2. et quod proinde per fidem in Christum in iustitia, et pace, et gaudio in Spiritu san-

cto dicitur esse positum. Eo autem istud spectabat, ne ii, qui scirent, non obtinere iam obligationem abstinendi a cibis, qui erant lege Mosaica vetiti, libertate sua abuterentur, et in eo ponerent gratiam Evangelii, si, etiam cum offendiculo, et detrimento salutis aliorum ederent promiscue omnes cibos. Non enim in cibo, et potu esse situm bonum Evangelii, sed in iustitia, in pace, et gaudio, quod diffunderetur in cordibus fidelium per Spiritum sanctum. Similiter Paulus etiam ad Corinthios epist. 1. cap. 8. v. 8. scripserat, „Esca, inquit, nos non „commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, „abundabimus: neque, si non manducaverimus, de„ficiemus. Videte, ne forte haec licentia vestra of„fendiculum fiat infirmis." Et ad Hebraeos cap. 13. v. 9. „Optimum est enim gratia stabilire cor, non „escis, quae non profuerunt ambulantibus in eis." Pertinet ergo istud de esca, et potu, non esse in his positum regnum caelorum ad libertatem edendi, et bibendi, ne quis in hac sitam esse putaret gratiam Evangelii, si iam his modo libere uti posset, unde eum antea lex prohibuisset, et esset ista libertate abstinendum, si ea cuipiam fortasse offendiculo esset. Hinc vero directe in oppositam partem, qui ex officina Lutheri, atque Calvini prodierunt, adversus Ecclesiae Catholicae abstinendi, et ieiunandi disciplinam sibi contrarium institutum libere feriandi, atque saginandi se, vi suae reformationis, induxerunt; et cum in esca, et potu sibi regnum caelorum constituissent, contraquam

dictum est ab Apostolo; tamen, hoc ipsum Pauli, in esca, et potu non esse regnum caelorum Catholicis opponunt adversus illorum abstinentiam, et ieiunia, cum potius isto Scripturae documento gladium illis in manum porrigant, quo per eos iugulentur. Neque enim nobis, qui in abstinentia, et ieiunio fructum pietatis reponimus, esca, et potus est regnum caelorum, sed abstinentia, et ieiunium, cumque ipsi in locum abstinentiae atque ieiunii in disciplinam Religionis induxerint escam, et potum, atque Evangelii observantiam in infarciendi se libertate ponant, quid aliud, quam escam, et potum constituerunt pro regno, caelorum? „Non in com-„essationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, „et impudicitiis, non in contentione, et aemula-„tione, sed induimini Dominum nostrum Jesum „Christum, et carnis curam ne feceritis in deside-„riis" fuit paulo ante in fine superioris capitis.

18. *Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus.* In hoc, quod proxime antecessit, in iustitia, in pace, in gaudio per Spiritum sanctum qui servit Christo, non per escam, et potum; is placet et Deo, et probatus est hominibus. Quod alterum rursus ad illud est opposite dictum, qui libertatem edendi sectantes, non manducantibus graves, atque importuni essent. 19. *Itaque, quae pacis sunt, sectemur, et quae aedificationis sunt, in invicem custodiamus.* 20. *Noli propter escam destruere opus Dei.* „Salutem fratris „sic vocat, ait S. Chrysostomus homil. 26. et ti-

„morem auget, ostenditque, illum contra conatum „suum facere. Non solum enim, inquit, non aedificas, quod putas; sed destruis, non hominis, sed „Dei aedificium, neque magnae cuiusdam rei cau„sa, sed vilis rei gratia, pro cibo inquit.“ Opus ergo Dei vocat fideles. „Ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu, in operibus bonis.“ Eph. 2. v. 10. Et 1. ad Cor. 3. v. 9. „Dei agricultura estis, „Dei aedificatio estis.“ *Omnia quidem sunt munda: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.* 21. *Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* Neque, in quo frater tuus offenditur, ellipsis est verbi, et intelligitur, bonum esse, nec aliud quidquam agere, in quo offendiculum patitur frater tuus, scandalizatur, aut infirmatur, in fide videlicet, in pietate erga Deum, labendo et peccando. „Bonum est, „ait S. Chrysostomus homil. 26. non comedere „carnes, et quid dico carnes? etiamsi vinum, etiam„si aliud quidvis offendiculo sit, abstine. Nihil „enim par est saluti fratris tui.“ Ista ratione Paulus etiam de se ad Corinthios scribens, „Si esca, „inquit, scandalizat fratrem, non manducabo car„nem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.“ 1. Cor. 8. v. 13.

22. *Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo.* „Fidem hic non eam, quae circa dog„mata est, dicit, verba sunt S. Chrysostomi ho„mil. 26. sed eam, quae ad rem propositam spe-

„ ctat. De illa enim dicit: *Ore autem fit confessio* „ *ad salutem* Rom. 10. v. 10. et, *Qui negaverit me* „ *coram hominibus, negabo et ego eum.* Luc. 9. „ v. 26. Illa enim subvertit, nisi eam confiteamur; „ haec vero, si intempestive confiteamur.“ Fides igitur pro conscientia, et persvasione est posita, qua aliquis crederet, certumque haberet sibi licere carnes etiam illas, et cibos comedere, qui antea per legem Moysis fuissent vetiti, huiusque rei libertatem iam esse factam per Evangelium. *Beatus, qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat.* Hoc est, beatus est ille, qui in eo, quod probavit esse faciendum, ubi deinde illud fecisset, a seipso non iudicatur, quem scilicet tum propria conscientia non accusaret, non in crimen vocaret, atque suo remorsu convinceret peccasse. Beatus igitur praedicatur, qui omne, quod agit, recta conscientia agit. „ Quia enim dixit, verba sunt S. Chry- „ sostomi homil. 26. *penes semetipsum habeat,* (fi- „ dem videlicet illam, de qua fuit in anteriore par- „ te istius versus) ne putaret hoc tribunal exiguum „ esse, ait hoc toto orbe tibi melius esse. Etsi omnes „ te accusant, si tu teipsum non damnes, nec con- „ scientia reprehendat, beatus es. Non autem de „ omnibus universim hoc dixit. Multi namque sunt, „ qui semetipsos non damnant, quique admodum „ delinquunt: hi omnium miserrimi sunt.“

23. *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, qui non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est. Qui discernit,* Graece,

ὁ διακρινόμενος, quod verbum passim etiam ab interprete Latino vertitur, haesitare, dubium, ancipitem esse, ut sunt eiusmodi exempla Matthaei 21. v. 21. Marci 11. v. 23. Jac. 1. v. 6. etc. Sensus ergo est, eum, qui dubia, et fluctuante conscientia, ex illis cibis, lege vetere prohibitis, comederet, esse damnatum, in quam videlicet damnationem incurreret, quia non ex fide comedisset, quia conscientiam non habuerit, et persvasionem sibi illud licere, quod ageret, quique proinde contra suam conscientiam ageret. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* „Causam dicit, ait S. Chry„sostomus homil. 26. ob quam damnatus est his „verbis: *Quia non ex fide.* Non quod immundus „sit cibus, sed quod non ex fide comedatur. Non „enim mundum esse credidit, sed ut immundum „attigit." Nam qui censet rem aliquam esse illicitam, quam tamen facit, voluntate sic affectus est, ut comparatus sit ad offendendum Deum, ac proinde eo ipso, agendo illud, peccat, itemque, qui in dubio agit. Nam etiam iste sic comparatus est, ut non curet committere, quod sentit posse esse peccatum, ac proinde paratus est etiam illud admittere, istaque prava sua voluntate peccat. S. Augustinus in libro de Gestis Pelagii cap. 15. et libro 4. contra Julianum cap. 3. S. Prosper contra Collator. cap. 22. et S. Fulgentius lib. 2. de Remiss. peccat. cap. 1. istud, omne, quod non est ex fide, peccatum esse de infidelium etiam operibus acceperunt, quatenus scilicet, nullum aliquod opus eorum

meritorium sit salutis, cum fides sit radix iustificationis, et quam cum infideles non habeant, Deo non possint placere, non quasi in omni suo opere peccarent, etiam dum rem bonam, et bona intentione agunt, verbi gratia opem ferendo ei, quem iniuste appeti ab alio vident; vel eleemosynam tribuendo, idque ex miserationis affectu erga eum, quem indigentem esse advertunt.

CAPVT XV.

Ferendas esse imbecillitates aliorum, illorumque, non nostro studendum esse commodo exemplo Christi, qui nostra causa etiam ipsas adversitates tulit. Quemadmodum ergo a Christo suscepti essent, ita ipsi quoque alter alterum complecterentur. Esse Judaeis Christum datum ex Dei promissione, gentibus ex misericordia. Ostendit se Romam esse venturum, ubi iter cum collectis eleemosynis Jerosolymam absolvisset.

1. *DEBEMUS autem nos firmiores inbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.* 2. *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad aedificationem.* 3. *Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* Ex hoc, quomodo Christus non sibi placuerit, intelligitur, qua ratione illi etiam, ad quos scripta haec est epistola, sibi non deberent placere, sed proximo. Christus vero ita sibi non placuit, ut nostrae salutis causa

etiam improperia susceperit, et non tantum suis commodis non studuerit, posthabitis nobis, sed nostra causa etiam incommoda susceperit. Ergo hoc, ut sibi non placeant, quod Romanis modo Apostolus praescripsit, illud etiam significabat, ut ii, qui inter ipsos iam firmiores, magisque provecti essent in fide, et notitia Evangelii, sic etiam aliorum bono, et profectui in fide studerent; ut illorum causa, quod sibi magis placeret, commodiusque esset, relinquerent, illorumque imbecillitati se se attemperarent. Petebat ergo ab ipsis Apostolus, ut non tantum sua illa scientia de cibis, aliis infirmioribus molesti non essent; sed illa libertate quidvis edendi, etiam ipsi, si ita opus esset propter aliorum imbecillitatem, non uterentur. 4. *Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus.* Quod modo produxit scriptum de Christo; istud idem docet nostra causa esse scriptum. Hinc autem consequens erat, ut quod de Christo scriptum esset, ad se etiam pertinere, sibique imitandum esse non dubitarent, et cum documenta patientiae ab exemplo ipsius Christi, et solatium ex illius consortio in nostra patientia cepissemus, spes in nobis incrementum caperet. 5. *Deus autem patientiae, et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum.* Deus autem, qui patientiae, et consolationis (παρακλήσεως) est largitor, det vobis, ut idem sentiatis invicem secundum id, quod docuit Jesus

Christus: 6. *ut unanimes uno ore honorificetis Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi.*

7. *Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei.* Propter quod complectamini vos mutuo per charitatem, quemadmodum et Christus vos sua charitate complexus est in honorem Dei, unde scilicet ex illorum fide, et cultu, quem Deo praestarent, Deus honoraretur. 8. *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum.* Declaratur illud, qua ratione Christus ipsos susceperit, quod superiore versu antecessit, ac Judaeos quidem sic esse ab eo susceptos, ut per seipsum circumcisionis hoc est, eorum, qui ex circumcisione essent, qua ratione etiam ad Galatas Petro Evangelium circumcisionis fuisse creditum, cap. 2. v. 7. dicitur, ministrum agere non dubitaverit, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones, quae eorum patribus factae de Christo erant. Nempe ista de causa cum Evangelii praedicandi causa ad alias nationes missi fuissent Apostoli; ad Judaeos a Patre missus ipse Christus est. „Non sum missus, inquit, nisi ad „oves, quae perierunt, domus Israel.“ Matth. 15. v. 24. 9. *Gentes autem super misericordia honorare Deum.* Est hoc nexum cum antecedente versu, et in eadem positione debet esse verbum *honorare*, in qua fuit antecedens, *ad confirmandas*, in eodem enim tempore verbum utrumque est, et ad eamdem praepositionem refertur. Sic est in Grae-

co, ut res per seipsam videri clarius possit: Λέγω δὲ Ἰησοῦν χριςὸν διάκονον γεγενῆσθαι περιτομῆς ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς επαγγελίας τῶν πατέρων: τὰ δὲ ἔθνη ὑπέρ ἐλέους δοξάσαι τὸν Θεόν. Hoc ergo clarius sic Latine reddi potest: *Dico autem Jesum Christum ministrum circumcisionis esse factum propter veritatem Dei, ut confirmet promissiones patrum, gentes autem pro misericordia ut glorificent Deum.* Christus igitur sic dicitur minister circumcisionis esse factus, ut hoc tamen etiam ad gentes pertinuisse intelligeretur: sed his ex misericordia, Judaeis autem vi factae a Deo promissionis: non quidem quasi etiam promissio non esset facta ex misericordia, sed quod haec postquam a Deo gratuito iam erat facta, illam deinde Deus vi etiam suae veracitatis impleverit. Dum ergo minister circumcisionis Christus est factus, Judaeos quidem suscepit vi Divinae veracitatis ad confirmandas promissiones; gentes autem per misericordiam, ad quas idem bonum Evangelii extendere voluerit. Ad hoc enim demonstrandum, quomodo utrosque susceperit, quemadmodum iam dictum est, hoc pertinet. *Sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, et nomini tuo cantabo:* 10. *Et iterum dicit: Laetamini gentes cum plebe eius,* 11. *et iterum, laudate omnes gentes Dominum, et magnificate eum omnes populi,* 12. *et rursus Isaias ait: Erit radix Jesse, et qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt.* Testimonia haec posuit, primum ex Psalmi 17.

versu 50. alterum est ex Deuteronomii cap. 32. versu 43. secundum Versionem Septvaginta, tertium ex Psalmi 116. versu 1. quartum denique ex Isaiae capite 11. versu 10. ad illud demonstrandum, quod dixerat Christum circumcisionis ministrum esse factum, ut gentes glorificent Deum, tamquam quod ipsum etiam esset ita praedictum.

13. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, et pace in credendo, ut abundetis in spe, et virtute Spiritus sancti.* Deum spei vocat ea ratione, qua etiam superius versu quinto Deum sapientiae, et solatii vocavit, cuius videlicet spei ipse esset etiam auctor in nobis, et largitor. 14. *Certus sum autem* Graece: *Persvasus sum autem*, πέπεισμαι δὲ, *fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere.* 15. *Audacius autem scripsi vobis, fratres ex parte, tamquam in memoriam vos reducens propter gratiam, quae data est mihi a Deo,* 16. *ut sim minister Christi Jesu in gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, et sanctificata in Spiritu sancto.* Sanctificans in Graeco est, ἱερουργῶν, quod verbum significat, sacris operari, sacro ministerio fungi. Quare, dum istud verbum adhibet Apostolus ad ministerium erga Evangelium; sanctificare Evangelium significat, munus exercere praedicationis Evangelii. *Ut fiat*, inquit, *oblatio gentium accepta*, cum illud verbum posuisset, quod significat sacris operari; per continuationem metaphorae,

pro gentium conversione posuit etiam gentium oblationem Deo acceptam, et sanctificatam per Spiritum sanctum, per quem scilicet ut haec oblatio fieret sancta, et Deo accepta, factum est. 17. *Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum.* Gloria haec erga Deum ipsius fuit, quod per eum fieret gentium oblatio, quae Deo esset accepta. Hanc vero in Christo se habere dicit, cuius videlicet dono illam praestet, et praestiterit: cuiusmodi etiam illud est ad Corinthios: „Qui autem gloriatur, in „Domino glorietur.“ 2. Cor. 10. v. 17. In Christo autem et Domino est gloriandum, si quid boni a nobis factum sit, quia quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Cor. 4. v. 7. 18. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus in obedientiam gentium verbo, et factis,* 19. *in virtute signorum, et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti, ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi:* Graece πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ, *impleverim Evangelium Christi*, hoc est, munus illius praedicandi, quod impleverit, cuique officio, sibi a Christo commisso, minime defuerit. De his autem rebus, quae per eum effecit Christus, dicit se non audere loqui; qui scilicet sibi non sumeret loqui, ne hoc ostentationis suae causa videatur facere.

20. *Sic autem praedicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum*

fundamentum aedificarem, *sed sicut scriptum est:* 21. *Quibus non est annunciatum de eo*, *videbunt*, *et qui non audierunt*, *intelligent*. Isaiae 52. v. 15. Sic autem praedicavi Evangelium, Graece: Οὕτω δὲ φιλοτιμούμενος εὐαγγελίζεσθαι, *Sic autem contendi evangelizare*, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem. Non ergo intelligitur, ibi Paulum tantum praedicasse, ubi praedicatio nondum aliqua praecessisset ab alio, nam in Antiochena Ecclesia integrum annum exegit in docendo, cum iam aliorum praedicatio ne magnus ibi numerus exstitisset credentium, Act. 11. v. 20, 26. nec certe hac ipsa epistola aliis praedicavit, quam iis, qui Evangelium iam perceperunt ab aliis; sed istud potissimum ipsius studium fuisse, ut ibi Evangelium praedicaret, ubi eius praedicatio nondum esset facta, ut ita eius lux ulterius diffunderetur. Atque ista ratione illud, quod subsequitur, bene etiam cohaeret cum eo, quod modo dixit, se se ideo ad illud usque tempus fuisse impeditum, cur venire ad Romanos non potuerit. Nam si noluisset ibi praedicare, ne super alienum fundamentum aedificaret; ubi praedicatum iam fuit Evangelium; non propterea habentem desiderium veniendi Romam, impeditum se fuisse debuisset scribere; sed potius se ad eos nec esse profecturum, siquidem hocce modo ibi, ubi iam esset praedicatum Evangelium, ipse illud etiam Romae praedicaret.

22. *Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc.* 23. *Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam praecedentibus annis,* 24. *cum in Hispaniam proficisci coepero, spero, quod praeteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.* Posuit: *ex parte*, ad desiderii sui magnitudinem erga eos exprimendam, quod tantum sit, quod expleri totum non possit. 25. *Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis:* Graece, διακονῶν τοῖς ἁγίοις, *ministrans sanctis*, quo intelligitur ipsum in illo opere, quo ministraret, eleemosynas autem pro Jerosolymitanis fidelibus colligebat, occupatum tunc fuisse. 26. *Probaverunt enim Macedonia, et Achaja*, Graece, εὐδόκησαν, *benevisum enim fuit* Macedoniae, et Achajae *collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem.* 27. *Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles; debent et in carnalibus ministrare illis.* 28. *Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc; per vos proficiscar in Hispaniam.* 29. *Scio autem, quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam.* 30. *Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem sancti Spiritus, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum,* 31. *ut liberet*

liberet ab infidelibus, qui sunt in Judaea, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis, 32. *ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum,* Graece: συναναπαύσωμαι ὑμῖν, *una refociller vobiscum.* 33. *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.*

CAPVT XVI.

Phoeben ministram Ecclesiae in Cenchris Romanis commendat: perscribit, quos a se vel aliorum nomine salutari velit, monet, eos esse ipsis vitandos, qui dissensiones faciunt. Concludit epistolam laudando Deum.

1. *Commendo autem vobis Phoeben sororem nostram, quae est in ministerio Ecclesiae, quae est in Cenchris:* Cenchras fuisse portum et oppidum prope Corinthum, iam in praefatione huius epistolae dictum est: 2. *ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis,* hoc est, quemadmodum decet eam suscipi a sanctis, *et assistatis ei, in quocumque negotio vestri indiguerit. Etenim ipsa quoque adstitit multis, et mihi ipsi.* 3. *Salutate Priscam, et Aquilam, adiutores meos in Christo Jesu:* 4. *qui pro anima mea suas cervices supposuerunt, quibus non solum ego gratias ago, sed et cunctae Ecclesiae gentium,* 5. *et domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Epaenetum dilectum*

mihi, qui est primitivus Asiae in Christo. Graece: *qui est primitiae Achajae in Christo*, ὅς ἐτιν ἀπαρχὴ τῆς 'Αχαΐας εἰς χριςόν. Pro Asia Achajam etiam Arabs, et Syrus habent. 6. *Salutate Mariam, quae multum laboravit in vobis.* 7. *Salutate Andronicum, et Juniam cognatos, et concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo.* 8. *Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino.* 9. *Salutate Urbanum adiutorem nostrum in Christo Jesu, et Stachyn dilectum meum.* 10. *Salutate Apellen probum in Christo.* 11. *Salutate eos, qui sunt ex Aristobuli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino.* 12. *Salutate Tryphenam, et Tryphosam, quae laborant in Domino. Salutate Persidem charissimam, quae multum laboravit in Domino.* 13. *Salutate Rufum electum in Domino, et matrem eius, et meam.* 14. *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, et qui cum eis sunt, fratres.* 15. *Salutate Philologum, et Juliam, Nereum, et sororem eius, et Olympiadem, et omnes, qui cum eis sunt, sanctos.* 16. *Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiae Christi.* 17. *Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, et offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis.* 18. *Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et*

per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium. Benedictiones pro laudatione, et approbatione sunt positae. Quod ex antecedente nomine, et ex dulcibus sermonibus intelligi potest. *Corda innocentium*, Graece est, ἀκάκων, quod pressius significat simplices, et fraudis expertes. 19. *Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo.* Sapientia in bono, significat mentis perspicaciam ad videndum, quid agendum sit bene, simplicitas in malo, ut se quasi imperitos, et ineptos exhibeant ad agendum aliquid male.

20. *Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum.* 21. *Salutat vos Timotheus adiutor meus, et Lucius, et Jason, et Sosipater cognati mei.* 22. *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam in Domino.* 23. *Salutat vos Cajus hospes meus, et universa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis*, Graece, ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως, procurator civitatis, *et Quartus frater.* 24. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* 25. *Ei autem, qui potens est vos confirmare iuxta Evangelium meum, et praedicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus aeternis taciti,* 26. *quod nunc patefactum est per Scripturas prophetarum secundum praeceptum aeterni Dei ad obeditionem fidei, in cunctis gentibus cogniti,* 27. *soli sapienti Deo*

per Jesum Christum, cui honor, et gloria in secula seculorum. Amen. Ei autem, qui potens est vos confirmare iuxta Evangelium meum, et praedicationem Jesu Christi, explicatur, quid sit Evangelium, praedicatio videlicet Jesu Christi, hoc est, in quo Evangelio Christus praedicetur, *secundum revelationem mysterii temporibus aeternis taciti*, etiam istud ad definitionem spectat Evangelii, in quo fiat revelatio mysterii, quod temporibus aeternis, hoc est, ab aeterno quod fuit tacitum, atque occultum: *quod nunc patefactum est*, quod mysterium nunc patefactum est, *per Scripturas prophetarum, secundum praeceptum aeterni Dei ad obeditionem fidei in cunctis gentibus cogniti*, quodque mysterium per Scripturas Prophetarum cognitum est, quod scilicet Prophetarum oraculis esset demonstratum, atque confirmatum, secundum praeceptum aeterni Dei, secundum ordinationem, et dispositionem aeterni Dei, ut omnes ei gentes obedirent, *Soli sapienti Deo* eidem videlicet, qui potens est, *per Jesum Christum honor, et gloria in secula seculorum.* Pronomen: *cui*, circa finem ultimi versiculi redundans est. Illa duo: *quod patefactum est*, *cogniti*, vel utrumque cum relativo, vel sine eo, Interpres ponere debuisset. Ita facilior, ac planior fuisset oratio. Hos autem tres ultimos versus quaedam editiones Graecae post finem capitis 14. habent positos. A Marcionitis videtur hoc esse factum, qui duo postrema capita istius epistolae reiecerunt. Nec bene illa interpositio eo quadrat, siquidem idem argumentum, quod Paulus in capite 14. tractat, adhuc in capite 15. continuetur.

In Graecis Codicibus reperitur haec appendix in fine huius epistolae: Πρὸς Ῥωμαίους ἐγράφη ἀπὸ Κορίνθου διὰ φοίβης τῆς διακόνου τῆς ἐν κεγχρεαῖς ἐκκλησίας: *Ad Romanos scripta a Corintho per Phoeben ministram eius, quae in Cenchris est, Ecclesiae.* Eiusmodi subscriptiones reperiuntur in aliis etiam epistolis Pauli, nec sunt canonicae auctoritatis.

EPISTOLA
B. PAULI APOSTOLI
AD CORINTHIOS PRIMA.

PRAEFATIO.

Corinthus fuit admodum nobilis urbs in Achaja, vel quae Graeciae provincia aliter etiam olim appellabatur Peloponesus, nunc vero Morea vocatur. In ea urbe annum, et sex menses fuit Paulus commoratus Evangelicae praedicationis gratia: cuius quam uberes fructus fuerint, intelligi inde potest, quod Paulo Dominus apparens demonstraverit, sibi in ea civitate multum esse populum, eiusque animum ad prosequendum munus praedicationis erga eosdem Corinthios confirmaverit, Act. 18. v. 10. Ecclesia, quam Paulus Corinthi plantavit, omnibus illis donis fuit cumulatissime ditata, quae primis illis temporibus effundi in fideles a Spiritu sancto consveverant. *In omnibus divites facti estis,*

inquit Paulus huius epistolae cap. 1. v. 5. *in omni verbo, et in omni scientia, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia;* atque lingvarum, prophetiae apocalypseos, interpretationisque dona nominatim capite 14. commemorantur, quibus fuerint Corinthii instructi. Duas ad Corinthios scripsit epistolas Paulus. Hanc priorem partim quibusdam quaestionibus, quae ei erant a Corinthiis propositae provocatus, dedit; partim, quod quaepiam de ipsis ei erant delata, quae his literis perstringit, et vult habere emendata. Sic autem se habet tota epistola. Statim sub initium capite 1. versu 11, exponit, sibi innotuisse, quod haberent dissensiones inter se, dum alii aliis seipsos conarentur anteponere dignitatis praecellentiam in Religione inde metientes, quod a digniore ministro baptizati essent, unaque secularis scientiae fastum in ipsis reprimit. Esse enim fidem non in sapientia humana, sed in virtute Dei, quodque fidei donum Deus rudibus et pauperibus in hoc mundo prae sapientibus, et divitibus contulerit, ne quisquam gloriari posset de seipso. Etiam cap. 4. licentiam coercet in ipsis iudicandi Evangelii ministros, quis altero dignior, praeferendusque videatur. Arguit deinde illos capite 5. quod in suo consortio adhuc quempiam tenerent, qui cum uxore patris sui fornicatus est. Postea capite 6. reprehendit etiam illud, quod in suis controversiis ad ethnicos iudices causam deferrent, et coram iis litigarent, nec inter se illas componere scirent; nec agi bene, quod vel lites, et iudicia

habeant, nullum malefactorem, et iniquum futurum regni caelorum possessorem. Venit deinde capite 7. ad quaestiones, sibi a Corinthiis propositas, et primum docet, omnino melius esse a coniugio penitus abstinere; si tamen se aliquis non contineret, melius esse nubere, quam uri, coniuges autem sibi debere mutuo debitum reddere; deinde capite 8. quamvis id, quod idolo immolatum esset, in se deformitatem nullam induerit ex immolatione, et Dei manserit creatura; tamen si res cuidam infirmo offendiculo esse posset, abstinendum esse, cavetque ne quis rem, secundum se spectatam, licitam, si cuipiam alteri noceret, sequeretur. Id quod capite 9. exemplo suo probat, qui cum ex Evangelio vivere potuisset, et victum ab iis exigere, quibus Evangelium praedicavit; tamen iure isto suo usus non sit, ne aliquod offendiculum praeberet in Evangelio. Docet, quemadmodum athleta in certamine victoriae praemium ante oculos gerit, ita ipsis aeternae vitae coronam in mente habendam, atque huc omnia esse referenda. Demonstrat capite 10. Israelitarum exemplo non omnes, qui ex Aegypto exiverunt, et mare Rubrum transiverunt, pervenisse ad terram promissam. Iterum capite eodem decimo, versu 14. monet, ut ab omni contagione idololatriae abhorrerent. Prohibet capite 11. ne feminae non velatae sint, aut in Ecclesia doceant. Etiam eodem capite 11. modum celebrandi coenam Dominicam, quemadmodum hanc ipsis tradiderit, atque ipse Domi-

nus instituerit, cum contra eum peccatum esset, in mentem ipsis revocat. Docet deinde capite 12. in Ecclesia dona Spiritus non omnia omnibus, sed alia aliis conferri secundum Dei voluntatem, quae sibi invidere invicem non debeant, quemadmodum nec membrum membro in eodem corpore, tametsi idem munus non agat, contrarium est. Demonstrat capite 13. unam praecellentissimam viam esse adversus omnia, charitatem, et sine qua, tametsi omnia alia haberent, tamen nihil essent. Itaque capite 14. ad spiritualia dona consectanda eos adhortatur, in hisque ipsis ordinem, atque modum praescribit, prophetiaeque donum lingvarum dono anteponit. Mulieres autem in Ecclesia docere, prorsus prohibet. Cumque inter ipsos, capite 15. versu 12. quidam fuissent, qui resurrectionem negarent, hunc errorem refellit adeo, ut nisi hoc de resurrectione certum sit, ipsa etiam fides inanis esset. Extremum capite 16. qua ratione eleemosynam in subsidium fidelium colligere deberent, ipsos instruit, et Timotheum, cum venerit, illorum studio, ac benevolentiae commendat, additisque salutationibus epistolam finit. Est haec epistola prius scripta, quam ea, quae in Bibliis prior ordine est ad Romanos. In hac enim eleemosynam tantum commendat, cum qua iam parata se in epistola ad Romanos profecturum ostendit Jerosolymam, ubi illam distribuat, qua de re iam etiam est dictum in praefatione ad epistolam ad Romanos. In Graecis codicibus ad calcem huius epistolae rursus

reperitur subscriptio, in qua est, scriptam, et missam eam esse a Paulo Philippis. Non tamen eo minus tenet, esse scriptam Epheso. In ipsa enim epistola capite 16. versu 8. scribit se mansurum usque Pentecosten Ephesi. Ergo cum scriberet, ibi quoque erat, unde scripserat, et de quo loco scripserat, se ibi usque Pentecosten mansurum. Salutat deinde Corinthios nomine Priscillae, et Aquilae, quos vero esse relictos Ephesi a Paulo, Actorum 18. v. 19. est. Denique quod salutem adscripserit Corinthiis ab Ecclesiis Asiae. Non autem alii salutem ei commiserunt, quam adscriberet, quam ii, apud quos fuit, cum epistolam daret. Ergo ex Asia epistolam dedit. Philippi autem non fuere in Asia, sed in Macedonia, quae provincia in Europa est. Ad quos vero scribit, Corinthii non soli fuerunt, gentiles, sed etiam Judaei, ut passim in aliis etiam epistolis ratio haec tenet, et quae causa est, ut dum seorsim iam hos, iam illos respicit oratio, non eodem modo semper attemperata sit.

CAPVT I.

Gratiis Deo actis pro donis Corinthiis collatis, cavet, ne ab invicem dissiderent, Mysterium crucis Christi esse nobis propositum ad salutem obtinendam, quae etsi humanae prudentiae videatur esse stultitia; eam nihilominus Deus elegerit, ut per ipsam credentes salvos faceret, sapientes, potentes, divitesque huius mundi respuendo, atque prae his rudes, atque pauperes maiore parte assumendo.

1. *PAULUS vocatus Apostolus Jesu-Christi per voluntatem Dei, et Sosthenes frater,* 2. *Ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco ipsorum, et nostro,* 3. *gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.* Sosthenes, quem sibi Apostolus adiungit in dando epistolam, fuit princeps synagogae Corinthi, priusquam fidem suscepisset. Act. 18. v. 17. Hunc ergo Paulus nunc habuit socium suae peregrinationis, atque idcirco eius etiam nomine literas dedit, quod proculdubio apud Corinthios in magna habitus sit existimatione. Salutis autem apprecationem non tantum erga Corinthios, verum etiam erga universos fideles, ubicumque locorum hi essent, instituit. „Etiamsi enim, ait S. Chrysostomus homil. 1. li-„terae ad Corinthios solum scriptae sunt; at omnes „in universa terra fideles memorat, ostendens unam

„ esse debere iu orbe Ecclesiam, licet multis in lo„ cis separatam, multoque magis eam, quae est „ Corinthi.“ Nempe iam hic in primo aditu epistolae sibi viam Paulus sternit ad illud, quod brevi propositurus aperte est, ne inter se dissidia, scissionesque haberent.

4. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Jesu,* 5. *quod in omnibus divites facti estis in illo in omni verbo, et omni scientia,* 6. *sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis,* 7. *ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi.* Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei Graece: ἐπὶ τῇ χάριτι, *pro*, vel *propter gratiam Dei.* Graeca enim praepositio ἐπὶ omnium istarum praepositionum officia subit: *quae data est vobis in Christo Jesu.* Rursus hic praepositio in Graece ἐν, loco praepositionis *per* est posita, quod etiam alibi saepissime fit. „Et gratia per quem data est, ait „ S. Chrysostomus homil. 2. an per me, an per alium „ Apostolum? nequaquam, sed per Jesum Christum. „ Illud enim: *In Christo Jesu*, hoc significat. Vide, „ quomodo saepe illud: *in* pro illo, *per quem*, po„ natur.“ *Quod in omnibus divites facti estis in illo*, hoc est, *per illum*, quemadmodum modo demonstratum est, *in omni verbo, et scientia*, in omni verbo praedicati vobis Evangelii, illiusque vobis data scientia, et cognitione; *sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis.* Anteces-

sit, in omnibus divites esse factos per Christum. Hac igitur ratione dicit testimonium Christi esse confirmatum in ipsis. In quibus videlicet omnia dona resplenduerint, quae per Christi Evangelium promitterentur. Atque sic deinde etiam illud cohaeret, quod sequitur, *ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi.* Non haec revelatio mysteriorum Evangelii intelligitur, hanc enim iam cum Evangelio assecuti sunt, sed bonorum exhibitio, quae ex fide in Christum per Evangelium promittuntur. „Per fi„dem enim ambulamus, et non per speciem." 2. Cor. 5. v. 7.

8. *Qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine in die adventus Domini nostri Jesu Christi.* Qui Deus, cui gratias agit pro ipsis, confirmabit illos usque in finem sine crimine in die adventus Domini nostri Jesu Christi: Syrus: *Qui confirmabit, ut absque crimine sitis in die Domini nostri Jesu Christi.* Secundum spem autem istud illis pollicetur. Tanto enim minus Corinthiis certitudinem hanc pollicitus est, quam nec ipse Paulus de se haberet. „Non quod iam acceperim, inquit, aut „iam perfectus sim, sequor autem, si quomodo „comprehendam." Philip. 3. v. 12, et 1. Corinth. 9. v. 27. „Castigo corpus meum, et in servitutem „redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse „reprobus efficiar." Ergone spe ista etiam Corinthios solari potuit, ut sine crimine usque ad diem adventus Domini perdurarent? Potestne aliquis di-

cere, se peccatum non habere? 1. Joan. 1. v. 8. Peccati nomine non solet in Scriptura semper designari gravis transgressio, et eiusmodi facinus, quod supplicio aeterno est expiandum. Sic enim de homine iusto etiam est Eccle. cap. 7. v. 21. „Non „est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, „et non peccet." Neque enim iustus esse posset, dum peccat, si per omne peccatum iustitia amitteretur. At vero per crimen gravis praevaricatio solet semper intelligi. Quare Paulus in episcopis etiam requirit, ut irreprehensibiles sint, et sine crimine: 1. Tim. 3. v. 2. Tit. 1. v. 7. ne autem vel leviter etiam peccarent, cum nemo iustus sit, qui non peccaret, certe ab illis non requisivit. Sine crimine ergo dixit, Deum illos esse confirmaturum: quia etiamsi in leviora peccata identidem inciderent; non tamen ideo damnationem subibunt.

9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii eius Jesu Christi Domini nostri.* Non est hoc promissum a Deo, ut quicumque in societatem Filii eius Jesu Christi vocatus est; sic confirmandus etiam sit a Deo, ut sit sine crimine in die adventus Domini. Sic enim cuique certum esset, qui per fidem in Ecclesiam, et societatem Christi cooptatus est, salutis se se compotem futurum. Nam cum Deus fidelis sit, non posset ullum esse dubium; quin, quod promisit, praestiturus, atque adeo omnes illos confirmaturus sit. Non ergo hoc, quod de Dei fidelitate Paulus dixit, huc ad hanc confirmationem sine crimine refertur; sed ad id, quod in fine ver-

sus septimi de exspectanda ab ipsis révelatione Domini nostri Jesu Christi dixit. In qua revelatione exhibenda, quam fidelibus promisit, si tamen in ea fide, quae per charitatem operatur, quaeque sola valet in Christo, Gal. 5. v. 6. perseverarent, „nam „qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit,“ Matth. 10. v. 22. Deus omnino fidelis est, et seipsum negare non potest. Illud autem: *Qui et confirmabit vos*, pertinet ad declarandum, qua ratione exspectandam haberent revelationem, quam videlicet aliter consequi non possent, quam si in ea gratia, quae iam ipsis esset data per Christum; in finem usque ab eodem Deo confirmarentur: Hoc autem secundum spem, et quatenus de omnibus ipsis bene existimaret, ad eos dixit, quemadmodum ista ratione ad Philippenses quoque scripsit: „Confi-„dens, inquit, hoc ipsum, quia qui coepit in vo-„bis opus bonum, perficiet usque in diem Christi „Jesu, sicut est mihi iustum hoc sentire pro omni-„bus vobis.“ Phil. 1. v. 6.

10. *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia.* 11. *Significatum est enim mihi dé vobis, fratres mei, ab iis, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.* Chloe feminae cuiusdam Corinthiae nomen est, ex cuius domo, et familia quispiam de dissensionibus istis, atque dissidiis Apostolum certiorem fecerat. Est igitur in hac locutione: *Qui*

sunt ex Chloes, elliptice suppressum, atque omissum nomen, domus, vel familia. Qua ratione similiter Graecum: ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου, etiam Latinus Interpres vertit: *Salutate eos, qui sunt ex Aristobuli domo* ad Romanos capite 16. v. 11. et qua ratione etiam illud ibi fuit in eodem Graeco: *Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo.* ,, Considera, ait S. Chrysostomus homil. 3. ,, prudentiam, quomodo non separatam personam ,, posuerit, sed domum totam, ne ipsi impeterent ,, eum, qui dixisset. Ita enim et illum texit, et ac- ,, cusationem sine metu aperuit. Non vidit enim so- ,, lum, quod illis, sed etiam, quod his expediret. ,, Ideo non dixit, significatum mihi est a quibusdam; ,, sed etiam domum indicavit, ut ne videretur com- ,, minisci.“

12. *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi.* Fuit Apollo vir eloquens, et diligenter docebat ea, quae erant de Jesu. Quod ei elogium tribuitur, Actorum cap. 18. v. 24. isque ipsos etiam Corinthios in doctrina Evangelii excoluerat. Est enim infra capitis 3. versu 6. de eodem Apollo erga ipsos Corinthios a Paulo dictum: ,, Ego plantavi, Apollo rigavit, ,, sed Deus incrementum dedit.“ Itaque, cur illius nomine aliqui gloriarentur, tamquam ab eo in fide instructi, vel baptizati, obscurum non est. Sed quaestio esse potest de Cepha. Nam Corinthios Paulus, a se solo genitos in Evangelio esse dicit. ,, Ut fi-

„lios meos charissimos moneo; inquit infra capite „4. v. 14. nam si decem millia paedagogorum ha„beatis in Christo, sed non multos patres. Nam in „Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.“ Cephas autem idem est, qui Petrus. Joan. 1. v. 42. Quosdam ergo oportuit esse Corinthi, et in Achaja, qui cum alibi adducti ad fidem fuissent per Petrum, Corinthum deinde commigraverint habitatum; aut ex ipsis Corinthiis aliquos peregre incidisse in Petrum, et ab eo fidem esse edoctos. Extremos etiam illos posuit, qui se Christi esse dicerent, non utique, quasi etiam istos reprehendisset, sic enim, se Christi esse, in secundae epistolae ad eosdem Corinthios cap. 10. v. 7. etiam de seipso affirmat, „Si „quis confidit sibi, Christi se esse, hoc cogitet ite„rum apud se, quia sicut ipse Christi est, ita et „nos,“ sed tantum ut recenseret partes omnes, in quas per denominationem, quam sibi tribuerent, scissi erant. „Cur vero addidit: *Ego autem Chri„sti?* verba sunt S. Chrysostomi homil. 3. Nam „si ii, qui se hominibus adscripserunt, peccave„runt, non certe ii, qui se Christo addicebant. Sed „non eos hac de re accusabat, quod se Christo ad„scriberent, sed solum, quod non omnes.“ Non se autem Paulus in dignitate Petro anteposuit, dum se priorem illo collocavit? imo vero seipsum etiam Apollo per modestiam postposuit. A se enim velut imo altius deinde semper adscendit, donec veniret ad ipsum Christum. „Non se Petro praeferens, ait „S. Chrysostomus in eodem loco, posuit illum ul-

„timum, imo vero Petrum sibi valde praeponens „per amplificationem locutus est, ne putaretur hoc „per invidiam facere, et prae livore ipsi honorem „auferre. Ideo seipsum primum posuit. Nam se primum reprobat: non quod honorem amet, hoc facit; sed quod talem gloriam admodum despiciat. „Totum ergo impetum primus excipit, tuncque „ponit Apollo; postea Cepham. Non ergo se se „extollens id fecit; sed in iis, quae fieri non oportebat, per propriam personam primo correctionem facit."

13. *Divisus est Christus? numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut nomine Pauli baptizati estis?* Unus est Christus, et per baptismum omnes unum illius corpus effecti sumus. „Etenim „in uno spiritu omnes nos, inquit infra Paulus cap. „12. v. 13. in unum corpus baptizati sumus." Et rursus eodem capite versu 27. „Vos estis corpus „Christi." Et iterum ad Galatas cap. 3. v. 28. „Omnes vos unum estis in Christo Jesu." Si autem illud teneret, ut diversitas aliqua inde existat, ideo quod alii ab alio baptizati sint; consequens esset, ut non omnes in unum Christi corpus baptizati sint. Quodsi vero ita esset, divisum oporteret esse Christum, siquidem alii aliud corpus essent Christi. Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem. Rom. 6. v. 4. Idcirco cum omnes in unum corpus Christi baptizati sint, qui pro ipsis crucifixus est; neque vero Paulus pro ipsis crucifixus sit, aut eius nomine baptizati sint; negat ipsos

non unos esse in Christo, nisi una etiam Christum in plures Christos vellent scindere. Considerandum ergo illis esse, non eum, per quem baptizati sunt, sed cuius nomine. Nomen autem esse unum idemque, in quo baptizati sunt, deinde unum eumdemque Christum esse, qui pro omnibus crucifixus est, et unde omnes eamdem virtutem baptismi perceperint. Non ergo alii aliis praestantiores possint seipsos existimare, quod sive a Paulo, sive ab Apollo, vel etiam ab ipso Cepha baptizati essent. „Quia „hoc schismatum causa fuerat, ait S. Chrysostomus „homil. 3. quod ex baptizantibus nomen acciperent, „hoc etiam corrigit dicens: *An in nomine Pauli „baptizati estis?* Et ne dixeris, inquit, quis ba„ptizavit, sed in cuius nomine. Non enim quae„ritur, quis baptizet; sed quis in baptismate vo„cetur. Hic enim peccata dimittit."

14. *Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi nisi Crispum, et Cajum:* 15. *ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis.* 16. *Baptizavi autem et Stephanae domum: ceterum nescio, si quem alium baptizaverim.* 17. *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* „Nam hoc et laboriosius erat, ait S. Chrysostomus „homil. 3. sudore multo opus habebat, ferreoque „animo, omniaque continebat. Ideoque Paulo com„missum fuit. Et cur ad baptizandum non missus, „baptizabat? Non pugnans adversus eum, qui se „miserat, sed ex abundanti hoc faciebat. Non enim

,, dixit; prohibitum mihi fuit, sed non sum missus ,, ad hoc, sed ad rem maxime necessariam. Nam ,, evangelizare unius, aut duorum erat, baptizare ,, autem cuiuslibet est, qui praeditus est sacerdotio. ,, Hominem namque catechumenum, et persvasum ,, baptizare, cuiuslibet est. Voluntas enim acceden-,, tis deinceps totum efficit cum Dei gratia. Cum au-,, tem infideles sunt ad fidem instituendi, multo opus ,, est labore, multa sapientia: tunc autem etiam ,, subeundum erat periculum. In baptizando enim ,, totum factum est, et persvasus est is, qui in my-,, sterium est admittendus, nihilque magnum est ,, persvasum baptizare." Nempe, quod in Apostolico munere praecipuum erat, Evangelium praedicare, sic laudatur, sicque Apostoli proprium praedicatur; ut quod minoris negotii, quoad laborem esset, quodque facile a quolibet posset praestari, in comparatione ipsius, nullum esse munus Apostoli dicatur. Itaque Apostoli, ne per seipsos quidem munus baptizandi exercebant; sed hoc suis discipulis committebant. Hoc enim et erga Corinthios intelligitur ex iis, quae modo dicta sunt, fecisse Paulus, et de Petro quoque est Actorum cap. 18. v. 48. Cornelii cum sua domo baptizandi, cum eum in fide instruxisset, negotium demandasse aliis. Non in sapientia autem verbi, ne crux Christi evacuaretur, se dicit a Christo esse missum ad evangelizandum. Hoc: non in sapientia verbi, aliis verbis subsequentis capitis versu 4. sic expressum est a Paulo: ,, Et sermo meus, et praedicatio mea non

„in persvasibilibus humanae sapientiae verbis, sed „in ostensione Spiritus, et virtutis, ut fides vestra „non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.“ *Ut non evacuetur crux Christi*, „Id est, ait S. „Thomas in Commentario, ne si in sapientia verbi „praedicare voluero, tollatur fides de virtute crucis „Christi.“

18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est.* Verbum crucis est praedicatio de Christo crucifixo. Sic enim infra versu 23. est: „PraedicamusChristum crucifixum.“ Hanc ergo praedicationem, atque fidem in Christum crucifixum, quae per praedicationem proponeretur, ab iis, qui pereunt, haberi pro stultitia; utpote, quibus stultum videatur, credere salutem se obtenturos esse ab eo, qui in crucem actus, atque infami supplicio affectus ipse esset: iis vero, qui salvi fierent, atque, sibi idem verbum crucis esse Dei virtutem, quam scilicet Dei virtutem, qua salvi fierent, reciperent per illud verbum crucis credendo in Christum crucifixum. Pertinet hoc ad declarandum illud, quod superiore versu antecessit de non evacuanda cruce Christi, in qua cruce omnis fons esset nostrae salutis.

19. *Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Est testimonium hocce ex Isaiae capite 29. v. 14. ubi est: „Peribit enim sapientia a sapientibus eius, „et intellectus prudentium eius abscondetur:“ hoc est, non apparebit, utpote quem Deus perditurus

esset. Quorsum vero istud pertinet? eo, ut probet, perituros istos cum sua tota sapientia, quibus verbum crucis est stultitia. Quod idem sequenti etiam versu adhuc premit, et urget. 20. *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor huius seculi? est hoc testimonium rursus desumptum ex Isaiae capite 33. v. 18. „Ubi est literatus? ubi legis ver-„ba ponderans? ubi doctor parvulorum?" Neque enim citationes testimoniorum semper quoad verba conveniunt cum nostra Vulgata, quod Paulus, ut iam alias etiam demonstratum est, versionem secutus sit Graecam Interpretum Septvaginta. Conquisitores autem seculi intelliguntur sapientes mundi, et disputatores, quos eosdem Isaias doctores parvulorum vocavit, qui iidem videlicet aliorum doctores esse consvevissent, discipulosque haberent. Cuiusmodi erant apud Judaeos scribae, et legis periti, apud gentiles autem philosophi. Quaerit ergo, ubinam hi sint? Qui scilicet a Christo assumpti non sint, quique ad lumen verae Religionis, quae est in Christum, non pervenerint. Sic enim deinde infra versu 26. est: „Videte enim vo-„cationem vestram, fratres, quia non multi sa-„pientes secundum carnem, non multi potentes, „non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi, „elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma „mundi elegit Deus, ut confundat fortia." *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Quo-

modo stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Est munus sapientiae deducere hominem eo, ubi bonum suum, et beatitatem assequatur. Hanc autem scientiam istius sapientiae philosophi de se profitebantur, iisque, qui seipsos in eorum disciplinam traderent, pollicebantur. Dum ergo ipsi hi, qui semetipsos aliis in studio sapientiae praeberent duces, ad acquirendum illud bonum, in quo homini esset beatitas, bonum hocce assecuti non sunt; sed Deus crucis mysterium elegit, quod credere, mundanae sapientiae stultum videretur, et quod tamen nisi crederent, salvi fieri non possent; illam sapientiam, quam sequerentur, qui se sapientes profiterentur, ostendit esse fatuitatem, atque stultitiam; siquidem ne illis ipsis quidem, qui se in ea magistros ferrent, et venditarent, bonum illud salutis, quo obtento fierent beati, tribuere potuerit. Nam, cum sapientia, tamquam lumen quoddam homini esse debeat, ad videndum illud, et sequendum, in quo suum bonum habeat; certum autem sit salutis adipiscendae aliam rationem non esse, quam per fidem in Christum crucifixum; neque vero illa sapientia quemquam huc duceret, quin potius isti sapientiae stultitia esset, exspectare salutem ab eo, qui ipse crucifixus, et in cruce mortuus esset; iis, qui viam salutis iam agnoverunt nullam esse aliam, quam fidem in Christum crucifixum, quales erant Corinthii; omnino evidens fuit, et quos idcirco etiam veluti testes appellat huius, stultam esse factam, et demonstratam a Deo sapientiam huius mundi.

Ergone omnis sapientia, quae occupatur circa ea, quae sunt in mundo, est stultitia? et Deusne hanc sapientiam stultitiae potest arguere, qui rationem, qua haec sapientia pararetur, dedit? ergo haec una tantum, ut credat, et nulla alia relinquetur homini sapientia? Apostoli est hoc, non meum: *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Ex versu subsequente intelligetur, qua ratione Deus stultam fecerit sapientiam huius mundi: siquidem in Dei sapientia mundus per sapientiam non cognoverit Deum. Quid est hoc, in Dei sapientia mundus per sapientiam non cognovit Deum? Dei sapientia est, qua constituit, et gubernat mundum: Homini est ratio a Deo data, ut ex consideratione Divinorum operum in mundo agnosceret Deum, agnitumque coleret, atque timeret. Haec igitur etiam fuit sapientia, per quam homo agnosceret Deum. Non autem sic usi sunt ratione, etiam ipsi philosophi, ut hunc, qui vere esset Deus, agnoscerent, ad illumque colendum se conferrent, licet agnovissent aliquem debere esse Deum. „Qui „commutaverunt ait Apostolus ad Rom. 1. v. 25. „veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et „servierunt creaturae potius, quam Creatori, " Non ergo rectus usus rationis, sed abusus, et in quo nihilominus se iactarent esse sapientes, stultitiae damnatur. Omne, quod existit, nisi secundum illum finem agat, ad quem est conditum, atque positum in mundo a Deo, non agit recte. Aberrat enim a suo fine, ad quem conditum est. Ergo nec agit sapien-

ter. Quod enim recte factum non est, ne sapienter quidem factum dici potest, cum sapientia sit norma recte agendi. Nec sapienter agere dici potest, qui in eo, quod agit, non suum finem illum attingit, quem nisi assequitur, beatus esse non potest. Quodnam vero est homini bonum, nisi Deus? Quantamcumque ergo rerum aliarum scientiam quispiam possideat, tamen non erit sapiens, nisi per haec, in quibus occupatur, ad Deum tendat. Haec ergo idcirco etiam non simpliciter sapientia, sed sapientia mundi vocatur, quam stultam fecerit Deus: quae scilicet in his rebus, quae sunt in mundo, suum sibi finem constituat: cumque haec bonum illud homini tribuere non possint, ad quod creatus est; merito stultus habetur, qui omisso Deo, unde bonum suum habere posset, istam mundi sapientiam consectatur. „Non glorietur sapiens in sapientia „sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, „et non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc „glorietur, qui gloriatur, scire, et nosse me." Jerem. 9. v. 23. Et Jobi 28. v. 28. „Ecce timor Domini „ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia."

21. *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum; placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* Nam quia, Graece, *Postquam enim*, Ἐπειδὴ γὰρ, in Dei sapientia, quam scilicet Deus in suis operibus, tanta sapientia factis, atque constitutis, omnium oculis ad intuendum exposuit, mundus per hanc sapientiam Deum non agnovit;

placuit ipsi per praedicationis stultitiam salvos facere credentes. „Postquam enim in sapientia Dei
„non cognovit mundus per sapientiam Deum, crux,
„inquit S. Chrysostomus homil. 4. apparuit. Quid
„sibi vult autem, in sapientia Dei? in ea, quae
„apparuit per opera, per quae cognosci voluit. Pro-
„pterea enim et haec, et similia apparavit, ut
„convenienter ex iis, quae cernuntur, conditor in
„admiratione haberetur. Magnum est caelum, et
„immensa terra. Conditorem ergo mirare. Post-
„quam ergo per hanc sapientiam noluit Deum cogno-
„scere; per stultitiam, quae esse videtur, praedi-
„cationis persvasit, non per ratiocinia, sed per
„fidem. De cetero, ubi sapientia Dei est, humana
„non ultra est opus. Nam dicere eum, qui hunc
„tantum mundum creavit, Deum esse oportere,
„immensa, et ineffabili virtute praeditum, huma-
„nae sapientiae erat sic ratiocinari, et per illum
„apprehendere. Nunc autem non ratiociniis, sed
„fide sola opus est. Nam in crucifixum, et in se-
„pultum credere, et certum habere eumdem ipsum
„resurrexisse, ac superne sedere; id sapientia non
„eget, neque ratiociniis, sed fide. Apostoli enim
„non cum sapientia prodiere, sed cum fide, fue-
„runtque externis sapientibus sapientiores, et subli-
„miores, et tanto magis, quanto maius est ea, quae
„Dei sunt, fide suscipere, quam ratiocinia move-
„re. Hoc enim humanam superat mentem. Quo-
„modo autem perdidit sapientiam? Per Paulum, et
„similes nobis cognitus, ostendit illam inutilem es-

,, se. Ad suscipiendam enim Evangalicam praedica-
,, tionem neque sapiens iuvatur a sapientia; neque
,, imperitus laeditur ab ignorantia. Sed si quid opor-
,, teat admirabile dicere, imperitia ad suscipiendum
,, opportunior, et facilior est, quam sapientia. Pa-
,, stor enim, et rusticus hanc citius suscipiet, ra-
,, tiocinia comprimens, et Domino se dedens. Sic
,, ergo ille sapientiam perdidit. Quia enim prior
,, seipsam deiecit; ad nihil deinceps utilis est. Cum
,, oporteret enim eam sua exhibere, et per opera
,, Deum videre, noluit: ideoque, si se iam vellet
,, reponere, non potest. Non enim ita sunt res. Haec
,, enim ad cognitionem Dei via longe maior illa est.
,, Ideo fide, et simplicitate opus est, et illam opor-
,, tet semper quaerere, et externae sapientiae ante-
,, ponere. Nam stultam fecit Deus, inquit, sapien-
,, tiam. Quid est autem, stultam fecit? Stultam
,, esse ostendit ad fidem comprehendendam. Quia
,, enim altum sapiebant de illa, ipsam cito confuta-
,, vit. Quaenam illa sapientia, quae caput bonorum
,, non inveniat? Effecit igitur, ut illa stulta appa-
,, reret, quia illa se primam confutavit. Si enim,
,, quando ratiociniis licebat invenire, nihil ostendit;
,, nunc cum res feruntur maiores, quomodo quid-
,, piam perficere poterit, cum sola fide opus est,
,, non facundia? Stultam ergo illam ostendit Deus.
,, Placuit autem ipsi per stultitiam praedicationis sa-
,, lutem donare, stultitiam, quae non talis vere est,
,, sed talis esse videtur. Hoc porro maius est, quod
,, non aliam sapientiam, illa excellentiorem indu-

„cens, per eam, quae stultitia videbatur esse, su-„peravit. Platonem quippe eiecit, non per alium „sapientiorem philosophum, sed per ignarum Pi-„scatorem. Ita enim et maior clades fuit, et splen-„didior victoria.“

22. *Quoniam et Judaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt.* 23. *Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam:* 24. *ipsis autem vocatis Judaeis, atque Graecis Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* „Vult dicere, ait S. „Chrysostomus homil. 4. quomodo per contraria „vicit Deus, et quomodo praedicatio non sit hu-„mana.“ Signa autem innumera fecit et Christus, et fecerunt Apostoli. Qualia ergo adhuc signa quaesiverunt Judaei? nimirum regiae dignitatis Christi signa. Exspectarunt enim ipsum, et exspectant nunc in regali apparatu, et fastu: humilem, et crucifixum dedignantur suscipere. Itaque hoc est, quod deinde iisdem Judaeis Christum crucifixum dicat esse scandalum, qui crucifixione illius offendantur, atque hanc suo Messiae, quem exspectarent, inconvenientem, atque indecoram putent, ideoque hunc illum Messiam, quem sibi haberent a Deo promissum, nolint recognoscere. Graecis autem idem Christus crucifixus fuit stultitia. Quid enim humanae rationi stultius videri potest, quam esse Deum crucifixum, et ab eo, qui ipse in patibulo mortuus est, exspectare salutem? Sed verbum crucis pereuntibus tantum est stultitia, quemadmodum supra fuit ver-

su 18. ipsis vero vocatis Judaeis, atque Graecis, vocatis videlicet ad fidem per gratiam, et conversis, Christus est Dei virtus, Deique sapientia: qui agnoscant Christum esse, per quem Dei virtutem, qua salvi fiant, percipiant, et tantum abest, ut putent ipsius crucifixionem esse stultitiam, sed potius Dei sapientiam. Sic enim reparatio per Christum facta est generis humani, ut et misericordia Dei, et una etiam eius iustitia mirabiliter exsplendesceret, et maior appareret Dei virtus in homine reparando, quam fuerit in eo creando. Non enim tam mirabilis in creando vis fuit Divinae potestatis, quam consilium est admirandum, quo se Deus inclinavit ad nostram usque naturam, quamque evexit sic, ut plus per Christum adipisceremur, quam illud esset, quod fuit amissum per peccatum: et cum tanta esset Dei misericordia erga nos, ut Dei Filius nostra causa non tantum fieret homo, sed ipsam etiam mortem subiret pro nobis; Divinae etiam iustitiae, cuius esset non impunitum relinquere, quod fuerat peccatum, abunde satisfieret. „Omnem sensum humanae mentis, ait S. Leo serm. „19. de Pass. Dom. excessit altitudo Divini consi„lii. Complacuit Deo per stultitiam praedicationis „salvos facere credentes, ut mirabilior fieret con„stantia fidei ex difficultate credendi. Inconsequens „enim, et irrationabile videbatur, recipere animo, „quod Creatorem omnium naturarum in substantia „veri hominis Virgo intemerata peperisset, quod „aequalis Patri Filius Dei, qui impleret omnia,

„et contineret universa, furentium manibus com-
„prehendi, iniquorum iudicio condemnari, et post
„dedecus illusionum cruci se permisisset affigi. Sed
„in iis omnibus simul sunt et humilitas hominis,
„et celsitudo Deitatis: nec misericordiae ratio ma-
„iestatem miserentis obscurat, quia de ineffabili
„potentia factum est, ut cum homo verus est in
„Deo inviolabili, et Deus verus est in carne pas-
„sibili; conferretur homini gloria per contumeliam,
„incorruptio per supplicium, vita per mortem. Nisi
„enim Verbum caro fieret, et tam solida consiste-
„ret unitas in utraque natura, ut a suscipiente sus-
„ceptam nec ipsum breve mortis tempus abiunge-
„ret; numquam valeret ad aeternitatem redire mor-
„talitas. Sed adfuit nobis in Christo singulare prae-
„sidium, ut in natura passibili mortis conditio non
„maneret, quam impassibilis essentia recepisset;
„et per id, quod non poterat mori, posset id,
„quod mortuum erat, suscitari."

25. *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* „Stultum, et infirmum dicens, ait
„S. Chrysostomus homil. 4. de cruce loquitur, non
„quod est, sed quod videtur esse, significans. Nam
„secundum illorum opinionem respondet. Etenim,
„quod per syllogismos philosophi facere non po-
„tuere; hoc perfecit ea, quae videtur stultitia. Quis
„ergo sapientior? is, qui multis persvadet, an is,
„qui paucis, imo vero nulli? is, qui de rebus ma-
„ximis persvadet, an is, qui de iis, quae non opor-

„teret? Quantum laboravit Plato circa lineam, et „angulum, et punctum, ac de numeris paribus, et „imparibus, et inter se aequalibus, et inaequali- „bus, ac de similibus aranearum telis? Haec enim „minus utilia vitae sunt, quam huiusmodi textura: „et cum nec parvum, nec magnum inde fructum „attulisset, sic vitam finivit. Quantum laboravit, „ut ostenderet animam immortalem, et nihil cla- „rum dixit, ac cum nemini auditorum id persva- „sisset, sic diem obiit. Crux autem per ignaros ho- „mines persvasit, imo persvasit toti orbi terrarum, „non de levibus rebus disserens, sed de Deo, et „de vera Religione, deque Evangelico vitae insti- „tuto, ac de futuro iudicio, atque rusticos, indo- „ctosque omnes fecit philosophos. Vide, quomo- „do, quod stultum est Dei, sapientius sit homini- „bus, et infirmum fortius. Quomodo fortius? quod „totum orbem persvaserit, et omnes vi ceperit, „et quod innumeris Crucifixi nomen exstingvere co- „nantibus, contrarium evenerit. Hoc nomen floruit, „et maiorem in modum accrevit; illi vero perie- „runt, et in exitium ruerunt, ac viventes adver- „sus mortuum bellum gerentes, nihil potuere. Ita- „que, quando me mortuum Graecus dicit; tunc „ostendit se admodum stultum esse, quando ego, „qui ab illo stultus esse existimor, sapiente sapien- „tior appareo. Cum me vocabit infirmum, tunc „seipsum infirmiorem ostendet. Quae enim per Dei „gratiam recte agere potuerunt publicani, et pisca- „tores; haec philosophi, tyranni, et ut ita dicam,

„totus orbis innumera circumcurrens, ne imaginari „quidem potuit. Quid enim crux non induxit? de „immortalitate animae sententiam, de resurrectio- „ne corporum, de despectu praesentium, et de fu- „turorum desiderio: homines angelos fecit, et omnes „ubique philosophantur, omnemque virtutem ex- „hibent.“

26. *Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.* Ex seipsis, Corinthios illud aestimare iubet, quod dixerat, quod stultum est Dei, sapientius esse hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius esse hominibus, qui cum maxima parte fuissent rudes, et non exculti literis, non opulenti; tamen ad fidei lumen, per quod salvi fierent, perducti sint, non sua, sed Christi crucifixi virtute, illis, qui sibi sapientes viderentur, qui eminerent opibus, in caecitate suae infidelitatis relictis. Nam si sapientia, quam illi de se profitebantur, praestare aliquid poterat, cur ii, qui sapientes habebantur, non tantum magis, quam illi, qui rudes erant, et indocti; sed ne quidem cum istis ad Evangelium, cum illud praedicaretur, accurrerunt, illudque receperunt? Est certe quidem veritas in Evangelio. Quomodo ergo sapientes, quorum est videre, et dignoscere veritatem; Evangelii veritatem respuerunt, quam rudes agnoverunt? Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?

27. *Sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia,* 28. *et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea, quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrueret,* 29. *ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Quemadmodum dum stulta, infirma, ignobilia, et contemptibilia mundi dicit esse electa; non utique alios intelligit, quam homines rudes, infirmos opibus, ignobiles, et contemptibiles; ita etiam non minus, dum ea dicit esse electa, quae non sunt; ii intelliguntur, qui hominum existimatione nulli haberentur, et quos tamen Deus elegerit, ut ii, qui essent, hoc est, qui ab omnibus suspicerentur, et magni haberentur, propter sapientiam, opes, dignitatem, confunderentur, ut non gloriaretur omnis caro, id est, ne ullus hominum gloriaretur coram Deo, quasi is in ipsius sapientia, opibus, et dignitate sibi complacuisset, istisque rebus motus ipsum elegisset. 30. *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu:* Ex Deo autem vos estis, istud enim nomen antecessit, per Christum Jesum, hac nimirum ratione, quemadmodum modo fuit, electi, *qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio,* 31. *ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur:* A quo videlicet, et cuius dono, sine suo aliquo merito, citraque suam virtutem, ista consecutus sit, et qui propter ea, quae habet, non in se possit gloriari, sed cui in Deo unice gloriandum sit, a quo illa acceperit,

cēperit, cuiusque dono haec habeat. Testimonium autem hoc ex Jeremiae capite 9. versu 23. est, quod ego etiam supra ad versum 20. protuli.

CAPVT II.

Se in magno fuisse timore apud Corinthios, cum apud eos praedicasset Evangelium, nec se aliud inter eos reputasse scire, quam Christum crucifixum, esse Dei sapientiam mundo absconditam, quam alius non percipiat, quam cui illa a Deo per eius Spiritum revelatur.

---

1. *ET ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiae, annuncians vobis testimonium Christi.* 2. *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* 3. *Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos,* 4. *et sermo meus, et praedicatio mea non in persvasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus, et virtutis,* 5. *ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* „Quid? „verba sunt S. Chrysostomi homil. 6. Paulus quo„que timebat pericula? timebat, et valde timebat. „Etiamsi enim Paulus esset, at homo erat. Hoc au„tem erat non Pauli crimen, sed infirmitas natu„rae, et propositi encomium; quod mortem, et „plagas timens nihil indignum ex timore fecerit. „Ita, ut qui dicunt illum non timuisse plagas; non „modo illum non honorent; sed et multum ex

„laudibus demant. Nam si non timebat, quae per„severantia, quae philosophia in ferendis pericu„lis? Ego vero illum admiror, quod timens, nec „modo timens, sed tremens in periculis semper „cucurrit coronatus, et nulli cessit periculo expur„gans orbem, et ubique terrarum, et marium prae„dicationem seminans. *Et sermo meus, et prae„dicatio mea non in persvasibilibus humanae sa„pientiae verbis.* Id est, non habens externam sa„pientiam. Si igitur et praedicatio nihil habuit so„phisticae artis, et qui vocabantur, erant idiotae, „et si is, qui praedicabat, talis erat, aderatque „persecutio, et timor, et tremor, quomodo su„perarunt, dic mihi? per Divinam virtutem. Ideo, „cum dixisset, verbum, et praedicatio mea non „in persvasibilibus humanae sapientiae verbis, ad„iecit, sed in ostensione Spiritus, et virtutis.“ Dei ergo Spiritus, atque virtus ostendebatur esse, qui fidem operatus sit in iis, qui illam praedicante Paulo susceperunt, dum manifestum esset, nihil in illa praedicatione fuisse, quod assensum in auditoribus potuerit praestare, sed omnia potius contraria, et cum suo metu, atque periculo ipsi etiam qui crederent, fidem reciperent, qui suorum propterea odium, et persecutiones, suppliciaque incurrerent. Illud autem crederent, quod humanae rationi nullatenus esset consentaneum, ut salutem ab eo, qui ipse crucifixus esset, exspectarent, qui praedicabatur, et cui spei suae, atque exspectationi ab hoc Crucifixo omnes fortunas suas, cognatos,

parentes, et ipsam vitam suam postponerent. *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum.* „Id est, „ait S. Thomas in Commentario, non innitatur sa„pientiae humanae, quae plerumque decipit homi„nes, *sed in virtute Dei,* ut scilicet virtuti Di„vinae fides innitatur, et sic non possit deficere.“ Cuius videlicet veritas ista ratione firma esset, quae per fidem inniteretur veracitati Divinae; non demonstrationi per rationes mentis humanae, quae saepissime fallit, etiamsi vera videatur. Si autem fides nostra non in virtute Dei esset, sed in sapientia hominum, et per humanae sapientiae apta ad persvadendum verba comparata; partim illius dexteritati, qui suis rationibus, humano ingenio excogitatis, nobis scivit fidem persvadere, illa esset tribuenda, partim habilitati nostri ingenii, qua illis rationibus ideo cesserimus, quod earum veritatem nos ipsi perspexerimus: atque ita fides ex nobis etiam esset, et non ex solo Dei dono per gratiam. Idcirco ex virtute Dei, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius, et qui gloriatur, in Domino glorietur.

6. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non huius seculi, neque principum huius seculi, qui destruuntur.* 7. *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante secula in gloriam nostram,* 8. *quam nemo principum huius seculi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent,* 9. *sed sicut scriptum est: Quod*

oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: „ Sapientiam dicit, verba sunt S. Chrysostomi homil. 7. praedicationem, et modum salutis, „ nempe salvum fieri per crucem, perfectos autem eos, „ qui crediderunt.“ Idem mysterium, et verbum crucis et stultitia est, et sapientia: stultitia pereuntibus, iis autem qui salvi fiunt, Dei virtus est, hisque iisdem Christus est factus sapientia a Deo, quemadmodum fuit superioris capitis versu 18. et 30. sapientiam ergo se se dicit loqui inter perfectos, quod non dictum est sic, quasi de hac sapientia ad hos solos verba faceret, qua ratione infidelibus fidem non praedicasset, sed quod solis perfectis ita sapientiam loqueretur, ut hanc ipsi etiam recognoscerent, et a quibus ille ipsius sermo reciperetur, cum alii illum a se repudiarent. Est igitur hic positum loqui non simpliciter, sed cum assensu eorum, qui audirent. Quinam autem hi intelliguntur perfecti? Paulo ante demonstratum est S. Chrysostomum dixisse, istos esse credentes. Infra huius capitis versu 12. dicit Apostolus: „ Nos non spiritum huius mundi accepi- „ mus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, „ quae a Deo donata sunt nobis“ ac deinde versu 14. subiicit: „ Animalis autem homo non percipit „ ea, quae sunt Spiritus Dei.“ Eos ergo, qui Dei spiritu instructi sapientiam illam agnoscerent, intelligit perfectos, quasi videlicet non tantum corpore, et animalitate, sed spiritu, ac mente perfectos

homines, cum illi alii, animales tantum essent, illaque spiritus perfectio secundum mentem ipsis deesset. „Renovamini spiritu mentis vestrae" dicit idem Apostolus ad Ephesios cap. 4. v. 23. Qui ergo renovati non sunt, utique intelliguntur perfecti etiam non esse: et vicissim perfecti sunt, quibus renovatio facta est, nisi ab ea renovatione, quae per fidei sacramentum suscepta est, quispiam rursus deficeret. Quod nisi ita accidere posset, ne Ephesios quidem, ut spiritu mentis suae renovarentur, Apostolus hortari debuisset. Et quamvis nec Corinthii in perfectionis omni integritate fuerint, quos propter contentionem, et zelum initio sequentis capitis animales, et parvulos vocat: eatenus tamen fideles Paulus perfectos nunc vocat, quatenus per fidem, quam ex Dei spiritu haberent, citra ambiguitatem Dei sapientiam agnoscerent, quamvis in exhibitione fidei per mores nondum essent undique perfecti: erga quam perfectionem tam deinde sequenti capite in Corinthiis, quam etiam in Ephesiis fit ab Apostolo respectus. *Sapientiam autem*, inquit, *loquimur non huius seculi, neque principum huius seculi, qui destruuntur.* Principes huius seculi intelliguntur reges: qui idcirco dicuntur destrui, quorum nec potestas, nec vita perpetua in hoc mundo sit. Cum ergo dixisset, se non huius seculi sapientiam loqui, addidit etiam sapientiam principum istius seculi, siquidem apud hos arcanae res, et cum consilio cumprimis tractentur, et quorum omnium arcanis, profundisque consiliis Dei sa-

pientia excelsior, atque altior esset, *quam loquimur*, inquit *in mysterio*, *quae abscondita est*. Loqui vero illam Dei sapientiam se dicit in mysterio. Neque enim clare illa adhuc hic, quamdiu per fidem ambulamus, explicari et ad intuendum offerri etiam ab Apostolo potuit. „Videmus nunc per spe„culum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem." 1. Cor. 13. v. 12. Quibus vero est abscondita? illis videlicet, quemadmodum adhuc sequetur, quibus per Dei spiritum revelata non est, et quae nonnisi revelatione posset disci, atque obtineri, et ad quam intuendam sapientes huius seculi, quantacumque acie sui ingenii per seipsos non possent penetrare. „Confiteor enim tibi Pater, Domine caeli, et „terrae, dicebat Christus, quia abscondisti haec a „sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea par„vulis." Matth. 11. v. 25. *Quam praedestinavit Deus ante secula in gloriam nostram.* Quam sapientiam nobis, ut daret, Deus praedestinavit ante secula. Elegit enim nos Deus ante constitutionem mundi, et praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum. Eph. 1. v. 4. *In gloriam nostram:* illam sapientiam nimirum sic nobis destinavit, ut deinde gloriam ex illa adoptionis filiorum, et aeternae vitae praemium adipisceremur. „Quos enim „praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, „hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos „et glorificavit." Rom. 8. v. 30. *Quam nemo principum huius seculi cognovit;* hanc videlicet sapientiam, de qua modo est sermo. *Si enim cogno-*

vissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent. Si enim Herodes, et Pilatus, qui ipsi quoque inter principes seculi censebantur, in Christum credidissent; proculdubio, nec Herodes illum sprevisset, et suae potestatis hominem Pilato iudicandum tradidisset; nec Pilatus damnationis sententiam in eum tulisset. *Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Nexum est hoc cum eo, quod antecessit: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio*, et quae sapientia Dei ita se habeat, quemadmodum hoc scriptum est, nec oculum vidisse, nec aurem audivisse, nec in cor hominis adscendisse, quae praeparaverit Deus diligentibus se. In cor hominis adscendere, est Hebraeae lingvae idiotismus, pro eo, quod nos Latine diceremus, in mentem, et cogitationem cuipiam aliquid venire. Itaque sensus est, ea, quae praeparavit Deus diligentibus se, esse eiusmodi, quae nec visu, nec auditu possent percipi, istis enim viis rerum cognitiones haurimus; sed de quibus ne cogitationem quidem aliquam instituere, ac proinde quorum notitiam nec per nos ipsos, nec per alios ullatenus citra Dei revelationem habere possimus. Est hoc testimonium ex Isaiae capite 64. versu 4. depromptum.

10. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* „Hic illud, *scrutari* non ignorantiam, „sed accuratam scientiam indicat.“ Est nimirum

vocabulum per metaphoram ab homine transsumptum ad Deum. Tanto enim in nobis profundior scientia est; quanto eam maiore diligentia rimati, perscrutatique sumus. Qua ratione etiam de Deo est Psalmo 7. v. 10. „Scrutans corda, et renes „Deus“ et Jeremiae 27. v. 10. „Ego Dominus „scrutans cor, et probans renes.“ 11. *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei eunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Pertinet istud ad declarandum illud, Spiritum Dei omnia scrutari, etiam profunda Dei. Quod vero rursus eo spectat, unde illud intelligi posset, quomodo per Dei Spiritum illam Dei sapientiam consequeremur, quae est abscondita, quae est in mysterio. 12. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis.* 13. *Quae et loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.* Quae et loquimur non utentes doctis humanae sapientiae verbis, sed eiusmodi doctrina, ex qua eluceret vis Divini Spiritus, qua id, quod diceretur, auditoribus persvaderetur; non facundia ad credendum permoverentur, *spiritualibus spiritualia comparantes*, Graece: συγκρίνοντες, *apponentes* adiungentes, aptantes. Spirituales, quibus spiritualia apponerentur, intelliguntur iidem, quos supra dixit perfectos. His enim tamquam in contrarium sic statim deinde opponit animalem hominem. „Anima-

„lis autem, inquit, homo, non percipit ea, quae „sunt Spiritus Dei.“ His ergo spiritualibus spiritualia, hoc est, doctrinam spiritus applicat, quam hi percipiant, amplectantur, non vero homines animales.

14. *Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Cum spirituales dixerit superiore versu illos, qui Spiritum, qui ex Deo est, acceperunt ad ea scienda, quae a Deo donata sunt nobis; non est obscurum pervidere, quis is sit, quem Paulus animalem hominem esse dicat. Cui videlicet Deus ea, quae ab eo nobis sunt donata, per Spiritum suum non revelaverit, quique Dei Spiritum non acceperit. Cumque nec oculus videre, nec auris audire, nec in cor hominis possit adscendere id, quod praeparavit Deus diligentibus se, sed istud tantum Deus revelet nobis per Spiritum suum; consequens est, ut animalis homo non percipiat ea, quae sunt Spiritus Dei. *Stultitia enim est illi, et non potest intelligere.* Illa videlicet, quae sunt Spiritus Dei, ille pro stultitia habet; nec illa potest mente assequi. „Quem„admodum enim, ait S. Chrysostomus homil. 7. „his oculis nemo didicerit ea, quae in caelis sunt; „sic nec anima sola ea, quae sunt Spiritus. Et quid „dico ea, quae in caelis? Neque ea omnia, quae „in terra. Nam procul videntes turrim quadratam, „rotundam esse putamus. Est autem oculorum de„ceptio talis opinio. Ita etiam, quando res procul

„positas per mentem solam quis examinat, multus „consequetur risus. Non solum enim qualia illa sint, „non videbit; sed etiam contraria iis esse putabit. „Ideoque subiunxit: *stultitia enim est illi.* Hoc „autem non ex rei natura provenit, sed ex imbe- „cillitate eius, qui non potest eorum magnitudinem „per oculos animae attingere. Deinde eius rei cau- „sam ex adverso ponit, dicens: *Quia non novit,* „*quod spiritualiter examinetur*, id est, quod ea, „quae dicuntur, fide indigeant, nec rationibus com- „prehendi possint. Eorum quippe magnitudo men- „tis nostrae vilitatem longo spatio superat.“ Exa- minatur, est Graece, ἀνακρίνεται: *inquiritur.* Inqui- sitioni autem deinde, si effectum habeat, respon- det eius, quod quaesitum est, inventio, et appre- hensio. Cum vero spiritualis is intelligatur, sicut iam demonstratum est, cui Deus ea, quae Divini spiritus sunt, per suum spiritum revelet; intelligi- tur spiritualis inquisitio omnino illa esse, quando via revelationis per Dei Spiritum ad cognitionem pervenitur. Cum ergo ea, quae sunt Spiritus Dei, cognosci non possint, nisi per Spiritum Dei; ani- malis autem homo non habeat Spiritum Dei; se- quitur, ut non percipiat ea, quae sunt Spiritus Dei: et quia non percipit, illaque cum eius mente con- venientiam non habent, quae nonnisi Spiritu fidei cognosci possunt; consequens etiam illud est, ut haec pro stultitia habeat.

15. *Spiritualis autem iudicat omnia: et ipse a nemine iudicatur.* 16. *Quis enim cognovit sen-*

sum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus. „Nam, qui videt, ait S. „Chrysostomus homil. 7. omnia quidem ipse vi„det, etiam ea, quae ad non videntem pertinent; „quae autem ipsius, nemo eorum, qui non vi„dent, adspicit. Ita etiam nunc, et nos nostra, „et ea, quae infidelium sunt, omnia scimus: no„stra autem illi non item. Etenim scimus, quae „sit praesentium rerum natura, quae etiam sit fu„turorum dignitas, quid ex mundo, postea futu„rum sit, et quid patientur peccatores; quibus „vero fruentur iusti, et quod nullius pretii sint „res praesentes, et scimus, et illorum vilitatem „arguimus. Diiudicare enim est arguere, et quod „futura sint immortalia, et immobilia. Haec omnia „novit spiritualis, et quid patietur animalis, cum „eo migraverit, et quonam fruetur fidelis, cum „hinc abscesserit. Quarum rerum nihil novit ani„malis. Quamobrem claram dictorum demonstra„tionem subiungens dicebat: *Quis enim cognovit „sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem „sensum Christi habemus.* Id est, ea, quae in „mente Christi sunt, nos scimus, nec non ea, „quae ipse vult, revelavit. Mentem enim, quam „de his habemus, ut Christi mentem habemus, id „est, cognitionem, quam de rebus fidei habemus, „spiritualem habemus, ita ut iure a nemine diiu„dicemur. Neque enim potest animalis homo Di„vina cognoscere. Ideo dicebat: *Quis enim cogno„vit mentem Domini?* mentem nostram circa res

„istas, illius esse mentem dicens, et illud, *Qui* „*instruat eum*, non sine causa adiecit, sed respi„ciens ad id, quod iam dixit, *Spiritualem nemo* „*diiudicat*. Si enim nemo potest nosse mentem „Domini; multo minus potest illum docere, et „corrigere. Hoc enim sibi vult illud, *qui in*„*struat eum*. Viden, quomodo undique repellat „sapientiam externam, et spiritualem plura, et „maiora scire ostendat. Quia enim causae illae, „nempe, ut non glorietur omnis caro, et quod „ideo stulta elegerit, ut confunderet sapientes, „et ut non evacuetur crux Christi; infidelibus non „admodum fide dignae, neque inducentes, vel „necessariae, et utiles videbantur esse; demum ap„ponit principem causam, quia hoc maxime mo„do videre possumus, ex quo sublimia, et ar„cana, et quae supra nos sunt, scire possumus. Nam „evacuabatur ratio, quod ea, quae supra nos sunt, „per externam sapientiam comprehendere non pos„semus." Sensus igitur est, ut rem fusius a S. Chrysostomo disputatam, in compendium contraham, eum, qui spiritualis est, qui ea, quae Dei sunt, sibi per Dei Spiritum habet revelata, iudicare, Graece, ἀνακρινεῖν, *inquirere*, cognoscere omnia tam sua videlicet omnia, quam alterius, qui in oppositam partem ab eo dissentiret: ipsum vero nullius alterius, quasi non recte sentiret, subiici iudicio. *Quis enim cognovit sensum Domini, ut instruat eum?* Quia qui spiritualem animalis vellet condemnare eum, non recte sentire, sensum

Domini deberet habere, a quo instruatur. Nam, quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Supra versu 11. Nos autem spirituales, non ille animalis, sensum Christi habemus. Adversum nos ergo, qui sensum, et notitiam per Dei Spiritum habemus, is, qui hunc sensum, et notitiam per revelationem non habet, et animalis est, iudicium exercere, atque nos, quasi falleremur in iis, quae fide Divina credimus, arguere non potest.

Hic autem primum illa est consideratio, si Dei sapientia, quae est in mysterio, tantum spirituali, et per fidem illuminato oculo videri potest, huncque oculum infideles non habent, quomodo ergo Religionis revelatae oppugnatores, ii, qui talpae sunt, adversus Religionis mysteria coaxare possunt? Inter perfectos autem istud loquor. Alioquin, qui animales sunt, ne istud quidem percipient. Alterum est hic praeterea observandum, homines Augustanae, atque Helveticae Confessionis hinc, quod a Paulo est hic dictum, Spiritualem iudicare omnia, et ipsum a nemine iudicari, privati sui spiritus dogma cudisse, ne agnoscere cogerentur in Ecclesia magisterium esse, atque tribunal, ubi fidei controvesiae deciderentur; et cum eorum dogmata hic fuissent damnata, ut quasi in eo, in quo dissentirent ab Ecclesia, tamen recte sentire viderentur, qui pro se auctoritatem privati illius spiritus haberent. De fideine autem controversiis in ipsa Ecclesia enatis, agit nunc Paulus, aut illud, in iis quae per fidem in Christum crederet, non posse iudica-

ab infideli, et animali spiritualem, et Christianum? Quid ergo hoc cum illo ipsorum dogmate commune habet, et qua ratione illud hinc exsculpere potuerunt? Animalis de iis non potest iudicare, quae spiritualis sibi per Dei Spiritum habet revelata: ergo inter ipsos spirituales, si quae exoriantur quaestiones, et dissensiones, iudicium etiam ab ipsa Ecclesia de nemine institui potest. Quis non miretur istos, qui tam limati, atque politi ad Scripturam haberi volunt, hinc tam adcurate argumentatos esse, et talem tam legitimam illationem fecisse? Si spiritualis a nemine iudicatur, et spirituales illi intelligantur, qui sunt in Ecclesia, cur ergo in hac ipsa epistola ipse Paulus eum, qui fornicationis crimen inter Corinthios admisit, iudicavit? „Ego, „quidem, inquit, absens corpore, praesens autem „spiritu, iam iudicavi, ut praesens eum, qui sic „operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Chri-„sti, congregatis vobis, et meo spiritu cum vir-„tute Domini nostri Jesu, tradere huiusmodi sata-„nae in interitum carnis.“ 1. Cor. 5. v. 3. Nam si spiritualis a nemine iudicatur, nec in illo facto iudicari potuisset. Cur Paulus iterum ipse in controversia, num essent gentiles, qui ad fidem sunt conversi ad observandos veteris legis ritus cogendi, negotium ad Apostolorum, et seniorum iudicium detulit? cur Apostoli, et seniores de hac controversia iudicium instituerunt? cur decretum ediderunt? cur istud decretum Apostolorum, et seniorum, uti fideles observarent, mandatum illis Pau-

lus dedit? Act. 15. v. 2. 6, 28, 41. Nam si spiritualis iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur, istudque eo pertinet, ut ipse in iis, quae credit, num recte credat, a nemine pendeat, cuius iudicio parere debeat, sed qui spiritum tantum suum privatim sequi debeat, nec Antiocheni, ipseque Paulus Antiochia recurrere Jerosolymam ad Apostolos debuisset, et Apostoli illius iudicii auctoritatem sibi illegitime usurpassent, et Paulus plane mandata Apostolorum, dum praeciperet observari, praepostere egisset, qui non privati sui spiritus ductui fideles reliquisset, sed ad id sequendum, quod ab Apostolis erat praescriptum, illos reflexisset.

Etiam ex isto, quod huius capitis versu 10, et 12. fuit: *Nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum, nos Spiritum, qui ex Deo est, accepimus, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis*, ita feliciter ex sensu istorum testimoniorum ratiocinantur, ut hinc concludant, fideli cuique certum esse, quod veniam obtinuerit a Deo suorum peccatorum, quod iustificatus sit, quod in gratia, et charitate sit apud Deum, siquidem a Paulo dictum sit nobis Dei Spiritum esse datum ad ea scienda, quae a Deo donata sunt nobis. De istisne donis, atque gratiis loquitur ibi Paulus, an de Dei sapientia in mysterio, quae sbscondita est, quamque nemo principum huius seculi cognovit, cuius tamen ipsi notitiam acceperint per Dei Spiritum, quo revelante in Christum crucifixum, qui nobis

factus est sapientia a Deo, crediderint? Talis ergo est structura dogmatum, quae profitentur ex alieno Scripturae sensu, atque ista ratione sunt toti facti, atque formati ad amussim Scripturae sacrae. De ista certitudine suae iustificationis et salutis, quam illi sibi sumunt, quam firma sit, est non multo ante dictum in epistola ad Romanos ad capitis 8. versum 16. ut hic proinde immorari isti rei diutius necesse iam non sit.

CAPUT III.

Corinthios nondum etiam esse perfecte spirituales propter dissensiones inter se, dumque alii ab aliis magistris sibi denominationem adsciscerent: unum esse fundamentum Christum, super quod quisque superaedificandus sit, et quemque prout superaedificaverit, vel mercedem, vel detrimentum esse accepturum. Fideles esse Dei templum, nec in hominibus, sed in Deo esse cuique gloriandum.

---

1. *Et ego, fratres, non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tamquam parvulis in Christo.* 2. *Lac potum vobis dedi, non escam. Nondum enim poteratis. Sed nec nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis.* Postquam superioribus duobus capitibus satis depresserat profanam sapientiam, in qua se se efferrent Corinthii, nec quidquam ad fidem eam posse valere ostendit, quae tota sit per Divini Spiritus revelationem, anima-

animalesque eos esse, qui ea, quae Divini Spiritus sunt, non percipiunt; istud modo applicat iisdem Corinthiis, qui et animales antea fuerint, et ne nunc adhuc perfecte adhuc spirituales sint, sed secundum spiritum solummodo adhuc infantes, et pristinam illam suam carnem, atque animalitatem nondum plene exuerint. Quibus autem lac veluti infantibus, potum dedit, utique hi intelliguntur iam fuisse nati in Christo. Qui autem nati sunt in Christo; spirituales sunt facti. Sed cum infantes tamen ipsos esse dixit; spiritus illa intelligitur infantia fuisse, remanente carne, quam exuere quidem coeperint, nondum autem totam exuerint, et cui illorum imbecillitati ipse se etiam attemperaverit, non exigens illa officia, quae praestanda haberent, si iam in fide essent provecti satis, atque adulti. 3. *Cum enim sit inter vos zelus, et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* Quod prius carnalem dixit, idem deinde aliis verbis posuit, secundum hominem ambulare. Ergo secundum hominem ambulare, idem est, quod carnalem esse. Quid vero sit carnalem esse, perspicuum rursus fit ex illis verbis Apostoli ad Romanos cap. 8. v. 5. „Qui secundum carnem sunt, quae carnis sunt, sapiunt; qui vero „secundum Spiritum sunt, quae sunt Spiritus, sentiunt.“ Secundum hominem ergo ambulare posuit pro obsequio, et indulgentia cupiditatum, quibus secundum appetitum carnis servirent.

4. *Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli, alius autem, ego Apollo, nonne homines estis?* „Scilicet carnales, ait S. Thomas in Com„mentario, et non spirituales, utpote zelum, et „contentionem habentes pro rebus humanis.“ Hominem pro homine carnali posuit, non quasi homo ea parte, quae in eo potior est, spiritus non esset; sed quod ipse spiritus hominis voluntati carnis instar mancipii obsequatur, et quasi fieret caro, nisi ex hac servitute carnis Dei Spiritu, qui ei per gratiam infunditur, revocetur, et retrahatur. *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus?* 5. *Ministri eius, cui credidistis, et unicuique, sicut Dominus dedit.* Dum dicit: *Unicuique, sicut Dominus dedit*, intelligitur, omnes quidem ministros, sed ministerii quantitatem tamen non eamdem omnibus datam esse, atque hoc ipsum, quod quis haberet, non ex illo, qui ministerium gereret, sed ex Deo esse, qui illius dator fuerit. Itaque, etiamsi ministrum viderent, alium alio praecellentiorem sive virtute, sive auctoritate; non tamen in ministro haererent; sed Christo se se affigerent, in quo ipse etiam minister deberet haerere.

6. *Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit.* 7. *Itaque, neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed, qui incrementum dat, Deus.* „Infert ex praemissis, ait „S. Thomas in Commentario, duas conclusiones: „quarum prima infertur secundum comparationem „ministrorum ad Deum, dicens, Ex quo Paulus

„plantavit, et Apollo rigavit: non sunt nisi mi-
„nistri Dei, et non habent aliquid, nisi a Deo;
„et non operantur, nisi exterius, Deo interius
„operante. Itaque, neque qui plantat, est aliquid,
„scilicet principaliter, et magnum, de quo sit
„gloriandum; neque qui rigat, sed, qui in-
„crementum dat, Deus. Ipse enim per se est ali-
„quid principale, et magnum, de quo sit glorian-
„dum. Actio enim non attribuitur instrumento, cui
„comparatur minister, sed principali agenti." Qui
plantat, et qui rigat, intelliguntur ergo nihil
esse, siquidem illud omne, quod productum est,
illis plantantibus, et rigantibus, a Deo sit; qui
incrementum dedit, et sine quo incrementum dan-
te, nullum plantatio, et rigatio effectum habuis-
set. 8. *Qui autem plantat, et rigat, unum sunt.*
Unusquisque autem propriam mercedem accipiet
secundum suum laborem. „Unum illos esse dicit,
„ait S. Chrysostomus homil. 8. eo, quod nihil
„possint sine Deo incrementum dante. Hoc, cum
dixisset, ne eos quidem, qui multum laborave-
„runt; permisit efferri in eo, qui minora intulissent,
„neque alios iis invidere. Deinde, quia hoc segniores
„illos reddebat, quod omnes unum esse putarentur,
„tam ii, qui multum, quam ii, qui minus laborave-
„runt, vide, quomodo hoc correxerit, dicens: *Unus-*
„*quisque autem propriam mercedem accipiet secun-*
„*dum suum laborem.*" 9. *Dei enim sumus adiutores:*
Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis. Graece:
Dei enim sumus cooperatores συνεργοί: Ad illud

autem refertur, quod antecessit: „Qui plantat, „et rigat, unum sunt." Quorum videlicet uterque plantans, et rigans, nonnisi minister Dei sit, atque ista ratione unum, ad opus sint, quod per eos ipse efficit Deus, qui incrementum dat. Dei agricultura, Graece, Θεοῦ γεώργιον, *Dei agricolatio*, ut ipsum opus exculti agri intelligatur: quod perspicuum fit ex parte deinde etiam altera, *Dei aedificatio estis.* A quo videlicet incrementum dante sint producti, et aedificati, veluti ager quidam satus, et domus. Eo ergo res tendit, ut Corinthii se ipsos opus esse Dei intelligerent, suaeque fidei opificem esse Deum, quemadmodum ad Ephesios quoque est a Paulo scriptum: „Ipsius enim, „inquit, sumus factura creati in Christo Jesu in „operibus bonis." Eph. 2. v. 10.

10. *Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superaedificat. Unusquisque autem videat, quomodo superaedificet.* 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Modo antea dicebat ipsos Dei aedificationem esse; nunc ipse se veluti sapientem architectum fundamentum apud eos posuisse. Rursus vero deinde subiicit, unumquemque super hocce fundamentum superaedificare. Ergo et Deus intelligitur esse aedificator, et Paulus, et singuli etiam Corinthiorum. Sed non eadem ratione. Deus est aedificator, qui totum opus et incipit, et provehit, et perficit. „Deus

„ enim est, qui operatur in vobis et velle, et per„ ficere pro bona voluntate" Phil. 2. v. 13. Paulus aedificavit, sed tamquam minister. Nam quid est Apollo? quid Paulus? Ministri eius, cui credidistis. Supra versu 4. Dum ergo aedificaret, ut sapiens architectus fundamentum posuit. Insipientis enim est sine fundamento aedificare. Postea vero explicat, quodnam fundamentum ipse cum Corinthios aedificaret, supra quod aedificarentur, collocaverit, nimirum Christum Jesum: siquidem aliud fundamentum, quam quod positum est, nec poni potuerit. Neque enim fidei aliud fundamentum est, quam Christus Jesus. „In quo omnis aedificatio „ constructa crescit in templum sanctum in Domi„ no." Eph. 2. v. 21. Fundamentum autem quod positum est, tam ab ipso per praedicationem, qui Christum ipsis praedicaverit, quam quod ab ipso Deo Christus pro fundamento Ecclesiae positus sit secundum illud Isaiae: „ Ecce ego, dicit Domi„ nus Deus, mittam in fundamentis Sion lapidem „ probatum, angularem, pretiosum, in fundamento „ fundatum." Isa. 28. v. 16. Hoc est ergo, Christum ipse illis praedicavit, in quem deberent credere, et per quem unum salutem oporteret eos exspectare. *Alius autem deinde superaedificat:* et ut intelligeretur, quisnam iste alius esset, declarat e vestigio: *Unusquisque autem videat, quomodo superaedificet.* Nempe unumquemque ubi fides apud eum iacta est, postquam credidit in Christum, seipsum deinde superaedificare, quemadmodum vi-

delicet ex lapidibus supra fundamentum constructis moles deinde exsurgit aedificii. „Ad quem accedentes lapidem vivum, ait S. Petrus et ipsi „tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales „hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.“ 1. Petr. 2. v. 4. Quomodo autem quisque seipsum superaedificat? Non est dubium, quin principium istius superaedificationis per fidem fiat. Per hanc enim inserimur Christo, veluti palmites in vite sunt, lapides in aedificio, et membra copulantur cum suo capite. Dicit vero unumquemque debere videre, quomodo superaedificet, ac deinde diversitatem istius superaedificationis ulterius exponit, atque explicat, atque aurum, argentum, lapides pretiosos, tum ligna, stipulam, foenum memorat, quae superaedificari possint, et prout quisque superaedificasset aliquid istorum, ita ipsum mercedem accepturum, atque futurum, ut opus, quod quis superaedificavit, igne deinde probetur. Jam vero, si hic sola tantum fides intelligeretur, per quam fiat superaedificatio; cum una sit fides, unum baptisma; Ephes. 4. v. 5. non illa multa, atque diversa, quae possint superadificari, atque alia ab aliis, debuissent poni. Ex quo ergo consequitur, non esse hic solam fidem intellectam, sed potius, ubi iam aliquis per fidem esset adglutinatus fundamento Ecclesiae Christo; opus istius superaedificationis esse eidem continuandum per exhibitionem operum, tamquam sine quibus ipsa etiam fides, quam concepit

in Christum, et per quam insertus est illius corpori, emoreretur, Jac. 2. v. 17. infructuosaque fieret, quandoquidem in Christo alia fides non valet, quam ea, quae per charitatem operatur. Gal. 5. v. 6. „Si haec dicta sint de fide, ait S. Chryso-„stomus homil. 9. non est rationi consentaneum, „quod dicitur. In fide namque oportet omnes es-„se pares, quoniam una est fides. In virtute au-„tem vitae possunt esse non omnes iidem. Fides „enim non est alia minor, alia praestantior, sed „eadem est omnium vere credentium. At in vita „possunt alii quidem esse studiosiores, alii socor-„diores, alii adcuratiores, alii inferiores; alii ma-„iora, alii minora recte agere, et alii gravius, alii „minus delinquere. Propterea dixit, aurum, argen-„tum, lapidespretiosos, ligna, foenum, stipulam."

12. *Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam,* 13. *uniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit.* 14. *Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet:* 15. *si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem salvus erit, si tamen quasi per ignem.* S. Augustinus per ligna, foenum, et stipulas in libro de fide et Operibus cap. 16. Enchiridii cap. 68. Enarratione in Psalmum 37. et 80. intellexit affectum erga res temporales, non ut has plus ament, quam Christum; sed quod ta-

men nonnulla tristitia afficiantur, si eas dimittere oporteat causa Christi. Per aurum vero, argentum, et lapides pretiosos eiusmodi iustitiam, quae undique perfecta sit, atque sine eiusmodi affectione erga res temporales, quae ne levioribus quidem maculis aliquem adspergant. ,, Fratres, inquit Enar-,,ratione in Psal. 80. sunt homines omnino contem-,,ptores seculi huius, quibus non est gratum, quid-,,quid temporaliter fluit, non haerent dilectione ,,aliqua terrenis opibus, sancti, casti, continen-,,tes, iusti, fortassis et omnia sua vendentes, et ,,pauperibus distribuentes, aut possidentes, tam-,,quam non possidentes, et utentes hoc mundo, ,,tamquam non utentes. Sunt autem alii, qui re-,,bus infirmitati concessis inhaerent aliquantum ,,dilectione. Non rapit villam alienam; sed sic ,,amat suam, ut si perdiderit, conturbetur. - - - ,,Habent ergo ligna, foenum, stipulam super fun-,,damentum, sed rerum concessarum, non illici-,,tarum. Dico enim, fratres, possides fundamen-,,tum, haere caelo, calca terram. Si talis es, non ,,aedificas nisi aurum, argentum, et lapides pre-,,tiosos.“ Ad hanc autem explicationem illum permovit hoc, quod de istis etiam, qui ligna, foenum, et stipulam superaedificarent, dictum sit, salvos futuros, sed quasi per ignem, quem ipse proinde in Enarratione in Psalmum 37. emendatorium appellat. Ista ergo ratione per aurum, argentum, et lapides pretiosos perfecta iustitia; per ligna, foenum, et stipulam leviora errata, et ea,

quae venialia peccata consveverunt appellari, quaeque iustitiam non tollunt, sed tamen expianda poena temporali sunt, intelligerentur. Ad hunc modum istud explicat etiam S. Gregorius M. lib. 4. Dial. cap. 39. et S. Thomas in Commentario, cum illa tamen distinctione, quod S. Thomas in iis etiam, qui aurum, argentum, et lapides pretiosos superaedificant, existimet aliquid modici venialis culpae esse admixtum, siquidem et istorum opus dicatur probandum esse per ignem. Idem alia ratione etiam de doctrina hoc accipit, quae per aurum, et reliqua pretiosa ea intelligatur, in qua solida sit veritas; doctrinam autem, cui admixta sunt quaepiam inutilia, et vana, ligni, foeni, et stipulae nomine designari. Haec ultima explicandi ratio non convenit cum eo, quod iam demonstratum est, non esse hoc de fide accipiendum, sed de uniuscuiusque propriis actionibus, atque operibus. Deinde cum Paulus a se dicat fundamentum positum esse Corinthiis, alium autem postea super hoc fundamentum superaedificare, certe superaedificatores intelliguntur ipsi singuli Corinthii, non alii praedicatores. Est enim hoc generaliter dictum, ubi a se, ac proinde idem etiam hoc tenet, si hoc factum esset ab alio Apostolo, positum fuisset fundamentum, alium deinde superaedificare. Unde consequens esset, iacto fidei fundamento, quod aliud esse non potest, quam Jesus Christus, per aliquem Apostolum, fideique praedicatorem, alium deinde semper esse, qui superaedificet. An sive Paulus, sive alii

Apostoli eos, quos ad fidem converterunt, deinde deseruerunt, et non ultra ipsi illos eosdem in eadem fide instituerunt? quid namque vel in hac epistola erga Corinthios agit Paulus? quid in ceteris suis epistolis? nonne eos ipse ulterius docet, et subrepentes errores, simul atque adverteret, evellit, atque tollit? „An nescitis, inquit in eadem „hac epistola cap. 5. v. 6. quia modicum fermen„tum totam massam corrumpit?" Hic tamen aliquid in doctrina, quod non undique esset perfectum, sic tantum dissimulasset, quasi quod tolerari posset, et unde salutis iactura metuenda non esset, qui ne hanc aliquam contentiunculam quidem et aliquam elationem, quam sibi sumerent ex suorum ministrorum dignitate sustinere ullatenus voluerit, et carnales ideo esse pronunciaverit. Deinde si cuiusdam praedicatoris opus eiusmodi sit, quod ardere debeat, hoc est; si illi, quos male docuit, supplicium incurrerint, idque per illius doctrinam, quomodo ille ipse, qui ita docuit, non magis perimendus est supplicio eodem, quo lignum, foenum, et stipula, si ignem subeat, penitus perit?

His ergo omnibus sententiis rectior illa videtur, quam sequitur S. Chrysostomus homil. 9. quique bona opera per aurum, argentum, et lapides pretiosos, mala per ligna, foenum, et stipulam designari docet. His enim unusquisque postea seipsum superaedificat, ubi fidei fundamentum, Christus, ei ab eo, qui Evangelium ei annunciavit positum est, atque pro his operibus omnino, vel mer-

cedem, vel detrimentum accipit, tamquam pro eo, quod bene, vel male agendo commeruit. „Liqui- „dum est, ait, hic de operibus agi. Id autem vult „significare, si quis cum recta fide malam vitam „agat; huic non proderit fides, ne puniatur, ar- „dente opere.“ Et certe, cum nemo iustus sit, qui non leviter quotidie etiam saepius peccet „In mul- „tis enim offendimus omnes“ Jac. 3. v. 2. nec proinde aliquis ita aureus, argenteus, atque gemmeus sit, qui dicere possit, se peccatum non habere, ne Deum faciat mendacem, 1. Joan. 1. v. 10. inaniter Apostolus inter aurum, et stipulam discrimen aliquod posuisset, quandoquidem aurum nullum sciret secundum humanam imbecillitatem esse posse, quod non haberet stipulam admixtam. Sed et subsequens oratio Pauli declarabit omnino per ligna, foenum, et stipulam, tamquam quae apta sunt igni, atque combustioni prava eiusmodi opera, quae digna sint eiusmodi igne, qui non adurat tantum, sed penitus comburat, quemadmodum nec lignum, foenum, et stipula aduruntur solummodo, et salva consistunt in igne, sed vertuntur in cineres, quod deinde de his, qui ligna, foenum, et stipulam superaedificarent, e vestigio dicat: „Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei „habitat in vobis? Si quis autem templum Dei vio- „laverit, disperdet illum Deus.“ Per veniales enim culpas, quibus nemo, quantumcumque iustus sit, immunis est, Eccl. 7. v. 21. templum Dei non violatur; ut is, qui sic peccat, disperdendus sit. Ne-

que enim, qui venialiter peccat, non manet iustus, et vivum membrum Christi, et dignum, quod in eius corpore sit.

Sed si per lignum, stipulam, et foenum mortifera intelliguntur opera, et gravia peccata, qua ratione illud iterum stabit eiusmodi, qui ligna, stipulam, atque foenum superaedificasset, salvum futurum, sed quasi per ignem? Etiam istud explicat ibidem S. Chrysostomus. „Hoc vult significare, „ait, non sic ille peribit, ut opera, ad nihilum re-„ductus, sed manebit in igne. Salutem itaque hanc „rem vocat, ideo adiecit, quasi per ignem. Nam „nos quoque solemus dicere, in igne salvus est, „de iis, quae non comburuntur, nec statim in ci-„nerem abeunt. Ne enim, quia ignem audisti, pu-„tes eos, qui comburuntur, in nihilum redigi. Si „vero tale supplicium salutem vocet, ne mireris. „Solet enim etiam in iis, quae male sonant, pul-„chris uti nominibus, et in bonis, contrariis. Ver-„bi gratia captivitatis nomen malae rei nomen es-„se videtur, sed in re bona illo usus est Paulus, „*In captivitatem agentes omnem intelligentiam* „*ad obedientiam Christi.* 2. Cor. 10. v. 5. Et in „re mala bene sonante nomine usus est dicens, *Re-„gnavit peccatum.* Rom. 5. v. 21. Atqui nomen „regni bene sonat. Sic et hoc loco cum dicit, sal-„vus erit, nihil aliud, quam augmentum supplicii „subindicavit, ac si dixisset: Ipse autem manebit „in aeternum cruciatus.“ In Graeco istud salvus erit, est, σωθήσεται. Verbum autem σώζω generalem ha-

bet significationem apud Graecos servandi, ita ut id, quod servatur, superstes maneat. Manent autem superstites, qui aeternam damnationem subeunt; atque vel hinc istud supplicium tantae est gravitatis, quod finem nullum accipiat. Ergo omnino isti, quamvis aeternae damnationis supplicium subituri sint; tamen salvi erunt, sic tamen quasi per ignem, qui scilicet in illo ipso igne victuri perpetuo sint, et quos ille ignis, quamvis usturus, tamen una etiam semper conservaturus sit. Et quid mirum, sic Apostolum esse locutum, quando ipse etiam Christus Marci 9. v. 48. ut indicaret eos, qui in ignem mittentur, non perituros in hoc igne, sic enim supplicium eorum finiretur, ipso illo igne saliendos esse dixerit. „Omnis enim, inquit, igne salietur, et „omnis victima sale salietur." Nam cum salis illa proprietas sit, ut a corruptione conservet corpora, quibus adspergitur; Salvator hoc salis vocabulum per metaphoram ad damnatorum perpetuum ignem non aliter etiam adhibuit, quam ad ipsorum perpetuam conservationem in igne designandam, unde perpetuitas supplicii ipsorum intelligeretur. Quoniam ergo Paulus istos, qui ligna, foenum, atque stipulam superaedificarent, per ignem dixit futuros salvos, sive quod idem est, esse servandos; secundum vero sententiam Christi iis, qui in gehennam ituri sunt, ignis pro sale erit ad eorum conservationem, ut non tantum ille ignis intelligeretur non eos consumpturus esse, quamvis ureret, atque cruciaret, sed etiam servaturus; ignis, per quem salvi erunt, qui

ligna, stipulam, et foenum superaedificaverint, idem ille est, cuius sale eos, qui in gehennam mittentur, condiendos, ut perpetuo conserventur, Christus dixit.

Reliqua iam, quae adhuc hic supersunt, sunt declaranda, et cum ista sententia, quam modo proposui, qua ratione bene omnino conveniant, est demonstrandum. De superaedificatione utroque modo tam per aurum, quam per stipulam pronunciat deinde Apostolus: *Uniuscuiusque*, inquit, *opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit:* Diem Domini, diem esse iudicii in comperto est. Sic enim alibi passim in Scriptura compellatur. Sic enim praecedentis capiti versu 8. fuit: „Qui et „confirmabit vos usque in finem sine crimine in die „adventus Domini nostri Jesu Christi.“ Et rursus infra capite 5. versu 5. „Ut spiritus salvus sit, in„quit, in die Domini nostri Jesu Christi.“ Et ad Philippenses cap. 1. v. 6. „Confidens hoc ipsum, „quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque „in diem Christi Jesu.“ Et ne plura testimonia accumulem S. Petrus 2. Epist. 3. v. 10. „Adve„niet dies Domini, ut fur, in quo caeli magno im„petu transient.“ Ille ergo adventus Domini dies uniuscuiusque opus, quale sit, declarabit, manifestumque faciet. *Quia in igne revelabitur.* Hoc est, per iudicium, quod tum instituetur, opus uniuscuiusque, qualenam sit, declarabitur. Solet enim habitus Dei, dum ad iudicium dicitur venturus, semper in Scriptura describi igneus. „Antiquus dierum

„sedit, vestimentum eius candidum quasi nix, et „capilli capitis eius quasi lana munda, thronus eius „flammae ignis, rotae eius ignis accensus, fluvius „igneus, rapidusque egrediebatur a facie eius: iu- „dicium sedit, et libri aperti sunt“ Dan. 7. v. 9. Et Apocalypsis capite 1. v. 14. „Caput eius, et „capilli erant candidi tamquam lana alba, et tam- „quam nix, et oculi eius, tamquam flamma ignis, „et pedes eius similes aurichalco sicut in camino „ardenti.“ Item ibidem capite 4. v. 5. „de throno „procedebant fulgura, et voces, et tonitrua.“ Est ergo ignis modo positus pro iudicio, quo iudicio opus uniuscuiusque revelabitur, et quod iudicium uniuscuiusque opus, quale sit, probabit, hoc est, examen de singulorum operibus instituetur. *Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet;* si videlicet cuiuspiam opus illud iudicium sustinuerit, sique reprobatum per Dei sententiam non fuerit; is, qui illud opus superaedificavit, mercedem accipiet. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur.* Si cuiuspiam opus iudicium illud non sustinuerit, sed repertum fuerit aptum igni, quemadmodum lignum, foenum, atque stipula est; ardebit, igni a Deo addicendus, atque ista ratione detrimentum patietur suae nimirum salutis. *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ipse autem superstes manebit, durabit perpetuo, sic tamen ut ipse ille ignis eum conservaturus semper sit, et quamvis eum urat, numquam tamen ipsum comburat, et perimat.

16. *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* 17. *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Probat detrimentum illum esse passurum, cuius opus ligneum, vel e foeno, et stipula constans, arderet. Cumque istud detrimentum eiusmodi sit, quod aeternum exitium denotet, siquidem disperditurus illum sit Deus; intelligitur, non illud etiam leve esse, quod per lignum, foenum, atque stipulam designatur, ob quarum rerum superaedificationem, hanc Dei iram incursurus is est, qui illa superaedificavit. Sed neque, ut iam demonstratum est, levibus culpis templum Dei violatur, et profanatur: siquidem per eas iustitia non amittatur. Quamdiu autem aliquis perstat in iustitia, inhabitat Dei Spiritus in illo, Deique templum est: nec illud violavit, qui Deum incolentem habet.

18. *Nemo vos seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Ea videlicet stultitia vult, ut stulti fiant, quae non reipsa sit, sed tantum hominibus mundo deditis, et quibus ea tantum sapiunt, quae mundi sunt, stultitia habetur. Qui enim ab istis habitus fuerit stultus, quod non idem cum ipsis sentiat; is secundum Deum erit sapiens. „Quemadmodum enim „paupertas, ait S. Chrysostomus homil. 10. secun„dum Deum divitiarum causa est, et humilitas al„titudinis, et gloriae despectus est gloriae causa; „ita et stultum fieri, omnibus sapientiorem efficit.“

Ponit

Ponit hoc instar conclusionis ad id, quod sibi sumpserat confutandum, in Corinthiisque corrigendum, ne propter profanas literas, et secularem scientiam aliquos sibi spiritus sumerent. 19. *Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum.* 20. *Et iterum: Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanae sunt.* Jam etiam capitis 1. versu 20. fuit: „Nonne stultam fecit Deus sapien-„tiam huius mundi?“ Stultitia mundi est secundum mundum sapere, et cogitationem, atque mentem in rebus mundanis ponere, posthabita illa cura, quae homini prima esse deberet, ut tendat ad eum finem, ad quem a Deo conditus est, atque in illud bonum feratur, unde aeternum felix, ac beatus efficiatur. Illene ergo prudens est, qui ista, quae in mundo sunt, transitoria, et fluxa captat, nugas, et puerorum crepundia amplexatur; illa, quae secundum Deum sunt, ut exsequatur, et quae res fortunatum ipsum efficeret, inter postremas suas curas, aut in nulla habet? *Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Est hoc apud Jobum cap. 5, v. 13. Sic autem comprehenduntur, dum illud, quod ipsi se sapienter reperisse, et excogitasse putant; in ipsorum caput a Deo reflectitur, et quemadmodum est a S. Chrysostomo ad hunc locum dictum, dum armis illos suis capit. Qua ratione illud, quod Aman in Mardochaeum, et Judaeorum gentem perdendi illos consilium cepit, et Babylonii de perdendo Daniele, si adversus regis edictum preces fudisset ad

Deum; in Amani, et Babyloniorum capita recidit. Esther. 3. v. 6. Dan. 6. v. 7. Atque hi sapientes, etiam quando in suum exitium sempiternum mittentur, comprehendentur a Deo in sua astutia: siquidem hanc ipsam astutiam, et quam exhibuerunt ad ea, quae mundi sunt, prudentiam; Deus reflexurus in eorum capita sit. Qui cum sapientes fuissent, et perspicacitatem ad ea, quae mundi sunt, habuissent, atque huc omnem sui ingenii aciem vertissent; tamen de agnoscendo Deo non tantum solliciti non fuerint, sed notitiam Dei, quem omnis creatura clamaret, supprimere etiam conati sint, comprehendentur, ita, ut sint inexcusabiles, quod creaturae magis, quam Creatori serviverint, cum se sapientes esse dicerent, et tamen stulti facti sint. „Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare seculum, quomodo huius Dominum non „facilius invenerunt?" Sap. 13. v. 9. Si sapientes fuerunt, cur creaturae magis, quam Creatori serviverunt? Alterum testimonium est ex Psalmi 93. v. 11. „Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt." Sed tantum, quod magis generaliter est a Psalte dictum, hoc ipsum ad sapientes pressius Paulus applicuit, siquidem ab ipso Psalte hoc etiam de hominibus illis sit dictum, qui exercitati in cogitando essent, et quales solent esse sapientes. Vanae autem sunt cogitationes sapientium, dum terrena sapiunt. „Vani enim sunt omnes „homines, in quibus non subest scientia Dei." Sap. 13. v. 1.

21. *Nemo itaque glorietur in hominibus.* Hoc alterum caput fuit iactationis, atque insolentiae, cur Corinthii alii aliis se se anteferrent, dum in eo, a quo vel baptizati, vel instructi ad fidem essent, gloriam ponerent: quasi quod a digniore ministro salutis gratiam percepissent, ipsi etiam excellentiores, et praestantiores in Religione aliis essent. 22. *Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura. Omnia enim vestra sunt.* 23. *Vos autem Christi. Christus autem Dei.* Refellit ambitionem ex ministris; quam sibi sumerent, cum ipsi ministri essent ipsorum, et propter ipsos illis muneribus, quae exercerent, exornati a Deo. „Si illi sunt vestri [illegible] ait S. Chryso- „stomus homil. 10. cur facitis c[illegible]rium, dum ab „illis cognominamini, non a Christo, et Deo?" „Non enim nosmetipsos praedicamus, ait Paulus, in „epistola 2. cap. 4. v. 5. ad eosdem Corinthios, sed „Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem „servos vestros per Jesum." Etiam mundum, vitam, et mortem, futura, et praesentia dicit illorum esse. *Mundum*, quod hunc Deus homini tradiderit, omnia ei subiiciens, quae sunt in mundo, quemadmodum est in Psalmo 8. v. 8. „Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves, et boves universas, „insuper et pecora campi." *Vitam, et mortem*, quae utraque in illorum bonum essent, secundum illud Pauli: „Mihi vivere Christus est, et mori lu- „crum." Phil. 1. v. 21. *Praesentia*, quatenus omnia

haec ipsis cooperarentur in bonum. Rom. 8. v. 28. *Futura*, siquidem ipsum vitae aeternae praemium sit a Deo praeparatum etiam iis, qui diligunt illum. 1. Cor. 2. v. 9. tantoque magis istud, cum, ut salutem consequerentur, Deus etiam Filium suum tradiderit pro illis Joan. 3. v. 16. Rom. 8. v. 32. „*Vos autem Christi estis*, quia scilicet, ait Tho„mas in Commentario, sua morte vos redemit. „*Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus*, „Rom. 14. v. 8. Christus autem, secundum quod „homo, Dei est.“ Ita ad Deum, tamquam ad primum fontem, unde etiam Christus esset, cuius bonitate etiam Dei Filius homo est factus, omnia refert, ipsosque Corinthios docet, ut se ad eum per Christum referrent. Qui quidquid accepissent, non illud a ministris, sed a Deo per Christum haberent: non ergo in hominibus, sed in Deo gloriarentur. 1. Cor. 1. v. 31.

CAPVT IV.

Apostolos, et Evangelii praecones oportere considerari ut ministros Christi, in hisque rursus, num fideles ministri sint. Neque vero temere esse iudicandum etiam de hoc, donec Christus ad iudicandum veniat. Monet Corinthios, ne seipsos ob dona, quae a Deo acceperunt, efferrent; suo, et Apostolorum aliorum exemplo demonstrans hominis Christiani, ut inter adversa, et despectionem vivat, esse conditionem.

1. *SIC nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* De ministris superiore capite dixit, non in illis esse Corinthiis gloriandum, ipsorumque seipsum, ceterosque ministros esse. Cum ergo illorum tumorem satis depressisset, quem ex ministris sibi assumpserant, ostendens non in hominibus, sed in Deo esse gloriandum, ne fortasse iterum e contrario erga ipsos ministros insolescerent, atque infra se etiam hos positos existimarent, docet illos Christi esse ministros, et dispensatores mysteriorum Dei. Nam cum dixisset: „Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, „sive Apollo, sive Cephas" ne cogitarent istos sic suos esse, ut ipsi hos sibi subiectos habeant; declarat, illos esse servos Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Tamquam ergo in alienum servum ipsos ius non habere, sed ipsos illis potius subesse, qui constituti sint a Christo dispensatores, et tamquam praepositi familiae reliquae, hoc enim

significat dispensatoris nomen, ad Dei mysteria inter reliquos servos dispensanda. Quae proinde etiam nonnisi per illos secundum Christi ordinationem accipere possent, atque adeo non etiam illud, quod dixerat, se se ipsorum esse, aliter intelligerent, quam in ipsorum commodum, atque bonum, non per servilem subiectionem: et quamvis ipsis ministerium exhiberent, in hoc tamen non illis, sed Christo servirent, cuius ministri essent, et cuius voluntate istud facerent.

2. *Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Hoc est, postquam iam demonstratum est, quid sint ministri, in his non aliud considerandum esse, et advertendum nec aliam ipsorum laudem esse, quam si fideles sint: quemadmodum ab ipso etiam Christo dictum est: „Quis „putas est fidelis servus, et prudens, quem con„stituit Dominus suus super familiam suam, ut det „illis cibum in tempore?" Matth. 24. v. 45. 3. *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum iudico.* Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer fidelis esse minister, et dispensator mysteriorum Christi, aut ab humano die. S. Hieronymus in epistola ad Algasiam Quaest. 10. pro hominum iudicio istud accepit, tamquam contrarium diei Domini, qui dies Domini is intelligitur, quemadmodum ad superioris capitis versum 13. demonstratum est, quo Dominus ad exercendum iudicium venturus est. In eam autem partem dies humanus, vel hominis su-

mitur; ut ex hominum iudicio, et approbatione laudem adipiscatur, ut dies illa, humano more considerata, sit optabilis, et grata. Quod rursus perspicuum fit ex illis verbis Jeremiae cap. 17. v. 16. „Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens, „et diem hominis non desideravi, tu scis.“ Ab humano ergo die negat etiam Paulus se velle iudicari, et haberi fidelem ministrum, qui hac gloria sua, quam ab hominum iudicio peteret, et unde sibi laetitiam alicuius diei ex hac hominum laudatione quaereret, non moveatur, non ducatur, non capiatur. *Sed neque meipsum*, inquit, *iudico*. Hoc est, non meo iudicio ipse mihi sumo hanc laudem, nec rei istius gloriam mihi per meipsum vendico. 4. *Nihil enim mihi conscius sum. Sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est*. Nihil sibi conscium esse, quod instar causae posuit, cur se non iudicet, in eam partem spectat; quod seipse suo iudicio fidelem ministrum posset habere, siquidem sibi nullius rei conscius sit, in qua ministerio suo defuisset. Neque tamen ideo se esse iustificatum, quod sua eum conscientia alicuius infidelitatis, et negligentiae in ministerio non arguat. Cum autem et aliorum, et proprium quoque iudicium de adcuratione sui muneris exclusisset, quod non curet, neque spectet; Dominum affirmat esse, qui eum iudicet, et cuius unius proinde iudicium curet, cuique se probare studeat. *Qui autem iudicat me*, inquit, *Dominus est*. Hinc vero luculentissimum desumitur testimonium ad illud confirman-

dum, de quo iam alias disserui, si Apostolus, bona etiam conscientia fretus de adcuratione, qua munus suum expleverit; se tamen iustificatum esse non dixit, nec proinde certum habuit, num etiam Dei iudicio absolutus sit, et an non a Deo officio suo iudicetur defuisse; quin illud etiam dubitari possit de Apostolo, fide, atque fiducia fuisse egregie animatum erga Christum; ne alium quidem quempiam non tantum propter fiduciam, quam concipit erga Christum, sed etiam in conscientiae suae nulla accusatione certitudinem sibi vel debere, vel posse de sua iustificatione facere, contraquam docent, et asseverant in Augustana, et Helvetica Confessione.

5. *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.* Dum ex ministris Corinthii alios aliis anteferrent, quibus ipsi se videlicet adscriberent; ex antelatione hac consequens erat, ut alios deprimerent, in despectumque vocarent. Prohibet ergo, ne ante illud tempus, quo Dominus ipse ad iudicandum veniat, et animorum etiam occulta, quae nunc nos latent, in lucem protulerit, aliquis sibi sumeret facultatem privatim iudicandi ministros, quinam fidelius inter eos suo munere fungerentur. Tunc enim conspicuum in adventu Christi futurum de unoquoque, quaenam ei laus competeret. Nam de privatis iudiciis esse istud ab Apostolo dictum, ex eo certum fit, quod sequente capite non tantum ipse de illo, qui incestum ad-

misit, iudicium instituerit, sed ipsos etiam Corinthios idem etiam secum facere voluerit.

6. *Haec autem, fratres, transfiguravi in me, et Apollo, propter vos, ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio.* Haec autem fratres transfiguravi, Graece, μετεσχήματισα, *formam, figuram assumpsi,* sensus igitur est, haec autem, quae modo hactenus dixi, sub mea, et Apollo persona proposui; dum scilicet quaereret superioris capitis versu 4. „Quid igitur est Apollo, quid vero Paulus? ministri eius, cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit" idque propter vos, *ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversum alterum infletur pro alio.* Graece: ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου *ut in nobis discatis, non supra id, quod scriptum est, sentire, ne alius supra alium infletur propter alterum.* Commemoravit autem iam, et demonstravit supra Scripturae documento, quomodo sit sentiendum, uti nimirum, qui gloriatur, in Domino gloriaretur, capite 1. versu 31. et unde probaverat, nec in propria sapientia, nec in ministris, utpote qui tantum etiam sint homines, esse gloriandum. Hoc igitur scriptum nunc iterum, eiusque memoriam repetit, dum istud argumentum, quod hactenus tractavit, incipit concludere, ne contra hocce scriptum aliquis sentiret sive efferendo seipsum propter scientiam, et aliud quodcumque donum; sive etiam antepo-

nendo se se alteri propter alterum, quem scilicet ipse praecellentiorem duceret, et quo gloriaretur magistro, et propter quem praestantiorem se in Religione putaret esse effectum, quam alii sint. Nam illos sic sapuisse, ut in Evangelii donis etiam superbirent, subsequens oratio demonstrabit. Nec obscure etiam indicavit, dum id, quod dixit, sub sua, et Apollo persona docendi causa posuisse declaravit, atque in seipsum, et in Apollo figuram sermonis vertit de ministris, quod quamvis ipse plantasset, Apollo autem rigasset, tamen neque qui plantat, neque qui rigat, aliquid sit, inter ipsos ministros quospiam etiam fuisse, qui se inter Corinthios sive ministerii munere, sive donis etiam quibusdam Evangelicis, quibus essent instructi, insolentius gererent.

7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Dum post istud: *Quis enim te discernit?* subiecit, *Quid autem habes, quod non accepisti?* intelligitur, istum, ex quo Apostolus quaesivit, quis eum discerneret, habuisse aliquid, quo ab alio discerneretur. Secus enim nec dixisset Apostolus, quis eum discernat, et quid habeat, quod non acceperit, sed nihil eum habere, quod non idem habeat alter, nec esse quidquam, quo se possit discernere. Nunc autem sic quaestio est, ut cum aliquid habeat, quo discernatur ab alio; petatur deinde responsio, quis sit ille, qui eum discernat, et a quo illud sit, quo discer-

pitur ab altero. Spectat igitur istud rursus eo, ut etiam ii, qui inter Corinthios aut digniore ministerio, aut donis amplioribus essent instructi, non his rebus insolescerent, siquidem haec non sibi, sed Deo tribuere deberent, et Deus sit, qui illa ipsis dederit, non ipsi sibi illa tribuerint, in Deoque ipsis propterea, non in seipsis gloriandum sit. Isto autem testimonio S. Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pelag. cap. 7. in libro de Correptione, et Grat. cap. 7. et alibi persaepe utitur contra Pelagianos ad probandum, nihil in nobis esse boni, quod non esset nobis datum, et donatum a Deo, nec a nobis, sed ex Deo esse, quod per fidem ab aliis, qui non credunt, discernamur. Nam quamvis Apostolus adversus illos, qui inter Corinthios sive ministerii auctoritate, sive aliis donis, quae tum in Ecclesia conspicua darentur, efferebantur, hoc dixerit: tamen quia generaliter est hoc dictum: *Quis te discernit, et quid habes, quod non accepisti?* omnino consequens est, nihil in homine esse boni, quod sit ab ipso homine, et non a Deo, nec hominem qui credit, discrevisse ab iis, qui non credunt, seipsum per liberum arbitrium, sed esse hoc a Deo. „Quis enim te discernit? ait Apostolus, ait S. „Augustinus, homini tamquam de semetipso, et de „suo proprio bono glorianti, quis enim te discer- „nit? utique ab irae vasis, a massa perditionis, „quae per unum omnes misit in damnationem. „Quis te discernit? Et tamquam respondisset, Dis- „cernit me fides mea, propositum meum, meri-

„tum meum ; *Quid enim habes*, inquit, *quod* „*non accepisti ? Si autem accepisti, quid* „*gloriaris, quasi non acceperis?* hoc est, qua„si de tuo sit, unde discerneris? Ergo ille dis„cernit, qui unde discernaris, impertit, poe„nam debitam removendo, indebitam gratiam „largiendo : ille discernit, qui cum tenebrae „essent super abyssum, dixit, *Fiat lux, et fa*„*cta est lux, et divisit*, hoc est, discrevit *in*„*ter lumen, et tenebras.* Gen. 1. v. 2. Non „enim cum solae essent tenebrae, quid dis„cerneret, invenit; sed lucem faciendo discrevit, „ut iustificatis impiis dicatur, *Fuistis enim ali*„*quando tenebrae, nunc autem lux in Domino*, „ac sic, qui gloriatur, non in seipso, sed in Do„mino glorietur. Ille discernit, qui *de nondum* „*natis, neque qui aliquid egerunt boni, aut ma*„*li, ut secundum electionem propositum eius ma*„*neret, non ex operibus, sed ex se ipso vocante* „*dixit, Maior serviet minori*, atque id ipsum „commendans postea per Prophetam, *Jacob*, inquit, „*dilexi, Esau autem odio habui.* Rom. 9. v. 11. „Electionem quippe dixit, ubi Deus non ab alio „factum quod eligat, invenit; sed quod inveniat, „ipse facit, sicut de reliquiis Israel scriptum est, „*Reliquae per electionem gratiae salvae factae* „*sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus ;* „*alioquin gratia iam non est gratia.* Rom. 11. v. „5. Propter quod profecto desipitis, qui dicente „Veritate, Non ex operibus, sed ex vocante di-

„ctum est, vos dicitis, Ex futuris operibus, quae „Deus illum facturum esse praesciebat, Jacob „fuisse dilectum, atque ita contradicitis Apostolo „dicenti, *Non ex operibus:* quasi non posset di- „cere, Non ex praesentibus, sed futuris operibus. „Sed ait, *Non ex operibus*, ut gratiam commen- „daret. *Si autem gratia, iam non ex operibus,* „*alioquin gratia iam non est gratia.* Praecedit „namque non debita, sed gratuita gratia, ut per „illam fiant bona opera: ne si praecesserint bona „opera, tamquam operibus reddatur gratia, ac sic „gratia iam non sit gratia.“ Lib. 2. contra duas epistolas Peligianorum cap. 7. Sed et aliis documentis plurimis comprobatur idem hoc dogma fidei. „Non potest homo accipere quidquam, nisi „fuerit ei datum de caelo“ Joan. 3. v. 27. „Omne „datum optimum, et omne donum perfectum de- „sursum est descendens a Patre luminum.“ Jac. 1. v. 17. Idem constanter docuerunt Patres. S. Augustinus crebo citat hanc S. Cypriani ex libr. 3. cap. 4. ad Quirinum sententiam: „In nullo nobis „est gloriandum, quando nostrum est nihil.“ S. Chrysostomus homil. 12. „Nihil enim ex te habes, „sed a Deo accepisti - - - non hoc, vel illud, sed „omnia quae habes. Non enim haec tua recte fa- „cta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt.“ Et concilium Arausicanum II. cap. 20. „Multa in homine „bona fiunt, quae non facit homo. Nulla vero fa- „cit homo bona; quae non Deus praestet, ut „faciat homo“ et capite 22. „Nemo habet

„de suo, nisi mendacium, et peccatum:" et capite 25. „Hoc etiam salubriter profitemur, et credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, et postea per Dei misericordiam adiuvamur; sed ipse nobis nullis praecedentibus bonis meritis et fidem, et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et baptismum cum ipsius adiutorio, ea, quae sibi sint placita, implere possimus.

8. *Iam saturati estis, iam divites facti estis: sine nobis regnatis, et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus.* Insolentia erat Corinthiorum etiam in eo, hanc enim modo Apostolus perstringit, quod se non tantum perfectissimos iam arbitrarentur, qui adhuc multum carnales, et parvuli tantum essent in Christo, quemadmodum fuit superioris capitis versu 1. sed etiam sibi de sua salute ita iam plauderent remota sollicitudine, ac metu, ut quasi iam triumphum canerent, quamvis nondum parta fuisset victoria. Alterum designatur illo, quod iam saturatos, iam divites esse factos, affirmaverit, quasi plenos videlicet, et quibus nihil desit; alterum, quod iam ipsos regnare dixerit. Sine se autem illos regnare dicit, siquidem ipse, cum aliis Aposolis usque in hanc horam adhuc esuriat, sitiat, nudus sit, colaphis caedatur, persecutionesque sustineat, ac proinde istud regnum felicitatis adeptus nondum sit. *Utinam* autem inquit *regnetis, ut et nos vobiscum regnemus.* Hoc est, utinam reipsa saturati, et di-

vites facti essetis, utinam in eo statu essent res vestrae, ut non metuendum vobis de salute, sed de eius securitate gaudendum, nec ulla vobis adversa adhuc reformidanda essent. Tum enim seipsum etiam cum illis regnaturum. Nam si eiusmodi felicitas discipulis iam obtigisset, tanto magis haec in eorum magistris, et Apostolis esse debuisset. Sicut enim regnare de Corinthiis est positum non nisi per metaphoram usurpato vocabulo, ita per continuationem eiusdem metaphorae sequitur, ut illud etiam sic sumendum de Paulo sit, et de ceteris Apostolis. In quorum persona secum coniunctim ipsum loqui, manifeste est in versu subsequente.

9. *Puto enim, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit tamquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus.* Cum superiore versu Paulus dixisset: *Et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus*, indicavit, et illos nondum regnare, quamvis se ita gererent, quasi iam regnarent, sed neque sibi, et ceteris Apostolis istam felicitatem obvenisse. Neque enim desiderium ante se tulisset rei, quam iam haberet. Hoc ergo nunc idem declarat, et qua conditione ipse, aliique Apostoli adhuc in hoc mundo essent, proponit. *Puto enim, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos.* Puto Graece est, δοκῶ, quod non tantum opinionis, sed certae etiam asseverationis significationem habet. Ex hoc

enim verbo descendit etiam, δόγμα, quod decretum, et statutum significat. Tales igitur se non tantum per opinionem, sed certo esse affirmat, quales modo esse dixit. Erant enim reipsa sic habiti Apostoli, quasi nec digni vita essent. Quod significatur hoc etiam vocabulo: *novissimos*, ἐσχάθους, quod significat extremos, atque ideo tamquam morti destinatos. Quod enim vile, et nullius pretii habetur; illud iacturae facile offertur. Tanto autem magis sic Apostoli erant morti destinati, ad quos opprimendos totus mundus esset intentus. *Quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus.* Praecesserat esse se, tamquam morti destinatos. Non ergo sic spectaculum se dicit esse factos, ut admirationi etiam hominibus, et mundo essent propter considerationem virtutis, sed potius ad quos spectandos in supplicio omnes concurrerent, quoque spectaculo omnes se pascere desiderarent; quamvis idem hoc spectaculum Angelis etiam esset gratum, sed non eodem modo. „Quid sibi vult autem et Angelis? ait S. Chryso„stomus homil. 12. Possunt hominibus esse spe„ctaculum, sed non angelis, quando vilia sunt ge„sta. At certamina nostra talia sunt, ut digna sint, „quae spectentur ab angelis. Vide, quomodo ex „eisdem, quibus se vilem dicit, rursus magnum „ostendat. Ex quibus autem illi altum sapiebant; „illos esse viles, et abiectos pronunciet." Si angelis gaudium est ex unius peccatoris poenitentia; Luc. 15. v. 10. quanto magis intelligitur eorum-

dem

dem angelorum oculis grata esse pugilis Christi pugna, ac triumphus?

10. *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fort s; vos nobiles, nos autem ignobiles.* Traducebantur scilicet Apostoli veluti stulti per orbem. Nam qui Christum praedicarunt gentibus stultitiam; consequens est, ut ipsi etiam, qui Christum praedicarent, crederentur esse propter Christum stulti. Iidem Apostoli infirmos se se agnoverunt, et reputaverunt. Sic enim de seipso capitis 2. versu 3. Corinthiis confessus est Paulus: ,, Et ego, inquit, in ,, infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud ,, vos" Ignobiles etiam erant, Graece, ἄτιμοι, *inhonorati*, despecti, ignominia affecti. Itaque seipsum, Apostolosque alios Corinthiis opponit, qui se prudentes in Christo, fortes, et nobiles, Graece ἐνδόξους, *gloriosos*, reputarent. Prudentes autem in Christo, qui videlicet in Christiana Religione sapientiam suam non in solo Jesu Christo crucifixo constituerent, quibus eam ob causam iam supra etiam capitis 2. versu 2. dixit: ,, Non enim, ,, inquit, iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Je- ,, sum Christum, et hunc crucifixum:" ut ipsorum insolentiam ex ostentatione alterius sapientiae, quae praeter Christum crucifixum esset, retunderet: fortes, eosdem dixit, utique per ironiam, quos enim his nominibus reprehendebat; his profecto non veram laudem istarum rerum tribuebat, fortes igitur ipsos etiam vocat, qui nullum metuerent pe-

riculum, cum tamen ipsis Apostolis essent periculorum plena omnia, ac demum gloriosos, quasi iam coronatos post victoriam. 11. *Usque in hanc horam esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus*, Graece, ἀςατοῦμεν, *non habemus certam sedem*, ob persecutiones videlicet secundum illud Christi: „Cum „autem persequentur vos in civitate ista, fugite in „aliam" Matth. 10. v. 23. 12. *et laboramus operantes manibus nostris; maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus:* 13. *blasphemamur, et obsecramus, tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Illud declarat, quod de se, et de Apostolis aliis dixerat, stultos ipsos haberi propter Christum, esse infirmos, conflictantesque cum aerumnis, atque periculis, et ignobiles, hoc est, quemadmodum iam demonstratum est, ingloriosos, atque despectos Purgamenta sunt ea, quae deterguntur, vel resecantur ex aliquo corpore, ut mundum, atque politum sit. Quo pertinet Graecum quoque *peripsema*, quod vilem aliquam scobem significat alicunde detritam.

14. *Non ut confundam vos, haec scribo, sed ut filios meos charissimos moneo.* 15. *Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* „Non ut pudore afficiam „vos, inquit, verba sunt S. Chrysostomi homil. „13. haec dico. Quod per verba fecit, se non fe-

„cisse dicit: imo vero se fecisse dicit, sed non ma„lo animo, vel ex odio. Haec est enim optima cura„tio, cum verbum dixeris, excusationem ex mente „proferre. Nam haec non dicere non licebat, quia in„correcti mansissent. Postquam autem dixerat, „plagam incuratam relinquere grave fuisset. Qua„re cum gravitate excusat. Hoc enim non modo „incisionem non tollit; sed etiam efficit, ut profun„dius infigatur, dum plagae dolorem omnem con„solatur. Qui enim audit ipsum non exprobrantem, „sed amantem haec dicere, libentius correctionem „accipit. Multa est hic quoque gravitas, et ad pu„dorem provocatio. Non enim ut doctor, ut apo„stolus, non ut qui discipulos habeam, quod di„gnitatis est, sed ut filios meos charissimos moneo. „Nec tamen filios, sed desideratos. Ignoscite mi„hi, inquit, si quid molestum dixi. Haec ex „dilectione fiunt. Nec dixit, corripio, sed moneo. „Quis vero non ferat patrem dolentem, et quae „docet, consulentem?

16. *Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* 17. *Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, et fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas, quae sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo.* Quas prius vias suas dixit in Christo Jesu, idem hoc aliis verbis declaratur, sicut ubique in omni Ecclesia doceret. Viae igitur ipsius in Christo, institutum, et ratio intelligitur, qua apud omnes praedicabat Evangelium aequaliter. 18. *Tam-*

quam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. 19. *Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit, et cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem.* 20. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* „Id est, „ait S. Thomas in Commentario, non ideo aliqui „pertinent ad regnum Dei, quia abundant in ser„mone, secundum illud Matthaei 7. v. 21. Non „omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intra„bit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem „Patris mei." In Graeco utrobique, ubi Latinus Interpres posuit vocabulum: *virtus* est δύναμις, quod vero vim, et potentiam significat. Jam vero superius capite 2. versu 4. de se etiam Apostolus dixit: „Et sermo meus, et praedicatio mea non in per„svasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in „ostensione Spiritus, et virtutis." Hanc igitur virtutis ostensionem etiam in ministerio, et praedicando se se experturum scribit, cum venerit, apud Corinthios. Ex quo illud quoque perspicuum fit, pertinuisse istud ad eos, qui apud Corinthios praesidebant ministerii auctoritate, et quanam hi ratione, atque profectu Dei Ecclesiam aedificarent, regnumque Christi dilatarent per Evangelii praedicationem. 21. *Quid vultis? in virga veniam ad vos? an in charitate, et spiritu mansvetudinis?* „Non „iam dicit, tamquam se cum illis comparans, sed „cum auctoritate."

CAPVT V.

Iudicium suum perscribit de quopiam, qui inter Corinthios incestum commiserat, a communione fidelium removendo. Modicum enim etiam fermentum totam massam corrumpere. Monet, ne cum ullo criminoso quidquam commune habeant, atque omne eorum consortium devitent.

1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Cum non dicat esse matrem, qui tamen proprio vocabulo utatur in significando patre; consequens est hanc uxorem patris novercam fuisse. 2. *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Qua ratione se se inflaverint, iam in superioribus capitibus fuit propter secularem sapientiam, deinde etiam propter dona Evangelii, aut sacri ministerii gradus. Neque enim profecto tam impudens aliquis inter eos esse poterat, qui ex turpissimo flagitio, quod apud eos esset perpetratum, vellet etiam adhuc superbire. Lugere autem ipsos oportuisse ob hoc scelus dicit, atque hunc, qui illud admisit e suo consortio excludere: ut quamvis in reum animadverterent; tamen istud cum dolore etiam suo facerent, ne ex acerbitate poena procederet, et dum ipsi dolerent de crimine alieno, tanto magis is, cuius proprium esset, excitaretur ad dolendum factum suum. 3. *Ego*

quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi ut praesens eum, qui sic operatus est, 4. in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, et meo spiritu cum virtute Domini nostri Jesu, 5. tradere huiusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. Ego quidem absens corpore, praesens „autem spiritu, id est, affectu, ait S Thomas in „Commentario, et sollicitudine mentis; vel prae„sens spiritu, quia per spiritum cognoscebat ea, „quae apud ipsos agebantur, ac si praesens esset, „sicut et Elisaeus dixit 4. Reg. 5. v. 26. *Nonne cor „meum in praesenti erat, quando reversus est ho„mo de curru suo?* Et quia sum spiritu praesens, „iam iudicavi, id est, sententiam condemnationis „ordinavi in eum, qui sic operatus est. *In nomine „Domini nostri Jesu Christi*, id est, vice, et „auctoritate. Deinde cum dicit, *Congregatis vobis „in unum*, ostendit modum iudicandi, ubi tria tan„git primo fidelium congregationem, cum dicit con„gregatis vobis; secundo adhibet suum assensum, „cum dicit, Et meo spiritu, id est, mea volunta„te, et auctoritate; tertio adhibet auctoritatem prin„cipalis Domini, scilicet Christi, dicens, *Cum vir„tute Domini nostri Jesu Christi.* Ex qua iudicium „Ecclesiae habet robur firmitatis secundum illud „Matthaei 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris super „terram, erit ligatum et in caelis.*“ Nempe cum dicit Paulus, Congregatis vobis, voluit, ut sententia damnationis ferretur coram Ecclesia, et in

conventu totius multitudinis fidelium; non autem, ut multitudo ipsa etiam iudicium exerceret. Petro enim tantum atque Apostolis ligandi, atque solvendi potestas est data a Christo. Matth. 16. v. 19. cap. 18. v. 18. Quorum vero publicum fuit peccatum, ii publice etiam sunt arguendi, vel puniendi. „Peccantes coram omnibus argue, praecipiebat idem „Apostolus Timotheo 1. Epist. 5. v. 20. ut et ce- „teri timorem habeant.“ Istud vero, Tradere satanae, quid sit, perspicuum fit ex versu huius capitis secundo, ubi dixerat. „Et non magis luctum „habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc „opus fecit.“ Ergo tradere satanae, idem est, quod excludere, atque eiicere e coetu fidelium, et ex Ecclesia. Qui peccatum admisit, quo commeruit excludi ab Ecclesia, iam seipsum mancipavit per peccatum diabolo. „A quo enim quis superatus est, „huius et servus est.“ 2. Petr. 2. v. 19. Idem tamen, quamvis peccaverit, manet adhuc in corpore Ecclesiae per fidem, sed est membrum mortuum in corpore Christi. Quod si ergo excommunicatio per Ecclesiae auctoritatem accedat; is, qui secundum spiritum iam separatus est a Christo, diaboloque mancipatus per seipsum; dum ab externa quoque communione cum Ecclesia arcetur, sequitur; ut ista ratione etiam externa relinquatur satanae, qui iam ne isto quidem modo in corpore Christi est. Quatenus ergo talis, qui excommunicatur, Ecclesiastica potestate rescinditur a corpore Christi, et ab Ecclesia, separatusque relinquitur totus ei, cui se

iam ipse per peccatum tradidit; tradi dicitur, non directe sed per solam derelictionem, satanae. In interitum autem carnis indicavit illum sic tradendum esse satanae. Idem Apostolus ad Romanos cap. 8. v. 8. „Qui in carne sunt, inquit, Deo placere non possunt: vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.“ Non autem, quod in carne non essent, hoc Apostolus dixit, neque enim ipse suspirasset, Quis me liberabit de corpore mortis huius, Rom. 7. v. 24. sed quod non ea, quae carnis sunt, saperent, non cupiditati carnis obsequerentur. „In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus“ 2. Cor. 10. v. 3. In interitum ergo carnis ipsum tradi oportere dixit, hoc est, ne concupiscentiam carnis in se sineret vivere, sed ut illam comprimeret. Qua ratione Hymenaeum quoque, et Alexandrum, cum circa fidem naufragavissent, Paulus tradidit satanae, ut discerent non blasphemare 1. Tim. 1. v. 20. Nempe haec ipsa traditionis poena, non perniciei, atque interitus in eo, cui infligitur, finem sibi habet propositum, sed emendationem. Quod deinde subsequentia etiam verba declarant, *Ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* „Id est „anima, ait S. Chrysostomus homil. 15. Non quod „illa sola salva sit, sed quasi id in confesso sit, „quod illa salva sine ulla contradictione corpus salutis particeps sit.“ Nempe quemadmodum eos carnales vocat Apostolus, qui secundum carnem ambulant, tametsi spiritum habeant, quod ipse spi-

ritus in illis appetitui carnis serviliter obsequatur; ita e contrario spirituales, et quasi nihil carnis haberent, illos esse dixit, qui secundum spiritum, non carnem ambularent; et qua ratione, quemadmodum paulo ante demonstratum est, Romanos ne in carne quidem esse dixit, si Spiritus Dei habitaret in ipsis. Itaque in hoc incestuoso spiritum salvum futurum esse dixit, et cuius rei gratia illum etiam tradiderit satanae, quod cum ista poena ad meliorem frugem revocatus, et spiritualis factus esset; deinde iam ista ratione vivendo secundum spiritum, non secundum carnem, salutem adipisceretur. Dies Domini nostri Jesu Christi, quod sit illa dies, qua is ad iudicium venturus est, ad capitis 3. versum 13. demonstratum est.

6. *Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Jam etiam superius dixerat versu 2. cum de facto istius incestuosi incoepisset loqui, „Et vos „inflati estis" ideo, quod cum istius tali facto ipsos dolorem potius habere oportuisset, tamen quasi iam saturati, iam divites facti essent, et regnarent, quemadmodum fuit superioris capitis versu 8. inflarentur, et gloriarentur, cum iste lapsus alterius commovere debuisset, ut non tantum istius infelicis casum dolerent, sed sibi ipsis etiam illius exemplo metuere discerent, quibus, tametsi gloriarentur se optime stare, idem posse evenire, ut labantur, et cadant, cogitandum esset. Sed et inde culpat ipsos, quod per suam gloriationem, quasi seipsis freti, et

non curantes alterius salutem, ista ignavia atque dissimulatione istius criminis, quod alter commisit, ipsi etiam participes facti essent. Ideo enim de fermento similitudinem posuit, a quo tota massa corrimperetur, quae tota massa proculdubio intelligebantur ipsi; atque ut expurgato hoc fermento nova essent conspersio, ipsos hortatus est.

7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* Quare vetus fermentum appellat? Quia antequam didicissent Christum, secundum desideria carnis ambulaverint. „In quibus, „et nos omnes aliquando conversati sumus in desi„deriis carnis nostrae facientes voluntatem carnis, „et cogitationum:“ Eph. 2. v. 3. *Ut sitis nova conspersio,* Graece, *nova massa,* νέον φύραμα quae scilicet expers sit fermenti, et qualis nova massa facti essent per Christum. Hoc enim illo declaratur: *Sicut estis azymi;* sicut estis videlicet facti azymi per Christum, et expertes fermenti. Nam quibus modo iterum mandabat, ut expurgarent vetus fermentum; ii certe intelliguntur modo omnis fermenti expertes non fuisse. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* Non licebat Judaeis in paschate fermenti aliquid habere in domibus. Huc igitur alludens dicit, ut tanto magis, qui non iam umbratile, sed verum Christi pascha celebrarent, satagerent immunes, atque puri ab omni malitiae fermento esse, et quemadmodum Christus surrexisset a mortuis per gloriam Patris, ita et ipsi in novitate vitae ambularent. Rom. 6. v. 4.

8. *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae, et nequitiae, sed in azymis sinceritatis, et veritatis.* 9. *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis.* Aliamne hac de re Paulus ad Corinthios iam misit epistolam? Modo autem scripsit, ut expurgarent vetus fermentum, loquens de incestuoso isto, de quo nunc fuit sermo. Haec autem praesens etiam epistola fuit. Ergo, quod nunc scripserat, quid impediebat, ne dicere posset se in epistola hoc scripsisse? Finiverat argumentum scriptionis, quantum attinebat ad hunc incestuosum. Tum vero, ne quod de fermento dixerat, ab hoc totam massam corrumpi, cum inter infideles degerent, ita sumerent, quasi ipsos vellet ab istorum etiam omni consortio abstinere, quod fieri non posset, nisi de ipso mundo exirent, ideo, quod nunc in epistola scripserat, repetit, et explicat. Itaque idem hoc, quod se scripsisse dixit in epistola, inferius versu 11. repetens dicit se istud scripsisse nunc, ut clarum sit, non illum de alia aliqua, sed de hac praesente mentionem fecisse epistola. Quod enim in aliqua alia scriptum fuisset epistola, non potuisset dici scriptum nunc. 10. *Non utique fornicariis huius mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus. Alioquin debueratis de hoc mundo exiisse.* 11. *Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.* Tacite intelligitur:

cum eiusmodi nec cibum sumere vos volo. Pertinebat haec instructio, ut ad ostendendam aversationem malae rei, quam alter perpetraret, convictum etiam illius vitarent, ut sic percussus resipisceret. Qua ratione ad Thessalonicenses quoque scripsit, „Quod si quis, inquit, non obedit verbo nostro „per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur." 2. Thessal. 3. v. 14. Eiusmodi autem subtractio sui, et aversationis demonstratio a fideli erga infidelem, qui fidelem in eo ipso, quod ab eo dissentiat, ridet, vim habet. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis?* Pro documento illum ipsum morem adfert, quem iam viderent apud se introductum, de iis tantum iudicium habendi per eorum praepositos, qui essent in gremio Ecclesiae. Hinc vero, quod nec Ecclesia iudicium exerceret de illis, qui extra eam sunt, ad ipsos quoque illationem facit, non debere eos etiam privatim a consortio eorum abstinere, qui extra Ecclesiam essent, etiamsi illis vitiis contaminati essent. 13. *Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.* Modo de fornicatore, avaro, idolis serviente, pluribusque vitiosis dixerat, eorum convinctum esse vitandum. Hoc vero ad privatos citra Ecclesiae iudicium monitum dederat. Auferre autem ex seipsis malum, hoc est quempiam rescindere a sua, et Ecclesiae communione privati non est. Nam auferre malum ex seipsis profecto idem significat, quod tollere ali-

quem de medio sui. Istud vero idem de incestuoso dixerat, quem iudicaverat satanae esse tradendum et excommunicandum. Ergo hoc, ut auferrent malum ex seipsis et generaliter est dictum, et ad eos solos pertinuit, qui praesidebant in Ecclesia.

CAPVT VI.

Arguuntur Corinthii, quod cum Religionis dehonestatione ad gentilium tribunalia in suis causis, atque controversiis recurrerent. Docet criminosos exclusum iri e regno caelorum. Corpora nostra cum sint membra Christi, et templum Spiritûs sancti, non esse polluenda per fornicationem.

1. *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos, et non apud sanctos?* Quos nunc iniustos vocat, hos deinde infra versu 6. manifestius appellat infideles. Culpat igitur Corinthios, quod in suis negotiis, atque controversiis ad ethnicos iudices recurrerent, atque ista ratione, dum sua vitia coram ethnicis propalarent, Christiano nomini dedecus inurerent. 2. *An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus; indigni estis, qui de minimis iudicetis?* Praeposionem *in* loco *per* solere usurpari, iam saepe demonstratum est. Hoc ergo: *Et si in vobis iudicabitur mundus* aequivalet huic, *Et si per vos iudicabitur mundus.* Judicabunt autem sancti de hoc mundo in die iudicii.

„Vos enim, qui secuti estis me, dicebat Christus „Petro, et Apostolis, in regeneratione, cum se„derit Filius hominis in sede maiestatis suae, se„debitis et vos super sedes duodecim iudicantes „duodecim tribus Israel.“ Matth. 19. v. 28. 3. *Nescitis, quoniam angelos iudicabimus? quanto magis secularia?* „De illis loquitur angelis, ait S. „Chrysostomus homil. 16. de quibus dicit Christus: „*Ite in ignem aeternum paratum diabolo, et an„gelis eius.*“ Matth. 25. v. 41. 4. *Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* 5. *Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum?* „Cum dicit contemptibiles, ait S. Chryso„stomus homil. 16. non hoc praecipue dicit, quod „abiectos sedere iudices oporteat, sed illos per„stringens. Nam quod iis, qui discernere possint, „committere oporteat; significavit dicens, *Sic non „est sapiens inter vos quisquam*, et ex abundanti „os obstruens, et dicens, quod etiamsi nullus esset „sapiens, vobis insipientibus potius committenda „causa fuisset, quam externis.“ 6. *Sed frater cum fratre iudicio contendit, et hoc apud infideles?* 7. *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* 8. *Sed vos iniuriam facitis, et fraudatis: et hoc fratribus.*

9. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri,* 10. *neque molles,* est genus hoc luxuriei, dum quis per libidinosam voluptatem, quam ex suo corpore quaerit, polluitur, *neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* 11. *Et haec quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* Corinthiis istud Apostolus scripsit, qui, ut modo idem Paulus dixit, abluti, sanctificati, iustificati erant in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri: et fidem isti in Christum veram, atque sinceram habuerunt. Secus enim nec iustificari potuissent. Istos nihilominus Paulus instruit, et docet perituros, si fures, si avari, si ebriosi, si maledici, fornicatoresque essent. Lutherus vero, et Calvinus in sua reformatione docuerunt, suisque sequacibus dogma ad credendum imposuerunt, tantummodo quis fidem haberet, salvum futurum. Ergo ii fures, rapaces, ebriosi, maledici, avari, molles, fornicarii, masculorum concubitores, regnum caelorũm secundum ipsos possidebunt, qui fideles sunt, et in Christum credunt: quin secundum eosdem eiusmodi flagitia qualiacumque et quantacumque sint, iisdem fidelibus nec imputantur. Paulus vero Corinthios, quamvis fideles essent, asseverat regnum Dei non adepturos, si se istis flagitiis con-

taminassent. Lutherone magis, et Calvino, an Paulo est credendum? Et istane est reformatio secundum Evangelium, in qua tam manifeste ei Evangelio, quod Paulus praedicavit, contraria dogmata sibi habent constituta?

12. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* Haec, quae Paulus sibi dicit licere, profecto non intelliguntur eiusmodi esse, quae iam per seipsa sint peccata. Haec enim non potuisset dicere sibi esse licita. Ubi vero has generales duas, quae in hoc praesenti versu sunt, propositiones posuisset; deinde e vestigio subiicit: „Esca ventri, et venter escis, Deus autem „hunc, et has destruet, corpus autem non fornica-„tioni, sed Domino." Ergo ex hoc subsequente contextu intelligitur, respexisse Paulum in his, quae diceret sibi licere, ad escas, ut quamvis hae licitae essent, sibi tamen in his eam etiam moderationem Corinthii indicerent, ut ab eo etiam, quod frugale est, sibi temperarent, quando saturitas fomitem quemdam libidini posset praebere. Neque enim de intemperantia cibi, aut potus, dum ebriosos modo paulo ante inter eos numeravit, qui regnum Dei possessuri non essent, poterat dici, Omnia mihi licent. Nullum apud gentiles magis vitium dominabatur, quam luxuries, adeo, ut fornicari cum persona libera, ne pro peccato quidem aliquo haberetur. Quae res, ut ad Actorum cap. 15. v. 20. demonstratum, Apostolos etiam in concilio,

cilio, quod Jerosolymae ab ipsis erat celebratum, movit, ut de fornicatione, iis, qui ad fidem ex gentibus erant conversi, in suo decreto legem speciatim perscriberent. Ad hoc ergo vitium, unde metus maximus esset iis, qui huic antea erant dediti, et asveti, comprimendum, et eradicandum in Corinthiis, cum adhuc sermonem facturus esset, eo sibi viam nunc sternit, ipsiusque istius vitii fontem adgreditur, et quo efficacius ab intemperantia avocarentur, seipsum pro exemplo ponens, docet se ne rebus quidem licitis esse usurum, si non expedirent. „Helluones hic, ait S. Chrisostomus homil. 17: „subindicat. Quia enim rursus ad fornicationem est „rediturus, fornicatio autem ex deliciis, et immo„derato cibo oritur; vehementer vitium istud ca„stigat. Neque enim de prohibitis haec dicit. Illa „namque non licent. Sed de iis, quae indifferen„tia videntur esse, exempli gratia, licet, inquit, „comedere, et bibere: sed cum copia nimia non „expedit. Quodque mirum, inexspectatumque est, „quod tamen facere saepe solet, in contrarium „convertens orationem, hic quoque illud exsequi„tur, et ostendit, quod facere, quod in potesta„te est, non solum non expediat; sed nec potesta„tis quidem, verum servitutis sit. Et primo qui„dem avertit ab eo, quod non expediat, dicens: „*Non expediunt*; secundo autem e contrario dicens: „*Ego sub nullius redigar potestate*. Hoc autem „sibi vult. Penes te est manducare, inquit. Ergo „mane in illa potestate, et cave, ne huius affe-

„ctus servus efficiaris. Nam, qui, ut convenit, illo „utitur, illius dominus est: qui autem mensuram „excedit; non ultra dominus est, sed servus eius „efficitur, gula in ipso tyrannidem exercente. „Viden, quomodo eum, qui se potestatem habe„re putabat, sub potestate esse ostendat? Solet „enim Paulus hoc facere, ut iam dixi, in contra„riumque obiectiones vertere. Quod hic etiam fecit. „Animadverte autem. Quisque eorum dicebat: li„cet mihi deliciari. Ille vero dicit: Non hoc tu „ita facis, ut qui id habeas in potestate, sed, ut „qui sis ipse redactus sub hanc potestatem. Neque „enim ventris potestatem habes, quamdiu fueris „ventri nimis indulgens, sed ipse te in potestate „habet."

13. *Esca ventri, et venter escis. Deus autem et hunc, et has destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori.* Esca ventri, quatenus eo pertinet, unde alimentum subministretur corpori. Venter autem est escis, ad eas videlicet recipiendas. Deus autem tam ventrem, quam escas destruet. Venter vero etiam est corpus. De corpore autem dicit, esse illud Domino, et Dominum corpori. Ergo prius per ventrem, non venter, ut corpus est, sed edacitas illius, et immoderata ciborum appetentia intelligitur. Quae utraque destruentur. Cessabunt enim aliquando hi cibi, et haec illorum in ventrem receptio. At venter, ut corpus est, perstabit semper, ubi revocatus fuerit una cum corpore ad vitam. „Ventrem hic non ventrem, ait

„S. Chrysostomus homil. 17. sed ingluviem vo-
„cat, ut cum dicit: *Quorum Deus venter est*,
„Philip. 3. v. 19. non de hoc membro loquens;
„sed de voracitate. Quod enim ita sit, audi se-
„quentia: *Et venter escis; corpus autem non for-*
„*nicationi, sed Domino.* Atqui venter quoque
„corpus est. Sed duas posuit coniunctiones, escas;
„et ingluviem; quam quidem ventrem vocavit;
„Christum, et corpus. Quid sibi vult illud: *Escae*
„*ventri?* Escae, inquit, amicitiam habent cum
„ingluvie, et haec cum illis. Non potest ergo nos
„ad Christum ducere, sed ad has trahit. Gravis
„enim, et belluina est passio, servosque reddit,
„et ut sibi serviatur, efficit. Deinde, ne quis pu-
„tet, reprehensionem id esse corporis, neve il-
„lud suspicetur, quod nempe a parte totum damna-
„verit, neve dicat, corporis naturam causam esse
„fornicationis, audi sequentia: Non enim corporis
„naturam, inquit, accuso, sed immoderatam ani-
„mi cupiditatem. Ideo adiicit: *Corpus autem non*
„*fornicationi, sed Domino.* Non enim ideo for-
„matum fuit, ut luxui, et fornicationi operam da-
„ret, sicut neque venter, ut ingurgitetur, sed ut
„Christum caput sequatur, et Dominus imponatur
„corpori. Revereamur, horreamus, quod tanto
„honore dignati, ut illius supra collocati membra
„efficiamur, tot malis nos deturpemus. Cum ergo
„helluones satis carpsisset, futurorum etiam spe
„ab hac nequitia abducit, dicens: " 14. *Deus*
autem et Dominum suscitavit, et nos suscitabit

per virtutem suam. „Vidistin rursum sapientiam
„Apostolicam? prosequitur S. Chrysostomus, nam
„fide dignam resurrectionem esse a Christo sem-
„per probat. Maxime vero nunc. Si enim corpus
„nostrum membrum est Christi; Christus vero re-
„surrexit; etiam corpus omnino caput sequetur.
„*Per virtutem suam.* Quia enim rem dixit, quae
„non creditur, et ratiociniis percipi non potest;
„eius virtutis incomprehensibilitatem adstruit ex
„iis, quae ad Christi resurrectionem spectant, non
„parvam hinc contra incredulos praebens demon-
„strationem, ex eo, quod fide digna sit eius,
„qui suscitavit, potestas, os obstruens contradi-
„centibus.“

15. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit.* Argumentum a dignitate corporis Christi adversus fornicationem instituit. Cuius ipsi cum sint membra, si fornicentur, e Christi membro membrum faciant meretricis.
16. *An nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una.* Hoc de suo Adam, eoque legitimo coniungio cum Heva pronunciavit, haud dubium, quin prophetico Spiritu, siquidem hoc ipse Christus citet tamquam a Deo editum oraculum. Matth. 19. v. 5. Idem tamen etiam Paulus nunc ad meretriciam, et illegitimam copulam retulit, quod etiam hic duorum corporum perinde fiat, quantum ad ipsam rem, inter se commixtio. „Neque enim,

„ait S. Chrysostomus homil. 18. permittit concu-
„bitus, ut duo sint duo, sed ambos unum facit."
17. *Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est.* Per adhaesionem videlicet amoris cum Deo, ut quemadmodum in coniugio duo copulantur corpora in unum; ita secundum spiritum homo copuletur cum Deo, atque unus cum eo spiritus fiat, idem volendo, et diligendo, quod Deus diligit, et vult.

18. *Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Qui per intemperantiam sibi nocet, qui sibi manus affert, certe contra corpus suum agit ea actione, quae peccatum est. Et omnino nullum peccatum est, quod extra corpus committeretur, cum utique homo non sit extra suum corpus, sed ipse sit corpus, et anima, unde totus constat: anima autem sit in corpore. Et tamen unum fornicationis peccatum dicitur esse, quod sit intra corpus, et quo in ipsum corpus is, qui illud perpetrat, peccet. Nempe, hoc ea ratione est dictum, quatenus is, qui fornicatur, proprii sui corporis mala actione utatur ad idem suum corpus dehonestandum. Ignominia videlicet notatur, qua per libidinem proprium afficiatur corpus, cum cetera peccata nulla rationem istius ignominiae habeant erga proprium corpus. Quod tanto magis contra rationem est, quod proprium corpus veluti instrumentum adhibeatur ad illud commaculandum. Non ergo istud fornicationis pecca-

tum absolute dicitur esse peccatum, quod solum non extra corpus sit, et in proprium corpus admittatur; sed tantummodo ista dehonestationis, et pollutionis ratione. Qua in re nullum ei simile peccatum est. 19. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?* 20. *Empti enim estis pretio magno.* Instar causae est hoc positum illius, quod proxime antecessit: *Non estis vestri.* Nam si empsi sunt, ad illum spectant, qui ipsos emit, nec sui iuris sunt. Non ergo ius iam aliquod habent, ut agant secundum arbitrium suae voluntatis, quo eos instigat concupiscentia carnis, sed secundum illius Spiritum, a quo empti sunt, et quem acceperunt, vivendum ipsis est. Christus autem nos emit: et pretium, quod pro nobis dedit, est ipsius sangvis. „Scientes, ait S. Petrus, quod non corruptibilibus auro, „vel argento redempti estis, sed pretioso sangvine „quasi agni immaculati Christi, et incontaminati." 1. Petr. 1. v. 18. *Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.* Rursus hoc eo pertinet, quod modo antecessit, templa ipsos esse Spiritus sancti,

CAPVT VII.

De coniugum erga se invicem officio. Coniugio praestabiliorem esse continentiam. Licere fideli ab infideli coniuge discedere, si iste non consentiat habitare cum illo: nec eum qui ad fidem vocatus est, oportere sollicitum esse de vitae conditione mutanda. Dat virginitatis, et continentiae consilium. Demum mulierem tamdiu docet obstrictam manere suo marito, quamdiu is viveret.

1. *DE quibus autem scripsistis mihi, Bonum est homini mulierem non tangere.* „ Scripserant ei, „ verba sunt S. Chrysostomi homil. 19. an oporteret „ ab uxore abstinere, an non. Et ad ea rescribens, „ et de matrimonio legem ferens, sermonem de „ virginitate inducit: *Bonum est homini mulierem* „ *non tangere.* Nam si, inquit, quod bonum est, „ et admodum excellens, quaeris; melius est cum „ muliere nullam habere consvetudinem. Si quod „ tutum est, et quod infirmitatem tuam iuvet, ma- „ trimonio utere. “ 2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat.* „ Ex ipsa concessionis „ causa, inquit S. Chrysostomus homil. 19. ad „ continentiam duxit. “ Inhonesta enim causa est, quaeque pudorem potius afferat propter incontinentiam, quam ut matrimonium svadeat. Quod adhuc clarius infra versu 8. expressit: „ Bonum

„ est illis, inquit, si sic permaneant, sicut et ego. „ Quod si non se continent, nubant. Melius est „ enim nubere, quam uri.“ Ergo hoc propter fornicationem, sic est positum, ut viro uxorem, et feminae maritum esse habendum dicat, si se continere non possent. Sin autem incontinentiae periculum non subesset, melius esse, si a coniugio abstinerent. 3. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro.* 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Non enim possunt iam sui corporis copiam, si coniugati sint, alteri, quam coniugi facere: coniugi vero suo tenentur debitum reddere.

5. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Hinc S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum cap. 19. Ecclesiasticae legis aequitatem vindicavit de clericorum continentia. Nam „ si laicus, inquit, et quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali; sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. „ Si semper orandum est, ergo semper carendum „ matrimonio.“ Nos orationi, et ministerio verbi instantes erimus, dicebant de seipsis Apostoli. Actorum 6. v. 4. Illi, qui seculo decimo sexto se ab Ecclesia Catholica segregaverunt, et novas sibi fidei confessiones procuderunt, eo praetextu,

ut Religionem quasi ad ungvem secundum spiritum Evangelii reformarent; non tamen in eo, quod Apostolus dixit, se velle omnes esse, sicut seipsum, et melius esse, si sic permanerent, sicut et ipse, quemadmodum subsequentibus versibus est; sed toto impetu in eam partem ferebantur, quasi quodam oestro, ut propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, et ut nubant, si se non continerent, melius enim esse nubere, quam uri. Hoc vero quoniam tantum propter incontinentiam Apostolus commendavit, tamquam quod infirmioribus tutius, atque securius esset, non autem melius, atque perfectius, „Qui enim „sine uxore est, sollicitus est, quae Domi„ni sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum „uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quo„modo placeat uxori, et divisus est. Et qui ma„trimonio iungit virginem suam, bene facit, et „qui non iungit, melius facit" Infra versu 32. et 38. primum declararunt sibi ipsis continentiam defuisse, atque sic libidine arsisse, ut nisi nuptias sequerentur, illius incendio deflagravissent: cumque non tantum ipsi ad libidinem se se proiecissent; sed illum Spiritum etiam Ecclesiae, quo haec in fidelibus suis virtutem continentiae non tantum laudat, atque probat verum etiam a ministris suis, qui altari serviunt, exigit canino dente lacerare, et proscindere veriti non sint; quid tam apertum est, quam illi Spiritui Evangelii, quem Apostolus declaravit de continentia, esse eam anteferendam coniugio; et moribus suis,

et dicacitate sua adversarios se se exhibuisse? Qui tamen ante se puritatem Evangelii auderent ferre, quasi ad hanc Religionem revocarent, cum illos ipsos impuritatis spiritus ad hanc suam reformationem impulisset. „O praeclaros Ecclesiae reforma- „tores, scribebat de ipsis in quadam sua epistola „Erasmus, vocant se apostolos, et tamen solennem „coelibatus possessionem abiiciunt, ut uxoribus „iungantur: cum tamen veri Apostoli Domini no- „stri Jesu Christi iuxta omnium sanctorum Patrum „traditionem, relictis uxoribus, coelibatum am- „plexati fuerint, ut unice in Deo, atque Evange- „lio occupati esse valerent."

6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium:* Hoc scilicet, quod superiore versu antecessit, ut in id ipsum, quod, ut vacarent orationi, intermiserunt, reverterentur, ne ipsos propter incontinentiam tentaret satanas, hoc inquam se se dicere affirmat, non secundum imperium, sed secundum indulgentiam, ut scilicet non debeant, si nolint, sed tantummodo possint ad usum sui matrimonii reverti: ac proinde si ex mutuo consensu vellent semper abstinere ad vacandum orationi; istud melius atque perfectius, et quod secundum ipsius Pauli voluntatem etiam magis esset, qui, ut sequente versu est, omnes sic, quemadmodum ipse erat, vellet esse. 7. *Volo enim omnes esse, sicut meipsum. Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo. Alius quidem sic, alius vero sic.* 8. *Dico autem non nuptis,*

et viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. 9. *Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.* „Vidistin, ait S. Chrysostomus homil 19. Pauli sapientiam, quomodo et meliorem ostendat esse „continentiam, et non cogat eum, qui non asse„quitur, timens, ne quis lapsus accidat? *Meli„us est enim nubere, quam uri.* Indicavit, quan„ta sit concupiscentiae tyrannis. Hoc autem vult „significare, si vim multam, et aestum pateris; „a laboribus, et sudoribus te libera, ne forte sub„vertaris.“ Nempe, si quis sic ureretur, ut stimulis, quibus urgetur, etiam cedat, tum huic consultius est, ut nubat. Stimulum enim carnis etiam Paulus habuit: „Datus est mihi, inquit, sti„mulus carnis meae, angelus satanae, qui me co„laphizet“ 2. Cor. 12. v. 7. nec tamen propterea uxorem duxit, qui modo non nuptis, et viduis dixit, bonum esse illis, si sic permanerent, sicut esset ipse. Quare „uri, ait S. Augustinus lib. de „Sancta Virginitate cap. 34. est occulta flamma con„cupiscentiae vastari.“

10. *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* 11. *Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Dum modo Paulus uxori discedendi a viro suo facultatem dat; profecto istud non alia ratione facit, quam qua conditione ipse Christus hoc concesserit, propter fornicationis vi-

delicet causam. Sic enim est dictum ab ipso Christo: „Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam „excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, moechatur." Matth. 5. v. 32. Et rursus capite 19. v. 9. „Quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moehatur; et qui dimissam duxerit, moechatur." Ergo, dum modo Paulus iis, qui matrimonio iuncti sunt, dicit, *Praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari;* consequens est, ut ea mulier etiam, quae a marito suo discessit propter eiusdem mariti sui fornicationem, facultatem novas ineundi nuptias cum alio viro non habeat; siquidem Apostolus ei, postquam a marito suo discessisset, nullam ei alteram conditionem relinquat, idque non suo consilio, sed Domini iussu; quam ut maneat vel innupta, vel viro suo reconcilietur. De quo argumento actum iam est ad Matthaei cap. 5. versum 32. 12. *Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* 13. *Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Illud, quod initio versus duodecimi est positum: *Nam ceteris ego dico, non Dominus*, primo intuitu posset videri, quasi eo spectaret, quod subsequitur de coniugibus fidelibus, ut infideles coniuges a se non dimittant, si

hi vellent cum ipsis convivere. Non spectat vero huc. Antecessit enim versu 10. istud: ,, Iis autem, ,, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, ,, sed Dominus. " Huic autem e contrario nunc istud posuit: *Nam ceteris ego dico, non Dominus.* Ergo isti ceteri sunt illi, qui matrimonio iuncti non sunt. Secus enim antithesis, et contrapositio non constabit inter eos, qui sunt, et qui non sunt iuncti matrimonio. Quid autem ipse dicit, et non Dominus? nempe id, quod antecessit versu octavo: ,, Dico autem non nuptis, et viduis: bo- ,, num est illis, si sic permaneant, sicut et ego. " Hoc enim, ut sic permanerent, suo illis consilio, non Deo praecipiente dixit. Itaque cum illis, qui iuncti erant matrimonio, Dei auctoritatem interposuissent, qua discedere prohiberentur, atque separare se a matrimonio; reliquis, qui devincti per matrimonium nondum essent, sicne vellent permanere, ut modo essent, vel matrimonium inire, non praeceptum Domini docet esse, sed a se tantum dici, per modum videlicet consilii. Quod nisi ita esset, oratio nullatenus inter se recte cohaereret. Si enim istud: *Ceteris ego dico, non Dominus*, non ad innuptos pertineret, sed ad coniuges, de quibus succedit oratio, et quorum alter fidelis est, qua ratione illud stabit: *Ceteris ego dico, non Dominus*, siquidem etiam hi ceteri iuncti sint matrimonio? Istis enim positis, qui iuncti sunt matrimonio, horum respectu, qui dicuntur ceteri, non possunt intelligi etiam iuncti matrimo-

nio. Sis enim diversitas poneretur dicendo ceteros, quae nulla tamen esset, siquidem utrique iuncti matrimonio essent. Haec ergo pars anterior versus duodecimi rectius cum versu antecedente undecimo copulata fuisset. Succedit autem postea ulterior explicatio huius eiusdem quaestionis, eo casu, dum fidelis habet coniugem infidelem, num etiam iste retinendus ei in coniugio esset. Docet autem omnino esse retinendum; si infidelis manere cum eo vellet.

14. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.* 15. *Quod si infidelis discedit, discedat. Non enim servituti subiectus est frater; aut soror in huiusmodi. In pace autem vocavit nos Deus.* Eo ergo casu, si infidelis coniux cum fideli consentiret habitare, negat fideli esse dimittendum coniugem infidelem, quod per fidelem coniugem sit etiam infidelis coniux sanctificatus. Id quod probat inde; quod ipsorum liberi, quos susciperent, sancti sint, qui secus immundi essent. Certe autem vir infidelis per mulierem fidelem, aut vicissim mulier infidelis per virum fidelem, ideo quod sit in coniunctione eiusdem matrimonii, non ita sanctificatur, ut infidelis iustificetur illa iustitia, quamvis fidem in Christum non habeat, quae illum commendet Deo, ut salvus fiat, cum iustificatio nonnisi per fidem in Christum obtineri possit. „Iustitia enim Dei per fidem

„ Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui cre-
„ dunt in eum. " Rom. 3. v. 22. Nam si infidelis ideo tantum, quod coniunctus sit per matrimonium fideli coniugi, quamvis non credat in Christum, sanctificaretur ea sanctitate, quae ipsum gratum faciat Deo, et qua salutem adipiscatur; consequeretur, ut etiam sine fide in Christum, salus obtineatur. Quod vero falsum est. „ Non opinor, ait S.
„ Augustinus lib. 2. de Pec. mer. et remiss. cap.
„ 26. quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet
„ in his verbis intelligat, ut ob hoc existimet et-
„ iam maritum non Christianum, quia Christiana
„ fuerit uxor eius, neque iam baptizari oportere, et
„ ad peccatorum remissionem iam pervenisse, et
„ in regnum caelorum esse intraturum, quia san-
„ ctificatus dictus est in uxore. " Ergo per sanctificationem non aliud intelligitur, quam sanctitas, et illa ratio matrimonii, quae si inter eos, qui copulantur, non constet, iniquitas sit. Nam certe etiam inter duos coniuges infideles, sanctum est matrimonium, si legitimum sit. Cum enim isto pacto coniugium inter eos constet, quod a Deo constitutum iure naturali est; non potest non esse sanctum, quod sic se habet, quemadmodum a Deo sancitum est. Atque hoc est, quod ex isto coniugio, quod legitimum sit, sanctae dicantur esse, non immundae proles, tamquam videlicet ex legitimo matrimonio sanctae, ea sanctitate, quae debet esse in matrimonio, procreatae. Quae nisi sanctitas inter coniuges fuisset, e quorum copula nata est pro-

les; haec sancta illa sanctitate, quae debet esse in copula, non fuisset. Idcirco dixit, alioquin futuros ipsorum filios immundos. Immundae enim generantur proles ex illegitimo matrimonio, hoc est, spuriae, et quibus decor honestatis propter defectum legitimi matrimonii non constat. Hinc igitur, quod proles non immundae, sed sanctae essent; voluit probare Paulus, legitimum inter eos, quorum alter fidelis, alter infidelis esset coniux, constare coniugium, atque ideo, si infidelis cum fideli coniuge consentiret habitare; fidelem debere in eodem coniugio, utpote quod Divino iure constitutum sit, persistere. Sin autem infidelis discederet, discedat, inquit. *Non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.*

Si infidelis persisteret cum fideli, ut hic illum non dimitteret, clare positum est a Paulo. Sin vero infidelis discederet, fratrem, aut sororem, fideles nimirum coniuges, non esse subiectos tum, dicit. Qua ratione vero subiecti non sunt, ne ultra habitare cum illo debeant, et possint manere separati ab eo per divortium, an vero etiam, ut illo discedente, ipsi etiam novas nuptias possint licite inire, quoniam minus clare positum est a Paulo, est quaedam disputatio inter Theologos, et Juris canonici professores. Ipsius vero coniugii alterius ineundi datam esse a Paulo potestatem coniugi fideli, si ab eo discessisset coniux infidelis ex his ipsis verbis ipsius, in huiusmodi re fratrem, aut sororem non esse servituti subiectum, perspi-

cuum

cuum fit. Maneret enim fidelis servituti infidelis subiectus, si hoc discedente, ipse tamen in subiectione erga eum manere deberet, atque liber ab eo non fieret, et cum ille exsecratus prius matrimonium novum connubium iniret, fidelis, et carere pristino coniuge cogeretur, nec auderet alteri se copulare, etiamsi labendi periculum subesset, si se continere non posset. Nam certe infidelis, quod discedat, istud ea libertate facit, ut connubium ineat aliud, cui illud aliud iam non placet, quique ferre secum non vult coniugem fidelem. Dicit vero Paulus, ut discedat, cui frater, aut soror in huiusmodi non sit subiectus. Ut discedat autem, erga fidelem coniugem sic est dictum, qui non curare debeat sui coniugis discessum, utpote cui nec ipse maneat servitute obstrictus. Si vero servituti subiectus non manet erga illum; intelligitur et ipse venire in eam libertatem, quam ille sibi sumpsit. Secus enim si infideli sumente sibi libertatem, ipse idem iure facere non posset, quod ille fecit per nefas; non sic se res haberet, ut eam fidelis curare non debeat, qui abiectus ad solitudinem, coniugem in sinu alterius videre deberet, quin idem ipse facere posset, quique ad incontinentiae periculum coniiceretur, si se, nisi nubat, aliter continere non posset. Deinde si per illud: *Discedat, non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*, Paulus tantum coniugii istius separationem ab habitatione, et thoro intellexisset, non ut fidelis desertus ab infideli coniu-

ge novas etiam ipse nuptias posset inire, sublato ipsius matrimonii etiam pristino vinculo; quid attinuisset Apostolum vel aliquod verbum hac de re Corinthiis facere? Quis enim per seipsum non videbat fidelem coniugem separari a thoro illius sui coniugis infidelis, qui illum secum non pateretur habitare, et divortium ab eo fecisset? Nam etiamsi fidelis vellet manere cum infideli coniuge; tamen id praestare non posset, quem infidelis secum esse non pateretur. Sed quid opus est longius hac de re disputare, cum eam diiudicet praxis Ecclesiae? Nam per Ecclesiasticos canones omnino coniugi fideli conceditur facultas ineundi alterius matrimonii, si citra iniuriam Creatoris non possit habitare cum coniuge infideli, vel ab hoc deseratur. Sic hoc exstat in decreto Jnnocentii III. *Si infidelis.* 28. q. 2. et Extra de divortiis capite, *Quanto*, et capite, *Gaudemus.* „Non enim debe„tur ei, ait S. Ambrosius in Lucam cap. 16. re„verentia coniugii, qui horret Auctorem coniugii, „sed potest alteri se iungere." Eamdemque sententiam tradidit S. Augustinus lib. 1. de adulterinis coniugiis cap. 13. et S. Thomas in Commentario. Neque enim potest Ecclesia errare in sua aliqua generali praxi. Erraret autem, si eiusmodi nuptias probaret, quae adversus reclamantem Scripturam nonnisi nefarie iniri possent.

Equidem Christus matrimonium in lege Evangelii ad suam primaevam integritatem revocavit, et fuit statim ab initio mundi de coniugibus dictum:

„Erunt duo in carne una.“ Gen. 2. v. 24. Quod cum Christus commemorasset, pronunciavit ab homine illud non esse separandum, et distrahendum, quod Deus coniunxit. Matth. 19. v. 6. Ergo omnino homini ius nullum a seipso est ad matrimonium distrahendum, quod iustum, et legitimum fuit, nec discedente infideli coniuge fidelis ista ratione novas inire nuptias potest. At vero, cum Christus dixit, ut homo illud non separet, quod Deus coniunxit; num Deo etiam hanc facultatem abstulit? Quod ergo Deus coniunxit, hoc idem Deus etiam separare potest. Non ergo humano iure naturali, infideli coniuge discedente, fidelis coniux inire aliud coniugium potest, sed iure Divino, Deique concessione in favorem fidelis coniugis, ne discedente infideli ipse peccandi, salutisque suae iacturam faciendi periculo exponeretur, neve ex conversione sua ad fidem, cuius esset salutem ei praestare, salutis detrimentum haberet. Nihil aliud est natura cuiuscumque rei, quam illa ratio, qua illam Deus ut esset, constituit, dum illam produxit, atque condidit. In qua naturali constitutione matrimonii tanto convenientius aliquid Deus mutavit salutis fidelium causa, atque hoc per suum Apostolum Paulum promulgavit, qui antea per Moysem etiam solius duritiei tantum causa Judaeis repudiandi suas uxores licentiam concessit. Quae vinculi coniugalis relaxatio, quoniam tum non fit per Deum, quando infidelis cum fideli coniuge consentit habitare, siquidem Apostolus fideli coniugi dimittendi

infidelem coniugem facultatem tum neget; perstat omnino inter eos coniugium: tantoque magis, quod vir infidelis per mulierem fidelem, et mulier infidelis per virum fidelem sit sanctificata. Quaenam autem haec sit sanctificatio, cum iam superius demonstratum sit, nec aliud sit, quam iustitia matrimonii, secundum naturalem eius constitutionem Divinitus factam; infidelis tamen per fidelem coniugem sanctificari dicitur, et non vicissim, quamvis duorum coniugum aequalis sit conditio in ratione ipsius matrimonii. Cuius rei haec est ratio, quod ad rectum, naturaeque convenientem usum matrimonii, per fidelem coniugem, qui cavet, ne quid inhonestum, et non sanctum committat in matrimonio, etiam infidelis inducatur, discatque ipse etiam vas suum possidere in sanctificatione, et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quae ignorant Deum. 1. Thess. 4. v. 4. Cum ergo iam sancti sint coniuges illa sanctitate, quae est in iusto, et legitimo matrimonio, dum infidelis per fidelem coniugem ad rectum etiam usum matrimonii deducitur, quoad hunc usum ulterius etiam adhuc sanctificatur eadem videlicet illa sanctitate, quae est in matrimonio per eius naturalem constitutionem factam ab eius auctore Deo.

Calvinus autem iterum hinc argumentum sibi petiit ad illud doctrinae suae caput probandum, de quo iam fuit etiam ad Romanos capite 11. versu 16. ex coniugibus fidelibus nasci proles expertes originalis peccati, tamquam quod ex coniugibus, qui-

bus illud iam remissum fuit, ulterius iam fluere non possit in liberos, qui suscipiuntur ab illis: iterumque illud ipsum ad hanc persvasionem movit, quod nunc a Paulo filii dicantur sancti esse. At vero sanctos dicit Apostolus esse filios non coniugum, quorum uterque fidelis sit, sed quorum vel pater vel mater infidelis sit. Quomodo ergo hoc eo aptum est, quod intendit probare? Num etiam negabit e patre infideli per uxorem fidelem non potuisse fluere originale peccatum in prolem, e cuius semine nata est proles? In illo verbone, quod sancti dicantur eiusmodii filii, vim argumenti ponit? At vero etiam vir infidelis per mulierem fidelem, et mulier infidelis per virum fidelem sanctificari dicitur. Ergo istis peraeque remittitur peccatum originale, etiamsi infideles semper antea fuerint, et tunc etiam sint, neque in Christum credant. Solumne ergo matrimonium tantam vim habet, ut sanctificet infidelem? Nam si ista ratione sanctificatur infidelis coniux per coniugem fidelem, qua ei peccata remittantur, iustusque fiat coram Deo; consequens est, ut uxor per maritum, maritus per uxorem etiam sine Christo obtineat salutem. Quomodo ergo illud stabit Apostoli „ Justitia autem Dei per fidem Jesu Chri-„ sti in omnes, et super omnes, qui credunt in „ eum?" Rom. 3. v. 22. Fidei sic Calvinus attribuit salutem, ut hanc ei etiam soli attribuerit. Iterum vero sanctificat sic infidelem, ut iustificatio ei tribuatur. Non est ista contradictio? *In pace autem vocavit nos Deus*, pertinet ad illud proban-

dum, fratrem, aut sororem non debere discessum infidelis sui coniugis curare, qui servituti subiecti non sint in huiusmodi: siquidem in pace nos vocaverit Deus, hoc est, ut in pace simus, pacemque per Christum adipisceremur. Quod si ergo pax cum coniuge infideli consistere non posset, isque discordiae causam sibi sumpsisset ex fidelis coniugis fide; fideli esse ius, ut suae pacis gratia separetur ab infideli coniuge.

16. *Unde enim scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies?* „Hoc refertur ad illud, verba sunt S. Chry-„sostomi homil. 19. Ne dimittat ipsum. Nam si „turbas non movet, mane, inquit. Hinc enim lu-„crum refertur. Mane, hortare, consilium dato, „et persvade. Nullus enim doctor tantum poterit, „quantum uxor.“ 17. *Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet: et sicut in omnibus Ecclesiis doceo.* Elliptica est, et imperfecta nonnihil oratio. Praecessit: „Unde scis mulier, si virum salvum facies? „aut unde scis vir, si mulierem salvam facies?“ Hoc ergo non scis. Potest tamen istud contingere. Quare de salute coniugis desperandum tibi non est. Hocque cum nemo sciat, non aliud quisque curet, nisi ut sic ambulet, quemadmodum cuique Deus divisit, donumque dedit, ipsumque ad fidem vocavit, hoc est, in eadem conditione vivendi statusque sui perseveret, in qua illum Deus posuit. Si ergo Deus ipsum posuisset sic, ut cum infideli vivat,

perstet cum eo, dum ille quoque perstat. *Et sicut in omnibus Ecclesiis doceo;* Graece est: *Et sic in omnibus Ecclesiis ordino:* Καὶ οὕτως ἐν ταῖς ἐκκλησίαις πάσαις διατάσσομαι.

18. *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat praeputium. In praeputio aliquis vocatus est? non circumcidatur.* 19. *Circumcisio nihil est, et praeputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* 20. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* 21. *Servus vocatus es? non sit tibi curae. Sed et si potes*, Graece: *sed si et potes*, ἀλλ' εἰ καὶ δύνασαι, *fieri liber, magis utere.* Ista videlicet conditione oblatae libertatis. Magis enim naturale in oratione est, ut verbum, dum sine pronomine ponitur, cum eo, quod vicinius est, concordet, quam ut ad aliud, quod remotius est, referatur. 22. *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter, qui liber vocatus est, servus est Christi.* „Si vos Filius libera-„verit, vere liberi eritis" dicebat Christus Judaeis, Joannis 8. v. 36. Ista ergo ratione servus, qui redemptionis beneficium consecutus est, libertus factus est Christi, tamquam videlicet ab ipso libertate donatus. Qui liber autem vocatus est, servus est Christi, ad cuius se voluntatem componere totum debet, eiusque mandata servare. Intelligitur itaque omnis, qui per Christi gratiam vocatus est ad fidem, esse et servus, et libertus Christi.

23. *Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum.* Pretium istud fuit sangvis Christi, quem-

admodum ad superioris capitis versum ultimum iam etiam hoc fuit. Cum ergo servi sint Christi, cuius pretio sint empti, dicit ne fieri vellent servi hominum. Atqui modo dixerat, ut qui servus vocatus esset, non esset ei curae. Et ad Ephesios cap. 6. v. 5. „Servi, inquit, obedite dominis carnalibus „cum timore, et tremore.“ Hoc est ergo sic sumendum, quemadmodum illud Christi apud Matthaeum est capite 6. v. 24. „Nemo potest duobus „dominis servire.“ Dum videlicet eiusmodi domini sunt, qui contraria mandent. Hominum ergo servi intelliguntur, qui in eo, in quo homini parent, et morem gerunt; Deo aliquid contrarium exsequuntur. Nam dum servus homini domino obsequitur ideo, quoniam Deus illum vult servire, qui ipsum in illa serviendi conditione posuit, serviendo homini servit ipsi Deo. Quamobrem in eodem illo loco, quem citavi modo epistolae ad Ephesios, iisdem servis erga dominos suos carnales pergit ulterius praecipere Paulus: „Non ad oculum servien„tes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi „facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona „voluntate servientes, sicut Domino, et non ho„minibus.“ Excluditur ergo hic ab Apostolo non iustum obsequium servorum erga dominos, sed ne illis serviant propter ipsos, sed altiore fine propter Dominum. Qua ratione, ne sibi ipsi quidem permittitur homo servire, dum suae cupiditati obsequitur, quae non est secundum Deum. Nam et sibi serviendo, dum quidpiam agit, quod ad propriam concu-

piscentiam refertur, et non ad Deum; fit servus hominis. Ipse quippe est homo.

24. *Unusquisque, in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum.* 25. *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.* „Id est, Apostolatum, „ait S. Thomas in Commentario, mihi misericor„diter concessum: consecutus, inquam, ad hoc, „ut sim fidelis in dispensatione mihi credita.“ 26. *Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.* Existimo hoc bonum esse, hoc virginitatis scilicet bonum propter instantem necessitatem, hoc est, quae necessitas e coniugio e vestigio se sistit, et illico adest, ubi illud initum est: Graece, ἐνεςῶσαν, *praesentem* ex connubio videlicet necessitatem, quamque illud secum afferat. Necessitas autem et in aliis Scripturae locis, et ab ipso Paulo etiam consvevit pro re tristi, et adversa, quaeque hominem premit, poni: „In omnibus exhibeamus nosmet„ipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in „tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis.“ 2. Cor. 6. v. 4. Et rursus cap. 12. v. 10. „Propter „quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in con„tumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in „angustiis pro Christo.“ Atque hanc vim significationis habet Graecum vocabulum, ἀνάγκη, quasi quod premat, urgeat, et cui tamen resisti non possit. Existimavit ergo bonum esse, abstinere a con-

iugio propter eam, quae ex eo instaret molestia. Itaque infra versu 28. de iis, qui connubia inirent, hoc idem aliis verbis exprimens, tribulationem carnis, inquit, habebunt huiusmodi. Est autem illa gravissima molestia in coniugio, quod coniux coniugi alligatus maneat, donec alterutrius mors interveniat, nec se iam liberare ab eo possit, etiamsi invisus sit coniugi coniux. Qua de causa etiam Apostoli Christo, „Si ita est causa hominis cum uxore, „inquiebant, non expedit nubere.“ Matth. 19. v. 10.

27. *Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem.* 28. *Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi:* Graece: οἱ τοιοῦτοι, *hi tales*, qui videlicet uxores ducunt, et nubunt. *Ego autem vobis parco.* „Hoc modo, ait „S. Augustinus in libro de sancta Virginitate cap. „16. exhortans ad virginitatem, continentiam „perpetuam, ut aliquantulum a nuptiis etiam deter„reret, modeste sane, non tamquam a re mala, et „illicita, sed tamquam ab onerosa, ac molesta. „Aliud est enim admittere carnis turpitudinem, aliud „habere carnis tribulationem. Illud est criminis fa„cere, hoc laboris est pati, quem plerumque ho„mines etiam pro officiis honestissimis non recu„sant. Quod autem se dicit eis parcere, quos ait „tribulationem carnis habituros, nihil mihi interim „sanius occurrit, quam eum noluisse aperire, et „explicare verbis eamdem ipsam carnis tribulatio-

„nem, quam praenunciavit eis, qui eligunt nu-„ptias, in suspicionibus zeli coniugalis, in pro-„creandis filiis, atque nutriendis, in timoribus, et „moeroribus orbitatis. Quotus enim quisque, cum „se connubii vinculis alligaverit, non istis trahatur, „atque agitetur affectibus? Quos neque nos exag-„gerare debemus, ne ipsis non parcamus, quibus „parcendum existimavit Apostolus."

29. *Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est. Reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint,* 30. *et qui flent, tamquam non flentes, et qui gaudent, tamquam non gaudentes, et qui emunt, tamquam non possidentes,* 31. *et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. Praeterit enim figura huius mundi.* Cum ut illis parceret, exponere tribulationes, quas subirent, qui connubia ineunt, noluisset; illa expositione omissa, hoc unum dicit, tempus breve esse. Quod eo pertinet, ut quisque intelligeret, tempus, quod alioquin breve esset, tanto magis sibi esse omne vertendum ad salutis negotium, neve illud modicum, quod concessum sibi haberet laborandi in negotio suae salutis, terrenis curis, atque voluptatibus ipse sibi impediret: idque tanto magis, quod ex hac brevitate inferat, eos etiam, qui uxores habent, sic eas habere debere, quasi non haberent. *Et qui flent*, inquit, *tamquam non flentes*. Hoc est, ne quis rerum suarum damnis moveretur, eaque dolentius ferret, quarum possessio brevis, atque fluxa sit: et ob quam rationem vicissim

nec gaudendum sit rebus istis temporalibus propter gaudii istius summam brevitatem, atque vanitatem, omnibusque sic esse utendum, quae sunt in mundo, quasi ista nec essent, nec ipsis uteretur, tamquam quae omnia praetereant. Spectat videlicet eo haec doctrina Apostoli, ut cor ab omnibus terrenis affectibus liberum servetur, illudque totum in Deum, in quo homo habet suum bonum, convertatur, et dirigatur. „Quid enim mihi est in caelo, et a te „quid volui super terram? Deus cordis mei, et „pars mea Deus in aeternum.“ Psal. 72. v. 24.

32. *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo.* 33. *Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Affectu videlicet divisus est, cuius partem cum habeat in uxore, non illo toto fertur erga Deum. In Graeco autem hoc aliter est, et post illa verba: *Ut sit sancta corpore* facto puncto; sequitur deinde: *Divisa est mulier, et virgo*, Μεμέρισαι ἡ γυνὴ, καὶ ἡ παρθένος: Hoc est diversitas est inter mulierem coniugatam, et inter virginem. Quam deinde explicat, et absque copulativa *et*, procedit sic oratio: *Innupta curat, quae Domini sunt* ἡ ἄγαμος μεριμνᾶ τὰ τοῦ κυρίου. 34. *Et mulier innupta, et virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore, et spiritu. Quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro.* 35. *Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis in-*

ticiam, sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi. 36. *Si quis autem, turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri: quod vult faciat, non peccat, si nubat.* In his verbis: *Et ita oportet fieri*, intelligitur verbum ex parte versiculi antecedente. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita existimat oportere fieri, ut videlicet nuptui collocetur, quod vult, faciat: non peccat, si nubat. 37. *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc iudicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.* 38. *Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: et qui non iungit, melius facit.* Fortasse non erit hic alienum istam brevissime animadversionem facere: Lutherum, et Calvinum, quamvis in sua reformatione nihil aliud, quam Spiritum Evangelii ante se ferrent, tamen matrimonium non tantum virginitati aequasse, sed huic etiam antetulisse, antiquam Joviniani crambem recoquentes, quem confutaverat S. Hieronymus. In quem talem Doctorem Lutherus ita etiam insolens fuit propter eas laudes, quibus celebravit virginitatem, ut dicere non erubesceret, melius ipsum etiam Hieronymum fuisse facturum, si uxorem duxisset, non virginitatem tantopere laudasset. Ipsi dicunt, melius esse virginem matrimonio iungere, Paulus autem, melius eum facere, qui non iungit. Opposite

sentire cum Apostolo, et directe adversari ipsi, ista est illa tam egregia, et tam adcurata reformatio secundum Evangelium.

39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit. Quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult, nubat, tantum in Domino.* „Quid est illud in Domino? ait S. Chrysostomus „homil. 19. cum castitate, cum honestate." Hocce modo locum hunc etiam S. Basilius lib. de vera Virgin. exponit: „Quid est, inquit, in Domino nubere? „non ut vile mancipium voluptatibus carnis ad concubitum pertrahi, sed iudicio, et commodioris „vitae ratione nuptias eligere. Ideo enim et matri„monii necessitatem Creator in natura constituit." S. Augustinus autem lib. 1. de Coniugiis adulterinis cap. 25. „Quod, inquit, duobus modis accipi „potest, aut Christiana permanens, aut Christiano „nubens." Et S. Thomas in Commentario „Nubat „tantum in Domino, id est, inquit, viro suae re„ligionis." Hanc alteram rationem intelligendi huncce locum communiter sequuntur Latini Interpretes, alteram priorem Graeci. Atque haec altera ratio videtur priori anteponenda. Nam cum per Christum matrimonium ad Sacramenti dignitatem sit evectum; in Domino autem nubere perinde sit, atque illud, in Christo baptizari, ea solummodo differentia, quod res diversa sit, in modo autem loquendi omnino sit convenientia; in Christo autem baptizari significet eo modo baptizari, quo Christus Sacramentum baptismi instituit, neque vero in matri-

monio fidelis cum infideli esse possit ratio Sacramenti, cuius infidelis, quamdiu in infidelitate perstat, incapax est, matrimoniumque non unius partis sit, sed amborum, qui illud contrahunt, mutuo consensu peragatur; consequens est, in Domino nubere, non etiam aliud esse, quam sic nubere, quemadmodum Christus nubendi rationem per Sacramentum instituit. Nam qui fidelis cum infideli matrimonium init, etsi illud iure naturali non esset invalidum; tamen cum rationem non habeat sacramenti, qua ratione Christus pro sua Ecclesia matrimonium constituit; atque adeo alienum sit a Christo, non erit etiam in Domino. Atque hoc tanto magis perspicuum fit, voluisse Paulum interdicere Corinthiis, qui in altera sua epistola ad eosdem Corinthios cap. 6. v. 14. monet, ne iugum ducerent cum infidelibus. „Quae enim participatio, „inquit, iustitiae cum iniquitate? aut quae socie„tas luci ad tenebras? quae autem conventio Chri„sti ad Belial? aut quae pars fideli cum infideli? „qui autem consensus templo Dei cum idolis?“ Quod enim magis potest esse commune iugum, quod fidelis cum infideli trahit, quam si cum illo per matrimonium una etiam efficiatur caro? Quare S. Augustinus in eodem ibi loco affert S. Cyprianum, huncque docuisse, iungere cum infidelibus vinculum matrimonii, idem esse atque gentilibus prostituere membra Christi. In libro autem suo de lapsis istud S. Cyprianus praestitit. Per ius autem Ecclesiasticum simpliciter etiam eiusmodi matrimo-

nia posita sunt invalida, dum cultus disparitas inter ea continetur impedimenta, quae fidelem, matrimonium contrahere conantem cum infideli, ita ligant, ut ipsius contractus vim legitimi matrimonii nullam habeat. 40. *Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam. Puto*, Graece est δοκέω, quod vero verbum Graecis non semper opinandi, verum etiam certo aliquid asseverandi significationem habet. Quod perspici potest ex nomine δόγμα quod inde derivatum est, quodque statuti alicuius, et decreti significationem habet, de cuius veritate, dum de fide est, nec licet dubitare. Neque enim dubitavit Paulus Dei Spiritum se habere, quo illa, quae doceret, proloqueretur. „An „experimentum, inquit, quaeritis eius, qui in me „loquitur Christus?" 2. Cor. 13. v. 3.

CAPVT VIII.

Idolothyta, quamvis edi possent, quod Dei creatura ideo, quod idolo immolata sit, mala facta non sit; non esse tamen istud faciendum, si vel repugnaret propria conscientia; vel offendiculum praeberet cuipiam alteri.

1. *DE iis autem, quae idolis sacrificantur, scimus, quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero aedificat.* „Necesse est primo „dicere, ait S. Chrysostomus homil. 20. quid si-

„bi

„bi velit hic locus. Sic namque facile intelligetur, „quod dicturi sumus. Qui enim aliquem accusari vi„det; nisi prius peccati naturam noscat; quae „dicentur, non intelliget. Qua ergo de re tunc „Corinthios accusabat? Crimen erat magnum, ac „multorum causa malorum. Quale illud? Multi ex „illis, cum didicissent, non quae intrant, inqui„nare hominem, sed quae exeunt, et idola, nem„pe ligna, lapides, et daemones nec nocere, nec „iuvare posse; sine modo ullo hac perfecta rei „cognitione utebantur, et in suum, et in aliorum „detrimentum. Nam ad idola ingrediebantur, et „mensarum ibi participes erant, hincque magnam „inferebant perniciem. Nam qui adhuc idola ti„timebant, nec contemnenda illa esse didicerant; „coenarum huiusmodi participes erant, cum per„perfectiores viderent idipsum facientes, et hinc „maxime laedebantur. Neque enim eadem, qua „illi mente, apposita, sed quasi idolis immolata „habebant, et ea res via erat ad idololatriam. Et „illi quoque, qui perfectiores erant, non levi „damno afficiebantur, dum mensis daemonicis frue„rentur. Et hoc crimen erat. Beatus autem vir, „ut illud emendaret; non statim vehementi uti„tur oratione. Nam ex insipientia magis, quam „malitia id erat factum. Quare initio adhortatione „magis opus erat, quam vehementi increpatione, „et indignatione. Animadverte igitur eius pruden„tiam, quomodo statim admonitionem incipiat: „*De iis autem, quae idolis immolantur, scimus*

„*quia omnes scientiam habemus.* Infirmioribus re„lictis, quod semper facit, valentiores primum „adgreditur. Hoc enim etiam in epistola ad Ro„manos fecit, dicens: *Tu vero quid iudicas fra„trem tuum?* cap. 14. v. 10. Hic enim est, qui „facilius possit increpationem accipere. Quod hic „quoque facit, et primo fastum eorum evacuat, „dum quod illi praecipuum putabant, et perfectam „scientiam, hoc commune esse pronunciavit. *Sci„mus enim*, inquit, *quia omnes scientiam habe„mus.* Nam si illos altum sapere sinens, primo „ostendisset rem noxiam, non tantum utilitatis, „quantum damni attulisset. Ambitiosus quippe „animus, cum aliqua re se ornari putat, etiamsi „aliis sit noxia; eam adcuratius retinet ob vanae „gloriae tyrannidem. Ideo Paulus primo rem, ut „in se est, examinat, ut circa externam sapien„tiam superius fecit, illam omnino deiicens. Sed „illic quidem id iure faciebat. Totum enim repre„hensione dignum erat, et facilis res erat. Qua„propter id non modo supervacaneum, sed etiam „praedicationi contrarium esse, dixit. Hic autem „non licebat ita facere. Nam id, de quo agebatur, „scientia erat, et scientia perfecta. Neque ergo „eam deiicere tutum erat, nec aliter licebat fa„stum, ex illa conceptum, deiicere. Quid ergo „facit? Primo illam ostendens esse communem, „illorum fastum deprimit. Qui enim magnum quid„piam, et pulchrum habent, si soli habeant, ma„gis efferuntur. Si vero cum aliis id possidere

„deprehendantur, non pari tunc modo affecti sunt. „Primum igitur hoc commune ostendit, quoniam „ipsi putabant id sibi tantum competere. Deinde „postquam illud commune fecit, non se solum par- „ticipem dicit, sic enim illos magis extulisset, ut „si unus tantum habeat, se extollit, ita si unum „tantum, vel alterum ex praecipuis consortem ha- „beat, non minoris rem facit, ideo non se solum „ponit, sed omnes. Non enim dixit, Ego scien- „tiam habeo, sed scimus, quia scientiam habe- „mus omnes. Hoc igitur priore dicto eorum fastum „deiecit, secundo autem vehementius. Quodnam „autem illud est? quod ostendat rem non perfe- „ctam, imo admodum imperfectam esse, neque „tantum imperfectam, sed et noxiam, nisi sit aliud „adiunctum. Cum dixisset enim, *Scientiam ha- „bemus*, subiunxit, *Scientia inflat, charitas au- „tem aedificat.*" „Hic ostendit, verba sunt S. „Thomae in Commentario, quomodo scientiam „sine charitate inutiliter habeant, quasi dicat: Ha- „betis quidem scientiam, sed non valet vobis, „quia inde superbitis contra ignaros. Scientia au- „tem si sola sit, inflat." Generaliter est senten- tia posita: *Scientia inflat.* Hoc enim, in quo vi- demur excellere, et propter quod nos mirantur alii; facillime in nobis producit superbiam; nisi scientia temperetur per Christianam illam modesti- am, qua propter id, quod habemus, non in no- bismetipsis, sed in Deo gloriamur, secundum il- lud Pauli: „Qui gloriatur, in Domino glorietur."

1. Cor. 1. v. 31. Hoc vero, quod generaliter de scientia est dictum, applicitum ad hanc scientiam, quam Corinthiorum aliqui de idolothytis habuerunt, declarabat in hac scientia non tantum non esse gloriandum, sed esse illis ipsis, qui eam haberent, damnosam; ut non modo sapientiae aliqua laus non esset in ea ponenda, sed stultum esse in ea gloriari, quod solum si sit, ne illis ipsis quidem, qui illud habent, sit bonum. *Charitas autem aedificat.* Quod rursus generaliter positum, eo tamen spectabat, ut illa scientia, quam de idolothytis haberent, ad alios aedificandos uterentur, sine qua illa scientia non tantum nihil illis ipsis prodesset, verum etiam obesset. Cumque Corinthiis et per naturalem prudentiam et ex Christiana professione notum esset, illud esse unicuique sequendum, quod non tantum sibi, verum etiam aliis utilitati, atque saluti esset; consequens erat, ut hoc dicto Pauli percuterentur, qui scientiam tantum haberent, qua seipsos inflarent, charitate autem carerent, qua alios aedificarent.

2. *Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quomodo oporteat eum scire.* Si quis autem se existimat scire aliquid, et in illa scientia non simul coniunctam habet charitatem, quae aedificet; nondum cognoscit, quemadmodum ipsum oporteat illud scrire, quod scit. Nam adversus scientiam, disiunctam a charitate, verba facit, quod superioris, et subsequentis versiculi contextus declarat. 3. *Si quis autem diligit Deum,*

hic cognitus est ab eo. Istud: *Hic cognitus est a Deo*, sic positum est, tamquam quo quisque contendere, quodque pro fine suae scientiae, omniumque suarum actionum habere debeat. Si quis vero diligit Deum, hunc cognosci ab eo. Ergo nullius momenti, et inanem esse omnem scientiam cuiuscumque rei, si seiuncta sit a charitate Dei, quem in quantacumque scientia sine charitate non cognoscat Deus. Ut autem iam alias saepe exempla fuerunt, ubi noscere positum est pro amare, et bene affectum esse, cuiusmodi illud est Psalmo 1. v. 6. „Novit Dominus viam iustorum" et rursus Psalmo 36. v. 18. „Novit Dominus dies immaculatorum" et rursus illud, quod Deus ad Moysem dixit „Novi te ex nomine" Exod. 33. v. 17. et in contrarium „Quia numquam novi vos, „discedite a me, qui operamini iniquitatem" Matth. 7. v. 23. ita hic quoque istud eadem ratione est. Est metaphora inde petita, quod ad eas res, quas diligimus, libenter oculos, et cogitationem adhibeamus: via autem oculorum notitiam rerum hauriamus; sicut e contrario ab illis rebus oculos, atque mentem avertimus, quae nobis odiosae sunt, nec scire quidquam de illis volumus. Dei autem dilectionem nunc posuit, cum superius in charitate, quae aedificat, charitas intelligatur erga proximum. Utraque enim haec charitas mutuo se se complectitur, quemadmodum demonstratum est ad Romanos cap. 13. versu 9. atque e dilectione Dei necessario etiam sequatur amor proximi, siquidem nec amor

Dei esse possit, nisi una diligatur proximus. „Si „quis enim dixerit, quoniam diligit Deum, et „fratrem suum oderit, mendax est. 1. Joan. 4. v. 20.

4. *De escis autem, quae idolis immolantur, scimus, quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus.* Propositionem, quam primo versiculo inchoaverat, interruperat autem, de scientia ista interponens, quae modo erant, nunc rursus resumit, eamque absolute profert. Cum autem idolum nihil sit, consequebatur, ne carnes quidem iis immolatas aliquid vitii potuisse accipere, sed in natura sua ita mansisse, quemadmodum antea fuerunt, siquidem nec idolum, nec opinio illorum, qui illas idolo immolaverunt, vitiare potuerit, et mutare creaturam Dei. 5. *Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in caelo, sive in terra, siquidem sunt dii multi, et domini multi,* 6. *nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Gentiles infinitam turbam deorum coluerunt, in variasque classes divisos eos habuerunt. Inter quos alii etiam dicebantur caelestes, alii terrestres: deinde colebant ea etiam, quae in caelo sunt posita, solem, lunam, aliaque sidera; in terris animalia, arbores, plantas praeter sua simulacra. Ideo nunc dixit, deos tam in caelo, quam in terra, et dominos dici multos. Nobis autem esse unum Deum Patrem, ex quo omnia, et nos in illum, ex quo omnia vi-

delicet, tamquam ex suo principio per creationem sint, et in quem etiam omnia, veluti ad suum, ad quem facta sunt, finem referantur, et tendant. „Universa enim propter semetipsum operatus est „Dominus:“ Proverb. 16. v. 4. et unum Dominum Jesum Christum, per quem omnia, „Omnia „enim per ipsum facta sunt“ Joan. 1. v. 3. et nos per ipsum, videlicet etiam facti sumus. „Neque „nomina, ait S. Chrysostomus homil. 20. tam-„quam sorte distributa, divisit, Filio quidem „Dominus, Patri vero, Deus, attribuens. Nam „ea quoque solet saepe mutare Scriptura, ut cum „dicit, *Dixit Dominus Domino meo*, Psal. 109. „v. 1. et rursus, *Propterea unxit te Deus, Deus „tuus*, Psal. 44. v. 8. et, *Ex quibus Christus se-„cundum carnem, qui est super omnia Deus.* „Rom. 9. v. 5. Et saepe videris haec mutata no-„mina. Si autem essent quasi sorte assignata uni-„cuique naturae, neque Deus esset Filius, et Deus „ut Pater, manens Filius; cum dixit, sed no-„bis unus Deus, superflue addidisset illud, „Pater, volens significare ingenitum. Satis „enim fuisset illud, Deus, si eius solius exhibe-„ret cognitionem, ad id significandum. Non hoc „autem solum, sed aliud quoque dici potest. Si „enim dixeris, quia Deus unus dictus est; Deus, „non convenit Filio; observa, quod hoc etiam de „Filio dici possit. Etenim Filius unus Domi-„nus dictus est: neque tamen ideo illud, Domi-„nus, ipsi soli competere dicimus. Quapropter

„quam vim habet illud, unus, erga Filium, eam„dem habet erga Patrem: ac quemadmodum ille „non impedit, quominus Pater Dominus sit, eo „modo, quo Filius est Dominus, eo quod Filius „unus Dominus dicatur; ita neque Filium impedit, „quominus sit Deus eo modo, quo Pater est Deus, „quod Pater dicatur unus Deus.“ Non meminit autem Paulus etiam Spiritus sancti: quia distinctam videlicet Personarum Divinarum recensionem non fecit, quemadmodum nec Filium nominavit, cum Jesum Christum posuisset. Fuit illius videlicet propositum, summam eius, quod crederemus, brevissime complecti, unum Deum, et unum Dominum Jesum Christum. Eo ipso autem, quod ubi Deum dixisset, addiderit etiam Patrem, Personarum in Deo distinctionem indicavit. Neque enim esset Pater, si non haberet Filium. Sicut ergo nec nomen Filii distincte posuit, sed sic tamen ut intelligeretur; ita quamvis Spiritus sanctus non sit nominatus; tamen quia Pater, Filius, et Spiritus sanctus unus est Deus, unum Deum dicendo comprehendebatur etiam Spiritus sanctus. „Propter insinuationem Trinitatis, ait S. Augusti„nus lib. 1. de Trinit. cap. 9. Personis etiam sin„gulis nominatis dicuntur quaedam separatim, non „tamen aliis separatis intelliguntur propter eiusdem „Trinitatis unitatem, unamque substantiam, atque „Deitatem Patris, et Filii, et Spiritus sancti.“ Haec ratio loquendi de Divinis Personis in Scriptura sacra demonstrata est iam etiam ad Joannis cap.

17. versum 3. et saepius in eodem Evangelio, cum se identidem istius rei exempla obtulissent.

7. *Sed non in omnibus est scientia.* Cuius rei scientia? istius, de qua modo sermo antessit, nihil esse idola, nec escas per idola contaminari, quibus oblatae sunt. Quod enim nihil est, nec agere etiam quidquam potest. „Adhuc tremunt, ait „S. Chrysostomus homil. 20. et metuunt idola." *Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur.* Cum dicit, *cum conscientia usque nunc idoli*, intelligitur eandem persvasionem istos adhuc, de quibus loquitur, habuisse de idolothytis, quam antea habuerunt. Qualem autem antea persvasionem habuerunt? illam videlicet, ea, quae idolis essent immolata, fieri iisdem idolis sacra: deinde comederunt immolatas idolo carnes ex veneratione erga eadem idola, quibus erant oblata. Ista igitur persvasio in eorum mentibus etiam nunc inhaerebat: et dum cum eiusmodi conscientia idolothyta comederent, quasi ista manducatione idolis cultus exhiberetur, peccato polluebantur.

8. *Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim, si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deficiemus.* Esca nos non commendat Deo. Adversus eos, qui scientiam de idolothytis haberent, sed ea abuterentur ad infirmiores inducendos ad eadem idolothyta comedenda contra propriam conscientiam,

haec pertinet oratio. Ne ergo aliquid ponerent in hac scientia, atque ideo comederent, dum haec res offendiculo esse posset alteri, docet per escam nos non commendari Deo. Res enim indifferens est esca, et per seipsam nullam vim habet nos Deo commendandi. *Neque enim*, inquit, *si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deficiemus*. Est hoc instar declarationis positum istius: *Esca nos non commendat Deo*. Ergo hoc, non abundaturos, non defecturos, est etiam sic positum, ut habeat respectum ad nostram commendationem erga Deum: et in quo respectu significetur, si manducaverimus, non plus commendationis nos habituros erga Deum, et iterum, non minus, si abstinuerimus. Generatim autem est esca considerata, et qua ratione manducare, vel abstinere res indifferens sit, nec ipsa esca, quemadmodum iam dixi, per se ipsam virtutem aliquam habeat nos Deo commendandi, eique nos gratos faciendi. Nam si ad manducationem alia adiuncta accederent, quod idem in abstinentia usuvenire potest, non manebit res indifferens. Hac enim de causa Apostolus cavet illico, ne ista licentia libertatis comedendi, vel abstinendi cuipiam praeberetur offendiculum: et docet eos, qui cum offendiculo alterius idolothytum manducarent, etiamsi scientiam de eo ipsi haberent, quod licita sit illius manducatio, tamen non tantum in fratrem, quem ad salutis discrimen inducerent, verum etiam in ipsum Christum peccare. Qua ratione ipsa etiam

abstinentia a cibo, verbi gratia, si aliquis vel penitus abstineret, vel saltem ab eo, qui ei in adversa valetudine salutaris fuisset, peccati causa esse potest. „ Viden, ait S. Chrysostomus homil. „ 20. quomodo rursus eorum fastum deprimat? Nam „ cum dixisset, non modo illos, sed etiam omnes „ scientiam habere, et neminem scire, quemadmo„ dum scire oportet, et quod scientia inflet, deinde „ cum illos esset consolatus, ac dixisset, non in „ omnibus esse scientiam, et hos pollui propter im„ becillitatem, ne dicerent illi: Et quid ad nos, si „ non est in omnibus scientia? cur enim ille talis „ non habet scientiam? cur est infirmus? Ne hoc „ obiicerent, non statim ad claram demonstratio„ nem venit, quod ne laedatur ille, abstinere opor„ teat; sed primum quadam velitatione adversus „ illum usus, ostendit id, quod est illo maius. „ Quodnam est hoc? Quod etiamsi nemo laedere„ tur, neque proximi perversio metuenda esset; „ ne sic quidem hoc agendum esset. Vanus quip„ pe labor esset. Nam qui audivit alium laedi, „ sed sibi lucrum esse, non multum absti„ net, sed tunc magis, cum didicerit, nihil se „ ab ea re iuvari. Ideo hoc primum ponit, dicens, „ *Esca autem nos non commendat Deo.* Viden, „ quantum id vilipendat, quod videbatur a perfecta „ scientia effici? Neque enim si manducaverimus, „ abundamus, id est, apud Deum probati sumus, „ ut quid bonum, vel malum operati; neque si „ non manducaverimus, deficiemus, id est, minus

„ quid habemus. Nam illud, quod neque si fiat, „ prodest; neque si non fiat, nocet; superfluum „ certe fuerit. Progressus autem totum rei damnum „ aperit. " Hinc autem, quod Apostolus dicat, *Esca nos non commendat Deo*, iterum occasionem arripiunt impetendi Catholicae Ecclesiae ieiunandi, et certis diebus a carnibus abstinendi disciplinam ii, qui Augustanae, et Helveticae Confessioni addicti sunt. Quam inconsulto autem? Nam cum Apostolus dicat, *Esca nos non commendat Deo*, et non Catholici in esca qui abstinent, sed ipsi in illa, qua se implent, religionis suae perfectionem ponant, feriuntur per Apostolum. Quod enim non edo, mihi esca non est. *Esca nos non commendat Deo.* Cur ergo tanto impetu ferebantur ad convellendam apud se abstinentiae, et ieiunii disciplinam, dum se reformavissent, ut nisi se per escam Deo commendarent, puritatem religionis, quam praepostere quaerebant, se se assecuturos non putarent? *Esca nos non commendat Deo:* at vero discommendat Deo. Non primos parentes in paradiso esca illa discommendavit Deo? non illos perdidit, et nos una? Nec nos ergo esca commendat Deo, sed abstinentia, et ieiunium. Et nisi ipse Christus per ieiunium se commendare, et gratum facere Patri credidisset, cur quadraginta dies ieiunasset? In locum ieiuniorum, atque abstinentiae escam sibi induxerunt per reformationem ad suam religionem. Hanc ergo esca non commendat Deo.

9. *Videte, ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* 10. *Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolis recumbentem; nonne conscientia eius, cum sit infirma, aedificabitur ad manducandum idolothyta?* 11. *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Idolia erant cauponaria loca penes templa, et fana, ubi a sacrificulis carnes assae, aut coctae ex victimis, itemque vinum venum exponebantur. 12. *Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Fideles sunt membra Christi. Quod ergo in fideles committitur, hoc recidit in ipsum etiam Christum. 13. *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum; non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.*

CAPVT IX.

Corinthios, ne sua de idolothytis scientia uterentur cum eorum, qui firmi nondum sunt, periculo, suo urget exemplo, qui abstinuerit iis, quae exigere iure potuisset ab iis, quibus praedicavit Evangelium. Eorum, qui in stadio currunt, et tota intentione ad metam feruntur, exemplo, docet, omnia, quae agimus ad salutis scopum esse dirigenda.

---

1. *NON sum liber? non sum Apostolus? nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? nonne opus meum vos estis in Domino?* „Quia cum di-

„xisset, verba sunt S. Chrysostomi homil. 21. si „esca scandalizat fratrem meum, non comedam „carnes in seculum, quod non fecerat quidem, sed „se facturum promiserat, si opus esset, ne quis „diceret: Frustra gloriaris, et verbis philosopha„ris, oreque promittis, quod et mihi, et cuivis „facile est: nam si ex animo haec dicis, reipsa „ostende, quod despexeris, ut ne fratri offendicu„lo esses; ideo cogitur deinceps in horum demon„strationem descendere, ostendereque, quomodo „a rebus concessis abstinuerit, nulla lege ipsum co„gente. Neque mirum hoc est, etiamsi sit miran„dum, quod a concessis abstinuerit, non modo ut „non offendiculo esset; sed etiam, quod cum mul„to labore, et periculo hoc faceret. Quid enim di„cere oportet, inquit, de iis, quae immolata sunt „idolis? Nam cum Christus statuerit, ut ii, qui „Evangelium praedicant, ex doctrinae ministerio „vivant, hoc ego non feci. Sed statui, si opus es„set, etiam fame vitam finire, et mortem subire „acerbissimam, ne quid acciperem ab iis, qui in„stituebantur. Non quod id illis offendiculo foret, „si acciperet, sed quia aedificandi erant, quod lon„ge maius erat. Huiusque rei testes ipsos in medium „adducit, apud quos operans, et esuriens vixit, et „apud alios nutritus, in angustia vixit, ut ne illis „offendiculo foret, etiamsi frustra offensi fuissent, „ipse namque legem implebat: attamen ex abun„danti ipsis parcebat. Quod si supra legem hoc fa„ciebat ille, ut ne offendiculo esset, et ab iis, quae

„permissa sibi erant, abstinuit ad aliorum aedifica-„tionem, quid merentur isti, qui ab idolothytis „non abstinent, idque cum multi ex ea re pereunt?"

2. *Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum. Nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino.* „Ex concessis loquitur, ait S. „Chrysostomus homil. 21. nam orbis Apostolus „erat. Attamen hoc non dico, inquit, neque pu-„gno, et contendo, sed quod vestrum est, pono. „*Nam signaculum Apostolatus mei vos estis*, id „est, demonstratio. Et siquis scire velit, unde sim „Apostolus, vos profero. Omnia enim, quae sunt „Apostoli, in vobis ostendi, et nihil praetermisi, „ut in secunda quoque epistola dicit. *Tametsi ni-„hil sum*, inquiens, *signa tamen Apostolatus mei „facta sunt super vos in omni patientia, et signis, „et prodigiis, et virtutibus.*" 2. Cor. 12. v. 12. Signaculum igitur sui apostolatus vocat, in quibus certa indicia illius ediderit, et quasi quaedam vestigia eius reliquerit. 3. *Mea defensio apud eos, qui me interrogant, haec est.* Hoc est, hac ratione soleo me defendere, meque Apostolum demonstrare iis, qui adversum me disputant, et Apostolatum meum in dubium vocant, vos proferendo, cuius, erga illos evidentia exhibuerit documenta. Alii igitur, quibus dicit se non esse apostolum, obtrectatores ipsius intelliguntur, qui eius auctoritatem deprimere conabantur, ideo quod non fuisset ex illo Apostolorum numero, quos Dominus ipse, cum esset adhuc in mundo, elegerat. Adversus quos

suam existimationem in epistola etiam ad Galatas vindicare coactus fuit.

4. *Numquid non habemus potestatem manducandi, et bibendi?* 5. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et ceteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas?* 6. *Aut ego solus, et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?* Spectat istud eo, quo iure in suo apostolatu uti potuisset, perinde ut alii apostoli, et quo nihilominus abstinuerit. 7. *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, et de fructu eius non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* 8. *Numquid secundum hominem haec dico? An et lex haec non dicit?* „Numquid secundum hominem haec dico, id est, ait „S. Chrysostomus homil. 21. non humanis tantum „exemplis nitor.“ 9. *Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo?* 10. *An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi.* „Boves ergo „non curat, quaeso te, Deus? verba sunt S. Chrysostomi homil. 21. Curat utique, sed non ita, ut „de illa re legem tulerit. Quapropter nisi magnum „quid subindicaret, Judaeos per bruta exercens ad „benignitatem, atque etiam illos per haec de doctoribus alloquens; non tale suscepisset studium, „ut et legem scriberet de bobus camo non ligandis. „Inde autem aliud ostendit, multum esse doctorum

„laborem,

"laborem, et esse debere, aliudque rursum, quod-
"nam illud? quod quaecumque in veteri lege de
"brutorum cura dicuntur, ad hominum doctrinam
"praecipue conferant, ut et alia omnia, verbi gra-
"tia, quae de variis vestibus, quae de vineis, de
"seminibus, de terra, quod non diversa facienda
"sit, de lepra, deque aliis, ut ita dicam, omni-
"bus. Cum enim illi crassiores essent, hinc disse-
"rebat cum illis, paulatim ipsos erigens. Et vide,
"quomodo hoc non ultra probet, utpote quod pla-
"num, et ex se manifestum sit. Cum dixisset enim,
"numquid de bobus cura est Deo? subiunxit: *An*
"*propter nos utique hoc dicit?* Nec sine causa il-
"lud, *utique*, ponit: sed ne liceret auditori vel
"tantillum contradicere. Atque in metaphora per-
"stat dicens, et pronuncians, *Nam propter nos*
"*scripta sunt, quia in spe debet, qui arat, ara-*
"*re.* Id est, doctor debet laborum mercedem ha-
"bere, et qui triturat, in spe fructus percipiendi
"esse. Et vide prudentiam. A semine enim ad aream
"rem traduxit, hic rursum multos doctorum sudo-
"res ostendens, quoniam ipsi et arant, et aream
"terunt. Et in arando quidem, quia nullus perci-
"piendus fructus erat, sed labor tantum aderat,
"spem posuit. In terenda vero area iam usumfru-
"ctum concessit dicens, et qui triturat, eius spei
"particeps est. Deinde, ne quis dicat, Haeccine
"est tantorum merces laborum? adiecit, in spe,
"scilicet futura. Nihil ergo aliud clamat os huius
"animalis camo non ligatum, quam quod oporteat

„doctores laborantes mercede frui.“ Testimonium de ore bovis triturantis non ligando ex Deuteronomii cap. 25. versu 4. est desumptum.

11. *Si nos vobis spiritualia seminavinus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus.* 12. *Si alii potestatis vestrae participes sunt, quare non potius nos?* „Si alii potestatis vestrae participes „sunt, id est, ait S. Chrysostomus homil. 21. si „imperant vobis, si potestatem exercent, si ut fa„mulis utuntur, non modo accipientes, sed cum „multa accuratione, et auctoritate. Ideo addidit: „*Non potius nos.* Quod non dixisset, si de Apo„stolis sermo esset: sed palam est, illos quosdam „subindicare perniciosos, qui ipsos deciperent.“ Corinthiorum ergo potestas intelligitur, quae in Corinthios exerceretur, non quam hi exercerent in alios: potestasque utendi eorum rebus, et accipiendi intelligitur. Quod deinde oratio etiam subsequens confirmat. *Sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.* 13. *Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant?* Graece: *Nescitis, quoniam sacra operantes de templo edunt*, οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ τα ἱερὰ ἐργαζόμενοι ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν, *et qui altari deserviunt, cum altari participiant.* Ea enim, quae Deo offerebantur, ut primitiae, deinde victimarum partes ex sacrificiis, erant in veteri lege sacerdotum pro ministerio. 14. *Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evan-*

gelium annunciant, de Evangelio vivere. 15. *Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi haec, ut ita fiant in me. Bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* Cum, ut supra ad versum 12. per S. Chrysostomum demonstratum est, quidam pseudoapostoli mercedis, lucrique sui gratia Evangelii praedicandi munus exercerent, ipse vero abstinuisse se semper ab accipiendo diceret; docet, ne nunc quidem hoc a se esse ideo scriptum, quasi aliquid deinceps desideraret, malleque se mori, quam Evangelii gratuito annunciati gloriam amittere.

16. *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria. Necessitas enim mihi incumbit. Vae enim mihi est, si non evangelizavero.* „Quid, quaeso, di„cis, ait S. Chrysostomus homil. 22. si evangeli„zas, non est tibi gloriatio, sed si sine sumptu „ponas Evangelium? Hoc ergo maius est illo? Ne„quaquam, sed aliunde aliquid amplius habet: „quoniam aliud quidem praeceptum est; aliud au„tem a mea voluntate praeclare gestum est.“ Quasi ergo dixisset; quod Evangelium praedicem, praecepto obstringor; quod vero hoc sine exactione mercedis faciam, istud sponte fit a me, ac libere. Illud esse necessitatis, hoc propriae voluntatis. Itaque gloriam intelligit actionis, quam exerceret sponte, et ad quam nullo adactus esset praecepto: tamquam si servus ultra id aliquid praestet suo domino, quam ab eo exigeretur vi praecepti, quod sibi haberet impositum. 17. *Si enim volens hoc ago,*

mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est. 18. *Quae est ergo merces mea? ut Evangelium praedicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.* Dixerat ante, necessitatem sibi incumbere evangelizandi, vaeque sibi esse, si officium evangelizationis praetermitteret. Quod vero nunc posuit. *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo*, istius, quod antecessit, non est directa ratio, sed illius, sibi hoc, quod ex necessitate incumbit facere, etiam libenter esse faciendum. Secus enim mercedem non haberet, et si invitus faceret, dispensatio ipsi tantummodo esset concredita. Illam autem propositionem, cuius modo probationem attulit, aperte, atque explicite Paulus non posuit, ut amat quaedam transilire. Quae ratio est, cur multa in eo obscura sint, et quae nisi pervidentur; saepe res subsequens cum antecedente non videtur apta esse inter se, et presse cohaerere. Ut mercedem ergo habeat, apud Deum videlicet, dicit se se debere, volentem hoc agere, videlicet evangelizare. Illud autem volentes facimus, quod per propriam voluntatem nostram fit, ita ut illud faceremus, etiamsi lex nulla existeret. Intelligitur ergo aliquid agere volentem esse hoc, ut amore, et voluntate erga Deum ducti id, quod nobis ab eo praeceptum est, exequamur, non metu poenae, si mandatum ipsius transgrederemur. Qua ratione qui facit, quod praeceptum est, tamen legem non implevit. „Qui enim timendo, ait „S. Augustinus Enarratione 2. in Psal. 32. non fa-

„cit male, mallet facere, si liceret. Itaque, et si „facultas non datur, voluntas rea tenetur." Neque ergo nisi volens exsequatur, quod sibi habet mandatum, mercedem habebit. Invitus autem si evangelizasset, dispensationem sibi dicit creditam esse. „Si autem invitus, id est, ait S. Thomas in Commentario, solo praecepto coactus evangelizo, dispensatio mihi credita est, sicut servo, ut scilicet „dispensem ad aliorum utilitatem, non meam." Sensus igitur est, more servili tantum tractaturum negotium, si illud invitus ageret, et unde fructum mercedis percepturus non esset. Ex quo iam deinde concludit: *Quae est ergo merces mea? ut Evangelium praedicans sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.* Quod est quasi sic dictum: Ego mercedem volo habere. Ergo volens debeo evangelizare. Si autem volens, non est mihi quaerenda temporalis merces ex evangelizatione. Tum enim non voluntate, et amore erga Deum ductus munus meum facerem, sed lucri cupiditate, et non Deo servirem mea voluntate, sed propriae cupiditati. Ergo sine sumptu ponendum est Evangelium, hoc est, sic ponendum est Evangelium, ut sumptus ex eo non quaeram, atque proventus, nec potestate mea abutar in Evangelio. Ergone alios damnavit Apostolos, qui unde viverent sibi sumpserunt ex Evangelio? Quomodo damnasset, cum supra versu 14. dixerit, Dominum sic illis ordinavisse, ut de Evangelio viverent? Sed iidem Apostoli, certe quidem temporale etiam com-

pendium sibi ex Evangelio non quaesiverunt, et quod gratis acceperunt, aliter quam gratis, non dederunt: sed est adversus pseudoapostolos haec tota illius disputatio, qui omnino sua, non quae Jesu Christi erant, quaesiverant ex Evangelio, et quorum ne similis putaretur, quem alioquin eo nomine conarentur deprimere, quod non esset ex duodenario numero Apostolorum, quos ipse elegerat, cum in mundo adhuc esset Christus, minusque vim haberet eius auctoritas in praedicando, atque ita offendiculum praeberet Evangelio Christi; illa etiam licita potestate usus non est vivendi ex Evangelio; ne si fortasse ei offendiculum praeberetur, dum illud non caveret; illud non volens, sed sua utilitate ductus praedicaret. Probat nimirum suo exemplo, abstinendum esse ab eo, etiamsi alias liberum, atque licitum esset, quod offendiculo potest cuipiam esse, adversus eos, qui ista ratione idolothyta ederent.

19. *Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.* Omnes, quorum se servum fecerit, subsequentibus deinde versibus exponit. Igitur hi iidem etiam omnes intelliguntur, ex quibus liber fuerit, quibus scilicet non debuisset esse subiectus, et quibus tamen seipsum subiecerit, omnium indoli se se adcommodando, et ad imbecillitatem eorum demittendo. 20. *Et factus sum Judaeis, tamquam Judaeus, ut Judaeos lucrarer;* 21. *iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos, qui*

sub lege erant, lucrifacerem; iis, qui sine lege erant, tamquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. 22. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* 23. *Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps eius efficiar.* Omnia autem facio, quae conducunt ad profectum Evangelii. De his enim omnibus modo sermonem fecerat, et athletarum deinde exemplo illustrat, de quibus modo succedet oratio, utEvangelii, hoc est, mercedis, quae ex Evangelio exspectatur, particeps fieret.

24. *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.* Circos, vel areas, in quibus cursu certabatur, stadium appellat, quod plerumque spatium, quod erat definitum ad currendum, unius stadii esset, hoc est, centum viginti quinque passuum. Tot enim passus stadium continebat. Bravium Graeca vox est, quae praemium certaminis significat. „Hoc autem dicit, verba sunt „S. Chrysostomi homil. 23. non quasi hic unus ex „multis salutem sit consecuturus, absit: sed quod „nos debeamus adhibere studium multum. Sicut „enim ibi multis in stadium descendentibus non co„ronantur multi, sed unus id assequitur, nec suf„ficit in certamen descendere, neque inungi, et „concertare: ita et hic quoque non satis est credi„disse, et utcumque decertasse; sed nisi ita curra-

„mus, ut usque in finem inculpatos nos praebea-„mus, et bravio propinqui simus, nihil asseque-„mur." 25. *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Agon Graeca vox est, quae certamen significat. Pugiles autem, dum se ad certamen comparabant; ab omnibus, quae enervare vires possent, se se continebant. „Neque enim, ait S. Chrysostomus homil. 23. „certantibus certaminis tempore inebriari licet, ne-„que scortari, ne vires solvant, neque alii rei cui-„piam operam dare; sed ab omnibus prorsus abs-„cedentes solis gymnasiis dant operam."

26. *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans.* Perstat in eadem similitudine de pugilibus. Qui cum cursu contendunt, non alio, quam ad metam adspiciunt, eoque toto nisu, atque contentione cursus feruntur: illi vero, qui pugnis inter se contenderent, nollent cassos ictus facere, sed his omnino adversarium ferire. Hac igitur ratione seipsum quoque nihil velle frustra facere, sed omnia ad salutis metam, ut hanc attingat, conferre. „Ad destina-„tum persequor, inquit, ad bravium supernae vo-„cationis Dei in Christo Jesu." Phil. 3. v. 14. 27. *Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Etiam hic adhuc perstat in eadem de pugilibus similitudine: quod quemadmodum illi superare conarentur adversarium, cum quo certant,

sic ipse pugnaret adversus carnem suam, atque in servitutem eam redigeret, utpote quae caro per concupiscentiam unumquemque urgeat ad peccandum, ne forte cum aliis praedicavisset, reprobus ipse efficeretur.

Hic vero illud primum est considerandum, eum, qui dicit, ne forte reprobus efficeretur, non existimasse certum cuique fideli esse, sibique persvasam habere debere certitudinem suae salutis. Neque enim dicere potuisset, ne forte reprobus efficeretur. Num fiducia in Christum Paulo defuit, in qua se fundant ii, qui istam salutis certitudinem sibi de se censent esse persvadendam? Altera consideratio est, castigasse Paulum corpus suum, et in servitutem redegisse. Excerpam ex Grotii commentario, quae istius verbi, *castigo* Graece, ὑπωπιάζω, sit germana significatio. ,,Persequitur, inquit, postremam ,,similitudinem a pycta desumptam. (Pycta Grae- ,,ce idem est, qui Latine pugil dicitur) Pyctarum ,,est adversarium ὑπωπιάζειν.“ Deinde explicationem vocis petit ex profanis scriptoribus, atque unum ex his Ciceronem producit. *Pugiles caestibus contusi* id est, inquit, ὑπωπιαζόμενοι. Ex Tusculan. lib. 2. cap. 17. Caestus erat armatura manus, et eius involutio vel duro corio, vel alia re rigidiore, ut ictus gravior, qui pugno daretur, accideret, et lividum corpus, ut tanto magis in eo accepti ictus apparerent, efficeret. ,,Cum Paulus ,,pyctae, pergit Grotius; se comparasset, quaeri ,,poterat, quis esset adversarius. Ipsum, inquit,

„corpus meum. Hoc ego obtundo, inquit, id est, „multis afficio incommodis. Etiam δουλωγωγεῖν (in „servitutem redigere) a pyctis desumptum est. „Nam qui vicerat, victum trahebat adversarium, „quasi servum. Sic Paulus de corpore suo, velut „edomito triumphabat. Sic Seneca epistola 8. dixit, „*durius* tractandum corpus, ne animo male pa„reat.“ Hinc vero, qualis rursus est consequentia? Nam si Paulus contundendum sibi corpus putavit, etiamsi illud ieiuniis tantum, atque vigiliis fecit, nam cum metaphoricum sit vocabulum, de plagis suo corpori per seipsum inflictis, ut accipiatur, certum non est, sed aliqua tamen severitas, et austeritas adhibita corpori certe fuit, si hoc, inquam, Paulus erga seipsum fecit, et suo exemplo docuit, quomodo adversus spiritui rebellem carnem pugnandum esset, qualis disciplina Christianae Religionis debet esse? et estne haec illa, quam Augustana, et Helvetica Confessio suis alumnis tradidit, eliminatis apud se omnibus, quae aliquam severitatem erga propriam carnem habebant? an Catholica Religio, in qua ieiuniorum, abstinentiae, aliarumque austeritatum disciplina semper viguit, et nunc viget? Istam mollem viam etiam secuti sunt qui modo nostra aetate in scenam venerunt, seque illuminatos haberi voluerunt, et non tantum disciplinam ieiunii, atque abstinentiae a se abiecerunt; sed derident, si quem adhuc abstinentem videant, omnisque illorum sapientia est secundum carnem vivere. Hi causam contemnendi, atque irridendi

praetendunt, quasi illa severitas disciplinae omnis indroducta esset in Ecclesiam per solos monachos. Sed Paulus, quin fuerit monachus, iam castigavit corpus suum, et in servitutem redegit, et ieiunii exemplum etiam in ipso Christo habent. Idem etiam documentum nobis hocce dedit: „Si quis vult post „me venire, abneget semetipsum, et tollat cru-„cem suam, et sequatur me.“ Matth. 16. v. 24. Etiam, haec quae per Christum bona in alia vita exspectantur, et quae poenae irrisoribus metuendae sunt, pro fabula illis sunt? „Deus non irri-„detur. Quae enim seminaverit homo, haec et me-„tet. Quoniam, qui seminat in carne sua, de „carne et metet corruptionem.“ Gal. 6. v. 7.

CAPUT X.

Exemplo Israelitarum, e quibus paucissimi ad terram promissam intraverint, docet videndum cuique esse, etiam qui se existimat stare, ne cadat. Hortatur ad fugiendam contagionem omnem idololatriae, et ad vitandum offendiculum per esum idolothytorum.

1. *NOLO enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt,* 2. *et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari,* 3. *et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt,* 4. *et omnes eundem potum spiritalem biberunt, bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem*

erat Christus. 5. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto.* Causalis, *enim* initio primi versus in hocce capite posita, manifeste ostendit hoc, quod modo affert, esse instar demonstrationis, et declarationis positum illius, quod antecessit. Ostenderat autem et suo exemplo, quantopere incumbendum esset unicuique ad studium suae salutis, qui omnia faciat propter Evangelium ut eius particeps fiat; qui corpus suum castiget, et in servitutem redigat, ne forte quamvis aliis praedicavisset, reprobus ipse efficeretur, quique Corinthios exemplo eorum etiam, qui in stadio cursu contenderent, hortatus est, ut sic currerent, ut comprehendant bravium, quamvis enim omnes in studio currerent, unum tamen tantum esse, qui illud acciperet. Haec autem ideo sunt ab Apostolo disputata, quod Corinthii partim scientia elati, partim donis Evangelicis, quibus erant locupletati, ad praesumptionem inducti, sic sibi ipsis de sua salute fiderent, quasi iam in portu navigarent, et qua praesumptione nec communis boni, et alienae salutis cura illos tangeret utendo idolothytis cum offendiculo aliorum, nec emendandis iis, qui peccarunt, studerent. Cum ergo iam de seipso, quamvis aliis praedicaret, iam ostendisset, quantum studium adhiberet suae salutis, cuius certus minime sit; modo idem confirmat exemplo etiam Israelitarum, e quibus pauci tantum terram promissam intraverint. Esse enim haec, ut infra sequetur, gesta per figuram eorum,

quae nobis eventura essent, scriptaque ad correptionem nostram: et unde deinde conclusionem facit, videre debere unumquemque, qui se existimat stare, ne cadat. Nubes, sub qua omnes fuerunt patres, fuit illa, quae Israelitarum castra antecessit, quaeque eos protegeret interdiu contra ardorem solis, noctu vero lucem eis praeberet, quemadmodum de illa est in Psalmo 104. v. 39. „Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem, „ut luceret eis per noctem.“ Quod idem etiam Exodi 13. versu 21. est. Omnes in Moyse, hoc est, per Moysem, qui scilicet ipsos ducebat, baptizati sunt in nube, et in mari. Illa nubes videlicet, et transitus per mare Rubrum typum gesserat nostri baptismi. Quemadmodum enim nubes illa per mare inter medias aquas sic illos duxit, ut ipsis incolumitatem praestaret, atque in libertatem ex Aegyptiorum servitute eos assereret, hostes autem, qui eos servitute presserant, demergeret; ita in baptismo quoque per Christum revocamur ad vitam, et eruti e captivitate daemonis, atque peccati in libertate filiorum Dei collocamur. „Mare „Rubrum, ait S. Augustinus Tract. 45. in Joan. significat baptismum; Moyses ductor per mare „Rubrum significat Christum; populus transiens „significat fideles; mors Aegyptiorum significat „abolitionem peccatorum.“ Spiritualis esca, quam patres illi in deserto manducaverunt, fuit manna; potus spiritualis fuit aqua, quam illis Moyses produxit ex petra. Qui ideo cibus, et potus spi-

ritualis vocatur, quod rursus typice repraesentaverit illum cibum, atque potum, quem ex Christo habemus, et quo alimur ad vitam aeternam. In se enim tam manna, quam aqua, quae fluxit e petra, aliquid fuit corporeum. Qua ratione etiam petra, unde aqua educta est, dicitur fuisse Christus, quem scilicet figuraverit. Nam petra, unde reapse aquae effluxerunt, praesens ipsis erat, ista vero petra, quae Christus erat, tantummodo ipsos dicebatur consecutura esse. Post multa enim secula Christus tantum in mundum venit. Manna ergo Christum figuravit, qui de seipso dicit Joannis 6. v. 48. „Ego sum panis vitae. Patres vestri manducave„runt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est „panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso „manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vi„vus, qui de caelo descendi." Aqua e petra elicita figuravit illas aquas, de quibus est apud Isaiam cap. 12. v. 3. „Haurietis aquas in gaudio de „fontibus Salvatoris" et de quibus ipse etiam Christus dixit: „Si quis sitit, veniat ad me, et bi„bat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flu„mina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc au„tem dixit de Spiritu, quem accepturi erant cre„dentes in eum." Joan. 7. v. 37. Quamvis ergo patres illi Israelitici populi, qui exiverunt ex Aegypto; per mare Rubrum transiverint, manna comederint, et aquam ex petra elicitam biberint, sub symbolisque harum rerum Christum attigerint, in quem venturum et ipsi fidem haberent; tamen

metam suae peregrinationis non attigere omnes. „Et qua de causa haec dicit? verba sunt S. Chry- „sostomi homil. 23. ut ostendat, quod sicut illis „non profuit, quod tantum acceperint donum; ita „neque iis proderit, quod baptisma acceperint, et „spiritualium mysteriorum consortes fuerint, nisi vi- „tam tanta gratia dignam exhibeant, ideoque ad- „ducit baptismatis, et mysteriorum typos.“ *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto.* Numeratione instituta, postquam egressi fuissent ex Aegypto ab anno aetatis vigesimo, qui iam in hac aetate, vel supra essent, reperta sunt sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta. Num. 1. v. 46. Hi vero omnes perierunt in deserto, nec terram promissam ingressi sunt praeter Caleb, et Josue. Num. 14. v. 29. Hi ergo sunt illi non plures, hoc est ergo, admodum pauci ex illis multis, in quibus Deo non fuerit beneplacitum, ut illos introduceret, quique prostrati sunt in deserto.

6. *Haec autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt.* 7. *Neque idololatrae efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, et bibere, et surrexunt ludere.* Exod. 32. v. 6. 8. *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia.* Illa hic memoratur fornicatio, quam Israelitae exercuerunt cum Moabiticis feminis. Numer. 25. v. 9. Ibi au-

tem in Numerorum libro posita sunt eorum, qui occisi sunt, et de quibus supplicium sumptum est, viginti quatuor millia. Nempe, ut de hoc iam fuit ad Exodi cap. 32. versum 28. eorum, qui occisi sunt, numerus adcurate nec fuit millium viginti quatuor, nec viginti trium, sed quidpiam medium: cumque Scriptura amet rotundo numero uti; solet summam in millenariis, vel centenariis numeris exprimere, iam quod supra est, omittendo, iam in summa, quae ex pluribus mille, vel centum constat, ultimum mille, vel centum ponendo integre, et absolute, quamvis aliquid ex integritate desit. Hoc ergo altero modo numerum hunc expressit Moyses, altero priore Paulus.

9. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt.* Ignitos serpentes Deus immisit, Numer. 21. v. 4. cum populum taedere coepisset itineris ac laboris, et contra Deum, atque Moysem proterve locutus fuisset, cur ab eo educti essent ex Aegypto? num ideo, ut morerentur in solitutidine? deesse enim panem, non esse aquam, animam ipsorum iam nauseasse super cibo levissimo. Manna autem intelligebant. Qui igitur se putarunt morituros in solitudine, antequam introducerentur in terram promissam, taedio laboris affecti in peregrinando, tametsi hoc ipsis Deus promisisset, in his diffidentia erga Deum fuit: qua ratione Deum tentaverunt, cuius potentiam in dubium vocaverunt. Ibi vero in Numerorum libro Deum dicuntur tentavisse, hic a

Paulo

Paulo Christum. Quia videlicet idem ille Deus, quem Israelitae tentaverunt, fuit Christus. Est argumentum contra Socinianos. Quam ob causam Joannes Evangelista quoque visam ab Isaia dicit gloriam Christi cap. 12. v. 41. in qua tamen visione apud Isaiam cap. 6. v. 1. is, qui ab eo visus est, Deus fuit. Quomodo autem Deus, quem Israelitae tentaverunt, et cuius gloriam Isaias vidit, fuit Christus, qui postea tantum conceptus, et natus est? Est Christus natus postea tantum secundum humanam naturam; at vero fuit ab aeterno in Divina natura. In hac vero Divina natura existentem hunc eumdem Dei Filium, qui cum Patre, et Spiritu sancto unus Deus est, quique postea factus homo est, et tentaverunt Israelitae, et eius gloriam vidit Isaias. Dicant Sociniani, qua ratione et Paulus dicere potuerit tentatum esse Christum, et Joannes ab Isaia gloriam visam esse Christi, cum et Israelitae tentaverint Deum, et Isaias viderit gloriam Dei, si Christus non est idem ille Deus, quem et Israelitae tentaverunt, et cuiusgloriam vidit Isaias.

10. *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.* Saepe Israelitae murmuraverunt in deserto. Speciatim tamen videtur Paulus murmur hic illud desiganre, de quo est Numer. 16. v. 41. „Murmuravit autem omnis multitudo filiorum „Israel sequenti die contra Moysen, et Aaron, di„cens: Vos interfecistis populum Domini:" cum pridie ii, qui sibi seditiose vindicare voluerant sacerdotium partim terra absorpti, partim igne con-

sumpti fuissent, et post quam murmurationem denuo ignis erupit, et castra vastavit, nec prius desiit, quam Aaron suo interventu illum sopivisset, et exstinxisset. Ministerio autem angeli usus fuerat Deus ad Israelitas puniendos, quando peccabant. Sic enim est hoc Exod. 23. v. 20. ,, Ecce ego mittam angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi. Observa eum, et audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaveris." De quo exterminatore meminit etiam Sapiens cap. 18. v. 25. ,, His autem cessit, inquit, qui exterminabat, et haec extimuit." De pontificali autem apparatu loquitur Aaronis, in quo se is obiecerit, cuique exterminator cesserit, reveritus ipsius illum apparatum.

11. *Haec autem omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt.* 12. *Itaque, qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Quod iam etiam superius versu 6. fuit: ,, Haec autem in figura facta sunt nostri:" ut quae modo de Israelitis commemorata sunt, ad hoc ipsum, in quo statu res essent nostrae, quamdiu post baptismum, quasi superato mari Rubro in huius vitae deserto inter tentationes versamur, peregre adhuc, ,, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino" 2. Cor. 5. v. 6. et donec ad promissam lacte et melle manantem regionem perveniamus, figurandum pertinuisse intelligatur. In

se autem, et in eos, qui tum vivebant, cum haec Paulus scriberet, fines seculorum devenisse dicit. Ex quo perspicuum fit, illud tempus, quo Paulus vivebat, esse ab eo consideratum tamquam mundi aetatem iam ultimam. Idem tempus S. Joannes 1. Epist. 2. v. 18. novissimam horam appellavit. Ecclesia quoque Sabbato sancto in oratione, quae ordine nona est in Missali inter prophetias, habet, non fuisse excellentius, quod initio factus sit mundus, quam quod in fine seculorum pascha nostrum immolatus sit Christus. Cum ergo haec, quae de Israelitis modo dicta sunt, ad correptionem nostram, Graece, *ad admonitionem nostram*, πρός νουθεσίαν ἡμῶν, scripta esse docuisset; applicat haec deinde Corinthiis, ut qui se existimaret stare, videret, ne cadat. Qui autem videre debet, ne cadat, profecto, num staturus semper, et an non sit casurus, certus, atque securus non est. Nulla enim cura de eo, quod certum, et indubitatum haberet, tangere eum deberet. Etiam illud est hic advertendum, Paulum, non dixisse, Qui stat, sed qui se existimat stare. Potest autem homo aliquid existimare, quin tamen id, quod existimat, et quod ei videtur, certum sit. Neque enim in existimando immunes ab errando sumus. Nam certe is, qui sibi nullius mali a se commissi conscius est; suae conscientiae iudicio, si illud sequatur, existimare debet se stare. Si ergo haec propria existimatio certitudinem etiam haberet; sciret etiam is, qui se existimat stare, esse se iustificatum. Attamen

Paulus dicit de se: „Nihil mihi conscius sum, sed „non in hoc iustificatus sum.“ 1. Cor. 4. v. 4. Ergo, qui se exisimat stare, huius tamen ipsius, num stet, certus non est. Deinde cum ea, quae Israelitis evenerunt, Apostolus dicit facta esse in figura nostri, et ad instructionem nostram; quid aliud consequens est, quam hoc, quod illis evenit, et nobis evenire posse, et eventurum, si illorum mores, et agendi rationem perversam sequeremur? Nam in fide erga Christum, qui ex petra, quae Christus fuit, aquam spiritalem biberunt, etiam illi fuerunt, hac solum differentia, quod illi in venturum Messiam crederent, nos vero hunc iam credamus venisse. At vero illorum plurimi prostrati sunt in deserto, et in illam requiem, non introiverunt, quae nostram figuravit requiem, ad quam intrabimus, qui credidimus, „si tamen, ut idem „Apostolus inquit, initium substantiae eius usque ad „finem firmum retineamus“ Hebr. 3. v. 14. Cum ergo hoc illis contigerit in figura nostri; consequens est, et nos in eadem incertitudine versari introeundi, idemque nobis posse accidere, quod illis, ut non introeamus. Sunt hae animadversiones in eos, qui sibi dogma etiam fecerunt de certitudine suae salutis, et unumquemque debere etiam sibi hanc de se certitudinem persvasam habere.

13. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

Tentatio vos non apprehendat, in Graeco verbum, εἴληφεν, est in tempore praeterito. Sic etiam Syrus vertit: *Tentàtio vos non invasit, nisi humana,* item Arabs: *Non nocuit vobis tentatio, nisi tentatio humana.* Dicit etiam Jacobus cap. 1. v. 2. „Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in „tentationes varias incideritis.“ et Petrus: „Exul„tabitis, modicum si nunc oportet contristari variis „tentationibus.“ 1. Petr. 1. v. 6. Nam quod oporteret fieri per varias tentationes, et in quibus variis tentationibus etiam gaudendum esset, si evenirent; de his nec Paulus aliter locutus est, utqui Corinthios ab aliis tentationibus omnibus immunes habere voluisset, solasque humanas eos subire. Quid ergo modo dicere voluit Paulus, et quorsum hoc pertinet, quod Corinthios apprehenderit tentatio nonnisi humana? Ad illud pertinet, quod modo antecessit: „Qui se existimat stare, videat, ne „cadat.“ Ne enim ii, qui se existimarent stetisse semper hactenus, et eadem confidentia se casuros etiam deinceps non putarent, atque sibi securitatem sumerent; docet tentationes ipsis ad illud usque tempus tantum incidisse humanas. Quid est hoc, humanas? istud ex illo Apostoli intelligi potest ad Romanos cap. 6. versu 19. „Humanum dico pro„pter infirmitatem carnis vestrae.“ Humanas ergo intelligit tentationes eas, quae leves tantum, modicae, et latu faciles fuerint, quales Corinthiis hactenus inciderint. Itaque, etiamsi in his lapsi non essent, sed stetissent, non tamen sibi propterea

Aaa 3

securitatem in posterum polliceri debeant, utpote, qui expositi sint tentationibus variis, non istis tantum levioribus, quas hactenus experti sunt, et ne in gravioribus laberentur, quibus pertimescendum sit. Ne vero rursus isto metu, quem ipsis Apostolus incutiebat, nimiopere deiicerentur, cum ex una parte terruisset, ut salutis ignaviam excuteret; ex altera ad spem rursus illos erigit, sed quam non in se, verum in Deo locare debeant. *Fidelis autem*, inquit, *Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* „Quia „enim satis terruit eos vetera narrans exempla, ait „S. Chrysostomus homil. 24. atque in animi ango„rem coniecit, dicens, *Qui videtur stare, videat,* „*ne cadat*, multas autem tulerant tentationes, et „in iis saepe se exercuerant, nam in infirmitate, „inquit, et in timore, et tremore multo fui apud „vos, ne dicerent, cur nos terres, et timore affi„cis? non sumus in iis malis inexercitati, nam pul„si sumus, et persecutionem passi, multa, et fre„quentia subiimus pericula; illorum rursus tumo„rem reprimens, ait: *Tentatio vos non apprehen*„*dat nisi humana*, id est, parva, brevis, mode„rata. Humanum enim dicit de parvo, ut cum ait: „*Humanum dico propter infirmitatem carnis ve*„*strae*. Ne itaque altum sapiatis, inquit, ac si „tempestatem superaveritis. Nondum enim vidistis „periculum, quod mortem minaretur, neque ten„tationem mortem intentantem. Quod etiam He-

„braeis dicebat: *Nondum usque ad sangvinem re-„stitistis adversus peccatum decertantes.* Hebr. 12. „v. 4. Deinde, quia exterruerat, vide quomodo „illos rursus erigat, postquam persvaserat illis, ut „modeste agerent, dicens: *Fidelis autem Deus „est, qui non patietur vos tentari supra id, quod „potestis, sed faciet etiam cum tentatione proven-„tum.*" Faciet proventum Graece: ἔκβασιν *exitum, evasionem.* Quare S. Cyprianus lib. 3. Testimonium ad Quirinum cap. 91. sic allegavit hunc Pauli locum: „Sed faciet cum tentatione evadendi faculta-„tem." Quomodo autem fidelis Deus, dum tam multi tentationibus franguntur, atque superantur? Advertendum est, non esse dictum ab Apostolo, fidelem esse Deum, qui victoriam de omnibus tentationibus concessurus sit; sed tantum, qui non patietur tentari supra id, quod possent. Promisit enim ei, a quo fideliter invocaretur, auxilium. „Omnis „enim, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Joel. 2. v. 32. In eo ergo fidelis Deus est, et se fidelem promisit, ut si invocetur, auxilium ferat. „Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, „omnibus invocantibus eum in veritate." Psal. 144. v. 18. Et Eccl. 2. v. 12. „Quis enim permansit in „mandatis eius, et derelictus est? aut quis invo-„cavit eum, et despexit illum?" Et si fideliter fuerit invocatus, faciet etiam cum tentatione proventum, ut possint sustinere. Quatenus igitur Deus impossibilia non iubet, (ut dicit S. Augustinus in libro de Nat. et Grat. cap. 43. deinde quatenus si

fideliter invocetur, auxilium fert, neque deserit, nisi prior ipse deseratur; ut idem S. Augustinus docet in eodem libro cap. 26.) non patitur nos tentari supra id, quod ferre possumus, sed facit etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. Illud ergo hic implicite continetur, quod (si ipsi Deum non desererent, hoc est, auxilium ab eo quaererent in tempore tentationis, deseritur enim Deus, quando auxilii causa ad eum non fit recursus; et tunc labitur iustus etiam, quando ad Deum auxilii causa non confugit) Deus fidelis sit. Certe enim invocatus aderit, et faciet cum tentatione proventum. „Nullus enim speravit in Domino, et con„fusus est." Eccli. 2. v. 11.

14. *Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura.* Inter ea, quae Corinthiis dixerat esse vitanda, modo huius capitis versu 7. fuit primo loco idololatria, tamquam videlicet praecipuus scopulus, in quem possent incidere, fideique naufragium facere, qui modo tantum, et recenter ab idolis essent conversi ad Deum, et quibus idcirco ab ethnicis gravissimae impenderent tentationes, et adversitates, quos vi omni tormentorum conarentur ad idololatriam retrahere. Cum ergo monuisset, ut viderent, ne caderent; speciatim hoc illis etiam de idololatria fugienda iterum inculcavit, et quantopere illius contagio ipsis esset vitanda, probavit, quemadmodum sequetur.

15. *Ut prudentibus loquor, vos ipsi iudicate, quod dico.* 16. *Calix benedictionis, cui benedici-*

mus, nonne communicatio sangvinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? „Valde fideliter, ait S. Chry-
„sostomus homil. 24. et terribiliter dixit. Hoc enim
„vult significare: Hoc, quod in calice est, illud
„ipsum est, quod ex latere fluxit, (ὅτι τοῦτό τὸ ἐν
„ποτηρίῳ ὂν, ἐκεῖνό ἐστι τὸ ἀπὸ πλευρᾶς ῥεῦσαν) et il-
„lius simus participes. Calicem autem benedictio-
„nis vocavit, quia illum prae manibus habentes,
„sic illum celebramus admirantes, terrore perculsi
„de ineffabili dono, benedicentes, quod illum ef-
„fuderit, ut ne in errore maneremus, et non so-
„lum effuderit, sed etiam illum ipsum nobis omni-
„bus impertierit.“ Illum ipsum sangvinem, quem Christus effudit, nobis impertivisse, et illud ipsum esse in calice, quod ex latere fluxit Christi, dixit Chrysostomus, atque hoc in homiliis suis publice docuit in Ecclesia. Quaenam ergo in Ecclesia aetate Chrysostomi viguit de Eucharistia fides? Figuramne corporis Christi crediderunt esse in ea fideles, ut ad hanc formam per suam reformationem etiam ipsius Christi verum corpus, et sangvinem in Eucharistia reformare voluit Calvinus? 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Cum superiore versu dixisset, cum calice, cui benedicimus, communicationem nobis cum sangvine Christi esse, et in pane, quem frangimus, participationem cum corpore Domini, nunc adhuc ulterius progreditur, atque etiam unum nos fideles esse panem, atque cor-

pus, omnes, qui de uno pane participamus: quatenus non tantum per fidem, sed arctius adhuc per illam escam, et per illum potum fideles unum corpus efficiuntur Christi. ,,Quid enim, inquit, dico ,,communicationem? illud ipsum corpus sumus: ,,verba sunt S. Chrysostomi homil. 24. Quid est ,,enim panis? corpus Christi. Quid autem fiunt com-,,municantes? corpus Christi: non corpora multa, ,,sed unum corpus. Sicut enim panis ex multis gra-,,nis constans unitus est, ita ut grana nusquam ap-,,pareant, sed sint quidem ipsa, non manifesta ,,autem sit illorum differentia propter coniunctio-,,nem; sic nos et mutuo, et cum Christo coniun-,,gimur. Non enim ex altero corpore hic, ex al-,,tero ille nutritur, sed ex eodem ipso omnes. Ideo ,,adiecit: *Omnes enim ex uno pane participamus.*" Quorsum vero utrumque hoc pertineat, quod modo fuit de communicatione corporis, et sangvinis Christi, unoque corpore cum illo, declaratur deinde infra versu 20. ,,Non potestis calicem Domini bi-,,bere, et calicem daemoniorum." Probat videlicet propositionem illam, quae fuit versu 14. fugiendam esse idolorum culturam.

18. *Videte Israel secundum carnem. Nonne, qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Ab exemplo sacrificiorum, quae erant in veteri testamento apud Israelitas secundum carnem, nam nos, qui credimus, per spiritum fidei sumus spirituales filii Abrahae, et spirituales Israelitae, Rom. 2. v. 29. Gal. 3. v. 7. demonstrationem instituit, eos, qui

comederent idolothyta, ut idolothyta fieri, participes sacrificiorum, quae immolarentur idolis: siquidem apud Israelitas quoque, qui ex victimis ederent; altaris, atque sacrificiorum fierent participes.

19. *Quid ergo? dico, quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid?* 20. *Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo.* Jam enim superius capitis 8. versu 4. dixerat, „De escis autem, quae idolis immolantur, „scimus, quia nihil est idolum in mundo" et quo probabatur, carnem, quae idolo erat immolata, posse comedi, sed tantum non quasi idolothytum, vel cum alterius offendiculo. Declarat igitur nunc, non quasi ei, quod prius docuerat, nunc contrarium loqueretur; sed idolothytum tamen, ut idolothytum non licere comedere; quod is, qui ea ederet, particeps fieret sacrificiorum, quae idolis fuerunt oblata: et quae idola quamvis nihil sint, hoc est nullus Deus sint, nec Divinitatis quidquam in se habeant, tamen illis sacrificiis colerentur daemones. Itaque qui particeps esset istorum sacrificiorum; illius quoque cultus, qui exhiberetur daemonibus, consors fieret.

Nolo autem vos socios fieri daemoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum: 21. *non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* 22. *An aemulamur Dominum? numquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* 23. *Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant.* 24.

Nemo, quod suum est, quaerat, sed quod alterius. An aemulamur Dominum, Graece, παραζηλοῦμεν, quod verbum significat provocare quempiam ad contentionem, et irritare. Sensus igitur est, num Deum volumus irritare, et provocare ad iram? Sumusne illo fortiores? Pertinet autem istud eo, ut contagionem omnem idololatriae vitent, qua Deus provocetur ad iram. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Est praeoccupatio illius, quod opponere aliquis posset, se cum scientia, nihil esse idolum vesci idolothytis, nec idolothytum, ut idolothytum comedere. Huc ergo respondet: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, Graece, συμφέρει, *conducunt.* Et quomodo non conducerent, rursus subsequentibus verbis declarat: *Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant.* Quomodo autem non aedificaret idolothytorum manducatio capite 8. versu 10. explicuerat: „Si enim, inquit, quis vide„rit eum, qui habet scientiam, in idolio recum„bentem, nonne conscientia eius, cum sit infirma, „aedificabitur ad manducandum idolothyta?" Hoc ergo nec alteri infirmo conducebat, nec ei ipsi, qui manducabat qui peccans in fratrem, et percutiens ipsius conscientiam infirmam, in Chrisum peccavit. Supra cap. 8. v. 12. Sed nec ea res gentilibus erat bono exemplo, dum Christianum, ubi illorum deos iam eiurasset, tamen adhuc viderent secum recumbentem in idolio. Proclive enim erat existimare, ut qui caperetur illorum adhuc cibis ex victimis, verbis tantum fucum faciat professus se Christianum,

non animo exuerit pristinam suorum deorum religionem. Ex quo illud quoque intelligitur, quomodo sumendum sit: *Nemo, quod suum est, quaerat, sed quod alterius:* ne quis scilicet, etiam dum erga se aliquid agit, istud sic agat, ut praetermittat considerare, num eadem res non obsit cuipiam alteri. Adversus hos enim est, qui quod licitum sibi esse scirent, agerent, etiamsi noxia esset aliis. Negatur igitur sic suum cuipiam esse quaerendum, ut in eo non simul etiam attendat, ne idem damnosum sit alteri; et si ita esset, tum ne sibi quidem illud esse sumendum.

25. *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* „Cum „dixisset, ait S. Chrysostomus homil. 25. impos„sibile esse calicem Domini bibere, et calicem „daemoniorum, et penitus abduxisset a mensis il„lis, ab exemplis Judaicis, a ratiociniis humanis, „a mysteriis horrendis, ab iis, quae peraguntur in „idolis, et cum ingentem metum incussisset; ne „tali metu illos ad aliud extremum impelleret, et „maiori, quam par erat, utentes curiositate, coge„rentur timere, ne ipsis ignorantibus aliquid tale „inveheretur aut ex foro, aut aliunde; ipsos a ta„li necessitate eripiens, ait, Omne, quod in ma„cello venit, manducate, nihil interrogantes.“ Propria itaque conscientia intelligitur, propter quam dicit non esse inquirendum de eo, quod in macello veniret, essetne idolo immolatum, ne rursus anxii hac in re cogerentur esse. 26. *Domini est ter-*

ra, et plenitudo eius. Ex Psalmi 23. versu 1. est hocce testimonium. Probat autem isto etiam idolothytum esse Dei creaturam, siquidem orbis terrarum, et omnia, quaecumque in eo sunt, Dei sint: nec proinde alterius sit etiam illud, quod idolo esset immolatum. Est autem omnis creatura Dei bona, 1. Tim. 4. v. 4. Ergo idolothytum bonum etiam esse: si videlicet tantum quoad se, non cum adiunctis consideraretur.

27. *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* 28. *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit, et propter conscientiam.* 29. *Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?* 30. *Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo, quod gratias ago?* Antecessit, abstinendum ab eo esse, quod quispiam indicasset esse idolo immolatum, idque propter conscientiam non propriam, sed illius, qui indicavit. Ergo neque hoc: *Ut quid libertas mea iudicatur ab aliena conscientia*, et, *quid blasphemor pro eo, quod gratias ago*, eo pertinet, quasi, quin eum, qui indicavit, curare debeam, ac mea libertate uti possim: sed potius, ut libertate mea ita non utar, ne haec iudicetur ab altero, et ne blasphemer pro eo, quod gratias ago. Hoc ergo est, quod dicit, meam libertatem non debere esse occasionem alteri ad me iudicandum, et da-

mnandum; nec id, quod cum gratiarum actione sumitur, et quod donum est Dei, debere fieri occasionem blasphemandi mei. Is videlicet, qui indicavit esse idolothytum, intelligitur quispiam etiam Christianus in eodem convivio. Eo ipso autem, quod indicaverit, et alterum Christianum monuerit de cibo quopiam esse idolothyticum, prodidit conscientiam suam, qua illum comedere Christiano nefas esse ducit. Quod si ergo nihilominus alter, dum admonitus est, comedat, et ille monens idem faciat contra suam conscientiam, ductus aliqua verecundia, ne superstitiosus in eo videatur, in quo alter nullam religionem sibi facit, et illum deinde propterea remordeat conscientia, movetur ad illum damnandum, et exsecrandum, qui sua eum libertate ad peccandum adegerit, agendo contra suam conscientiam. Huicne ergo meae damnationi, et exsecrationi libertas mea, et id, quod cum gratiarum actione sumendum est, hoc est cibus, debeat ansam, et occasionem praebere.

31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* „Vidistin, ait S. Chrysostomus homil. 25. quomo„do a re proposita ad id, quod universale est, ad„hortationem deduxerit, una pulcherrima nobis da„ta definitione, ut Deus per omnia glorificetur?“ 32. *Sine offensione estote Judaeis, et gentibus, et Ecclesiae Dei.* 33. *Sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Paulus ad Galatas cap. 1. v.

10. dicit: „An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem." Nunc vero, quomodo per omnia omnibus placere se dixerit, ipse se explicuit, non quaerens, inquit, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Intellexit ergo placere, omnium imbecillitati se se attemperare. „Omnibus omnia factus sum, ait superioris capitis versu 22. ut omnes „salvos facerem."

CAPVT XI.

Non debere virum velare caput, at vero mulierem. Dissensiones Corinthiorum, et vitia notat, quae commiserant in celebratione Dominicae coenae. Repetit, quod iam illis prius tradidit, iterum, qua ratione Christus coenam illam instituerit: reos esse corporis, et sangvinis Domini, qui indigne panem vel calicem Eucharisticum sumant.

---

1. *IMITATORES mei estote, sicut et ego Christi:* ut scilicet quemadmodum ipse omnibus placeret, idem ipsi quoque facerent, salutique aliorum studerent. 2. *Laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis.* Illico deinde de virorum, ac mulierum habitu ita verba facit, ut obscurum non sit, aliter a quibusdam hac in re actum esse, quam ipse illis tradidisset, de coena autem Eucharistica aperte deinde eos incusat, quod eam non

non rite celebrarent. Quod ergo nunc ipsos ita laudet, quod eius memores per omnia sint, praeceptaque teneant, quae ipsis tradidit; id facit tantum respectu eorum, qui omnino observantes inter Corinthios fuerunt eorum omnium, quae Apostolus coram tradidit, cum Evangelium apud eos praedicasset. Laudationem autem istam interponit, ut nonnihil recreati, ne perpetuo reprehendere ipsos videretur, ad ea, quae adhuc corrigenda in ipsis supererant, quaeque expositurus nunc est, obsequentiores fierent.

3. *Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput vero Christi Deus.* Hoc eo pertinet, quod postea declaratur, virum aperto capite debere esse in Ecclesia, eodem vero velato mulierem, tamquam quae velatio subiectionis signum sit erga viros, qui in Ecclesia sunt, et quae si caput apertum inter viros gererent, in hos sibi viderentur etiam auctoritatem velle arrogare. Caput ergo viri Christus esse dicitur, et mulieris caput vir, non quasi mulieris caput non etiam esset Christus; sed quod mulier praeter Christum caput etiam virum habeat, non item vir, in consideratione autem matrimonii Nam alia ratione neque vir sine capite est, et praeter Christum humanum etiam caput habet. „ Omnis „ enim anima potestatibus sublimioribus subdita sit.“ Rom. 13. v. 1. Hic autem instituitur consideratio primo, ut vir cum uxore una caro est; deinde ut fideles in Christo unum corpus sunt, et Christus

omnium caput est: rursus autem ut Ecclesia, et ipse Christus secundum humanam naturam subiectus est Deo. Quatenus ergo mulier sub Christo virum etiam caput habet, non autem vir, et viro mulier in matrimonio subiecta est; viri esse caput Christus, mulieris autem vir esse dicitur.

4. *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite deturpat caput suum. 5. Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum. Unum enim est, ac si decalvetur. 6. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum.* Antecessit viri caput esse Christum. Ergo modo, dum vir orans, aut prophetans velato capite dicitur deturpare caput suum, ipsiusne proprium caput hoc, an Christi intelligitur, quod deturpet? proprium. Sic enim de muliere etiam idem deinde dicitur, si oraret, aut prophetaret non velata. Deinde exponitur causa subsequente versu septimo, cur vir non debeat velare caput suum, quoniam imago, et gloria Dei sit. Ergo de proprio ipsius capite illud est, tamquam in quo resplendeat illa ipsius gloria, quam habet. Est enim caput in homine princeps membrum, in quo sedem habet ratio, et quod exercet auctoritatem non tantum in sui corporis reliqua membra, verum etiam in ea omnia, quae sibi extra seipsum subiecta habet. Hanc autem gloriam a Deo habet, ad cuius imaginem factus est, ut omnibus animantibus praesit in mundo. Gen. 1. v. 26. Dum ergo

vir coram Deo ageret aut orans, aut prophetans, oportere illum aperte insigne illud auctoritatis, et dignitatis gerere, quo eum exornasset Deus. E contrario autem, quoniam mulierem Deus subiecit viro, si coram Deo compareret orans, aut prophetans, capũtque suum non velaret, videretur sibi velle sumere, ne subiecta sit, quamvis in subiectione esset posita a Deo. Ita intelligitur tam in viro, quam in muliere, illius convenientiae ratio, ut haec velato quidem capite, ille autem aperto Deo se exhibeat, dum aut oraret, aut prophetaret. „Principem ad regem accedentem, ait S. Chryso„stomus homil. 26. principatus signum habere „oportet. Sic ergo nullus princeps sine balteo, et „chlaena (genus hoc quodpiam fuit vestitus, quod „super tunicam induebant) ausit comparere ante il„lum, qui diadema gestat; sic neque tu absque „signo principatus, quod est detecto esse capite, „Deum ores, ut ne contumelia afficias et te, et „eum, qui te honore afficit. Id ipsum et de mulie„re quis dixerit. Nam illi quoque est ignominia, „si non subiectionis signa habeat.“ Quidnam autem hic prophetare significat? Iam ad epistolae ad Romanos cap. 12. versum 6. demonstratum est, prophetiam non semper sumi pro praedictione futurae cuiusdam rei: sed usurpari diversimode: quemadmodum ibi quoque sumeretur pro doctrina, et expositione mysteriorum fidei. Non fuit autem licitum mulieribus in Ecclesia publice docere. „Mu„lieres enim, inquit Paulus, in Ecclesiis taceant.

„Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, „sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, „domi viros suos interrogent. Turpe est enim mu„lieri loqui in Ecclesia.“ Infra cap. 14. v. 34. Certe autem nunc Paulus de habitu capitis virorum, atque mulierum non in privato, sed in publico egit, ut doceret, quid honestum, atque decorum utrique sexuì esset. Nam absolute erga Deum certe perinde est tecto, vel nudo capite sive viro sive mulieri orare. Deus enim cor intuetur, non habitum corporis. Quoniam ergo mulieri loqui docendi gratia permissum non est in Ecclesia, et de ordinario quodam fidelium officio in Ecclesia, eiusque publico conventu agit Paulus, quale non est vaticinia fundere futurarum rerum, et certe si Dei Spiritus etiam feminam movisset ad edendam eiusmodi prophetiam in publico Ecclesiae conventu, Apostolus eam prohibere non potuisset; intelligitur hic aliam etiam praeterea esse istius prophetationis significationem. Sumitur autem etiam pro psalmodia, et Divinarum laudum per cantum celebratione. Id quod manifestum fit ex 1. Paral. cap. 15. versu 22. ubi est: „Chonenias autem princeps Levitarum pro„phetiae praeerat ad praecinendam melodiam.“ Et rursus versu 27. „Porro David erat indutus stola „byssina, et universi Levitae, qui portabant ar„cam, cantoresque, et Chonenias princeps pro„phetiae inter cantores.“ Hac ratione igitur etiam hic sumitur prophetatio pro cantu, quo fideles Deum in suis conventibus celebraverint. Nam can-

tu istud eos fecisse etiam iam tum, in epistola etiam Plinii ad Trajanum, quam ex Bithynia scripsit, mentio fit. Nam memorat se comperisse ex Christianorum confessionibus, de quibus coram suo tribunali quaestionem habuit, illos solere convenire, hymnumque Christo dicere tamquam Deo.

7. *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago, et gloria Dei est: mulier autem gloria viri est.* 8. *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro.* 9. *Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Quoniam mulierem gloriam viri dixit ideo esse, quod haec ex viro sit; intelligitur sic mulierem gloriam viri esse dictam, ut ex muliere gloriam vir habeat, siquidem illa ex ipso sit. Itaque de viro quoque, gloriam esse Dei, eadem ratione est accipiendum, ex quo Deus, qui illum fecit, gloriam habeat. Non est autem factus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. In adiutorium enim viri mulier facta esse dicitur Genesis 2. v. 18. 10. *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter angelos.* Potestatis nomen est positum per metonymiam pro velamine, et signo potestatis, sub qua mulier respectu viri est. Idem ergo hoc est cum eo, quod iam superius dixerat, ut velet caput suum. Propter angelos autem. Angelorum nomine etiam praesides Ecclesiarum, et episcopi designantur. Qua ratione episcopi Ephesinae, Smyrnensis, et aliarum quinque Ecclesiarum, angeli harum Ecclesiarum vocantur ab Joanne Apoc. cap.

2. v. 1. Attamen quoniam caelestibus spiritibus istud nomen communiter tribui consvevit in sacris literis, nec a communi significatione est discedendum, nisi certa, et manifesta ratio praesto sit; est hoc etiam magis de angelis, qui caelestes spiritus sunt, accipiendum. Neque enim dubio locus esse potest, quin angeli fidelium intersint precibus, siquidem illorum manibus exhibeantur Deo. „Quan„do orabas cum lacrimis, et sepeliebas mortuos, „et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abs„condebas per diem in domo tua, et nocte sepe„liebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino" dicebat Raphael angelus Tobiae. Tob. 12. v. 12. In Apocalypsi quoque cap. 8. versu 3. est: „An„gelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum „aureum, et data sunt illi incensa multa, ut da„ret de orationibus Sanctorum omnium super al„tare aureum, quod est ante thronum Dei." Et S. Hilarius in Matthaeum „Angelorum pusillo„rum, inquit, praesunt fidelium orationibus. Prae„esse angelos absoluta auctoritas est. Salvatorum „igitur per Christum orationes angeli quotidie Deo „offerunt." Sed et David in conspectu angelorum se se psallere dicebat. „In conspectu angelorum, „inquit, psallam tibi, adorabo ad templum sanctum „tuum, et confitebor nomini tuo." Psal. 137. v. 1. Cum ergo mulierem iam dixisset, debere velatam orare in Ecclesia, idque ob subiectionem, quam sibi impositam haberet a Deo; idem nunc debere eam facere dicit etiam propter angelos, si-

quidem hi essent, qui preces fidelium excipiant, perferantque ad Deum. Hinc enim consequens est, ne angelos quidem eiusmodi mulieris excepturos esse preces, quas ad Deum perferant, sed aspernaturos, utpote quae in eiusmodi habitu offeruntur a muliere, qui Deo gratus non sit.

11. *Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino.* Hoc est, neque vir solus constituit matrimonium, sed nec sola mulier. In Domino autem addidit, quatenus etiam secundum Christum vir, et mulier essent una caro. Loquitur videlicet de matrimonio, ut illud per Christum iam erat elevatum ad dignitatem etiam Sacramenti. 12. *Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem. Omnia autem ex Deo.* Non de primo viro Adamo hoc est, is enim sine muliere factus est, sed de ceterorum virorum procreatione, quae utique iam a viro per mulierem fit. Mulier autem et prima fuit, et reliquae omnes de viro sunt, ex cuius semine generantur. Omnia autem ex Deo: quia quamvis liberi a parentibus generentur; tamen opifex illorum per parentes est Deus. Pertinet istud eo, ne fortasse vel viri insolescerent adversum suas uxores, aut hae se nimiopere depressas per Apostolum esse dolerent. 13. *Vos ipsi iudicate, decet mulierem non velatam orare Deum?* 14. *Nec ipsa natura docet nos, quod vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi,* 15. *Mulier vero, si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati*

sunt. Docet naturaliter viro convenire, ne comam nutriat, et e contrario mulieri, ut eam nutriat, siquidem per naturam etiam ei sic provisum sit, ut longiores capillos haberet, quibus eius caput tegeretur. Ut mulieres essent velatae, viri autem capillum minime alerent ornandi capitis gratia, fuit in moribus omnium gentium, nisi postquam effeminatio apud aliquas sic invaluit, ut ab ipsa etiam natura desciscerent. 16. *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consvetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Nos talem consvetudinem contendendi non habemus, sed nec Dei Ecclesia, et adversus ea, quae praeciperentur per eos, qui Ecclesiis praeessent, repugnandi, atque obsistendi. ,, Nos, inquit, verba sunt S. Chrysostomi ,, homil. 26. talem consvetudinem non habemus, ,, ut contendamus, et litigemus, et contradicamus."

17. *Hoc autem praecipio, non laudans, quod in melius, sed in deterius convenitis.* Graeci codices omnes fere sic legunt: *Hoc autem denuncians non laudo* Τοῦτο δὲ παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶ, *quod non in melius, sed deterius convenitis.* Antecessit huius capitis versu 2. ,, Laudo autem vos fratres, ,, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi ,, vobis, praecepta mea tenetis." Ita modo cum exceptione aliqua loquens eius, quod tum generatim dixit, videtur oratio inter se secundum Graecam lectionem meliorem etiam habere nexum. Nam de coma, et velamine sic modo verba fecit, ut nunc primum de hoc praeceptum Corinthiis dedis-

se ipsum, non autem iam antea; appareat. Hoc enim illis se dicit denunciare, de ceteris autem, quorum praecepta teneant, quae ipse illis tradiderit. 18. *Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo.* 19. *Nam oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Sic oportet haereses esse, quemadmodum Christus, etiam dixit, „Necesse est, ut veniant scandala" Matth. 18. v. 7. non necessitate absoluta, sed propter hominum malam indolem, et perversitatem, quam Deus perfert, et sinit, quo magis eorum, qui in fide, atque religione stabiles essent, eluceret virtus, atque constantia, qui se aliorum ventis auferri non sinerent. „Ecce satanas expetivit „vos, dicebat Christus de discipulis, ut cribraret „sicut triticum." Luc. 22. v. 31. Hinc igitur scandala, hinc scissiones, hinc haereses. Sed cribrando triticum purius fit, et separatur a faece, atque a paleis, quas ventus dispergit, dum instabiles circumferuntur vento omni doctrinae. Eph. 4. v. 14. Nec tamen nunc de Corinthiis dixit, esse inter illos aliquas haereses, sed tantummodo scissuras. Quas vero, cur crederet esse, quemadmodum audiverit, confirmat inde, quoniam oporteret et haereses esse. Nec postea aliquos contra fidem errores de Eucharistica coena in Corinthiis notat, sed tantummodo illos arguit propter dissensiones, et indignitates, quas in eius celebratione committerent.

20. *Convenientibus ergo vobis in unum, iam non est Dominicam coenam celebrare.* 21. *Unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum: et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* „Interpretatur, ait S. Chrysostomus homil. 27. „quomodo non est Dominicam coenam manducare. „Quomodo, et qua ratione? quia Dominica coe„na, id est, quod Domini est, commune debet „esse. Quae enim Domini sunt, non huius quidem „famuli sunt, illius vero non item, sed in com„muni omnium. Dominicum ergo hoc dicit, quod „commune est. Nam si Domini tui est, ut revera „est, non debeo quaedam, ut propria, avellere, „sed quae Domini sunt, communiter omnibus ap„ponere. Hoc est enim Dominicum. Nunc autem „non sinis illud esse Dominicum, cum non sinis „esse commune, sed seorsim epularis. Quapropter „subiungit dicens, *Unusquisque enim suam coe„nam praesumit.* Nec dixit, seiungit, (seorsim „sumit) sed praesumit, (praeripit) sensim illos „edacitatis, et petulantiae accusans. Hoc declarat, „quod sequitur. Hoc enim cum dixisset, rursus „subiunxit, *Et alius quidem esurit, alius autem „ebrius est.* Quae utraque non servatae mensurae „erant, indigentia nempe, et excessus. Ecce du„plex accusatio, qua impeterentur. Prima, quod suam „coenam dedecore afficiant; secunda, quod ventrem „impleant, et inebrientur, et quod gravius est, „esurientibus pauperibus. Quae enim omnibus in „communi apponenda erant, iis ipsi soli ingurgi-

„tati, et in insatiabilitatem, et in ebrietatem ver-
„tebant. Ideo non dixit, alius quidem esurit, alius
„satiatur, sed etiam ebrius est. Horum autem utrum-
„que per se dignum est reprehensione. Nam ine-
„briari etiam absque eo, quod despiciantur paupe-
„res, culpa est; et pauperes despicere absque ebrie-
„tate etiam criminatione dignum est. Cum autem
„haec simul coniuncta sunt, cogita, quantus sit ini-
„quitatis excessus?" Ea ratione nimirum, qua Christus ultimam celebravit coenam; fideles in primaeva Ecclesia celebrarunt Eucharisticum epulum post coenam ex aliis vulgaribus ferculis constantem. Ad hanc ergo et ditiores cibos contulerunt, atque hos deinde seorsim absumpserunt scissi in diversas mensas, non ut Christus cum discipulis communi omnes mensa utentes, et insuper excludendo pauperes, qui esurirent, dum alii inebriarentur. Ita quae Dominica coena debebat esse, amoris, et coniunctionis epulum, quod ipsum per Eucharistiam etiam efficeretur, ut omnes fideles, qui de uno pane participarent, unum fierent corpus Christi; supra cap. 10. v. 17. iam non fuit apud eos, quemadmodum Apostolus dixit, Dominica coena. Idcirco etiam infra versu 33. praescripsit, ut cum convenirent ad Dominicam coenam celebrandam, invicem exspectarent, coniunctimque omnes coenarent. 22. *Numquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.* Dum pauperes con-

temnerent, etiam Ecclesiam Dei contempserunt. Nam et illi pauperes erant pars Ecclesiae. Laudavit autem ipsos huius capitis versu secundo, quod per omnia eius memores essent, praeceptaque ipsius, sicut sibi haberent tradita, tenerent. Hoc igitur repetens, *laudabo*, inquit, *vos?* sic verbum est in futuro tempore in Graeco: ἐπαινέσω ὑμᾶς; laudabo aliis in rebus, at in isto vos non laudo.

23. *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem,* 24. *et gratias agens fregit, et dixit: Accipite, et manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem.* 25. *Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sangvine. Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Verba Christi, quibus consecravit calicem, sic referuntur a Matthaeo cap. 26. v. 28. „Hic est san„gvis meus novi testamenti, qui pro multis effun„detur in remissionem peccatorum.“ Paulus igitur ponendo: *Hic calix est*, calicis nomine idipsum, quod in calice esset, intellexit: idemque calix est novum testamentum, hoc est, quo novum testamentum sancitur per Christi sangvinem. Nam praepositionem *in* loco praepositionis *per* solere usurpari, iam saepe admodum declaratum est. 26. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis; mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Hoc est, mortis Domini memoriam celebrabitis, et re-

coletis, donec idem Dominus veniat. Ille vero ipsius adventus iste est, de quo Actor. 1. v. 11. ad Apostolos dictum est: „Hic Jesus, qui assumptus est „a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum „vidistis eum euntem in caelum.“ „Donec veniat, „id est, ait S. Thomas in Commentario, usque „ad ultimum eius adventum. In quo datur intelligi, „quod hic ritus Ecclesiae non cessabit usque ad fi„nem mundi.“ 27. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne; reus erit corporis, et sangvinis Domini.* S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, Reus erit, inquit, violati corporis, et sangvinis Domini. Quanta autem violatio sit, unde reus fiat, qui indigne sumit, aeternae damnationis; intelligitur ex eo, quod deinde versu 29. dicat eum, qui manducat, et bibit indigne, iudicium sibi manducare.

28. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* 29. *Qui enim manducat, et bibit indigne, iudicium sibi manducat, et bibit non diiudicans corpus Domini.* Qualisnam probatio intelligatur, declaravit Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 7. „Ecclesiastica, in„quit, consvetudo declarat, eam probationem ne„cessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis „peccati, quantumvis sibi contritus videatur, abs„que praemissa Sacramentali confessione ad sacram „Eucharistiam accedere debeat.“ Indigne autem manducans et bibens iudicium sibi manducat, et bi-

bit non diiudicans corpus Domini, „id est, ait S. „Chrysostomus homil. 28. non examinans, non co- „gitans, ut oporteret, propositorum magnitudinem, „et doni excellentiam. Nam si adcurate didiceris, „quis sit ille, qui proponitur, et quis, cui dat „seipsum; nullo alio opus habebis sermone; sed „hoc tibi satis erit ad vigilantiam.“ Non diiudicat ergo, qui non attendit, quis ille sit, quem sumit, atque panem illum sic sumit, quasi vulgaris tantum esset panis. Credit autem, qui Eucharistiam sumit, corpus esse Christi. Ergo sic non diiudicat corpus Domini per sumptionem indignam; ut negligat, et contemnat eum, quem sumit, quamvis sibi istud foedata conscientia non esse faciendum, sciat.

30. *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi.* Cum Eucharistia sit animae cibus, non corporis; qui male illam sumunt, atque inde vel infirmantur, vel etiam obdormiunt; sequitur etiam ad animam hanc et infirmitatem, et dormitionem esse referendam. Indignam vero hanc intelligi sumptionem Eucharistiae, ex antecedente versu perspicuum fit. Nam cum ibi de indigna sumptione locutus esset, ex qua iudicium manducaretur, et biberetur; hinc vero, et ex hac indigna sumptione sequelam dicat esse, quod multi inter Corinthios sint infirmi, et dormiant multi, *Ideo*, inquit, *inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi*, consequens est, et dormitionis nomine intelligi mortem animae, et per infirmitatem,

et imbecillitatem, pravas affectiones, et habitum peccandi. ,,Exsurge, qui dormis, et exsurge a mor- ,, tuis, et illuminabit te Christus" dicit Apostolus etiam in epistola ad Ephesios cap. 5. v. 14. dormitionis nomine similiter mortem intelligens per peccatum. Quem enim dormientem ad surgendum hortatus fuerat; eidem etiam dicit, ut a mortuis exsurgat.

31. *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur.* 32. *Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Cum iudicium paulo ante pro condemnatione positum sit: qua ratione apud Joannem etiam est capite 5. v. 24. ,, Amen, amen dico vobis, quia ,, qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit ,, me, habet vitam aeternam, et in iudicium non ve- ,,nit, sed transiit a morte ad vitam" et a Paulo ad Romanos cap. 2. v. 2. ,, Scimus enim, quoniam ,, iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui ,,talia agunt." et ad Galatas cap. 5. v. 10. ,, Qui ,, conturbat vos, portabit iudicium, quicumque est ,,ille" hic sumitur nunc pro sola castigatione. Ne enim damnemur, dicit nos iudicari, et dum iudicamur, corripi a Domino. *Corripimur*, Graece est, παιδευόμεθα *castigamur*. Praecessit: ,, Probet autem ,, seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de ,,calice bibat." Hunc ergo modum seipsum probandi uberius declarat Apostolus, ut digne Eucharistico epulo fruerentur, ne inde in somnum, infirmitatesque inciderent. Rursus vero cum sic positum sit,

ut si nos ipsi diiudicaremus, non a Domino tunc iudicaremur; iudicium vero hoc Dei significet hic modo, quemadmodum demonstratum est, castigationem; consequens est, ut haec diiudicatio significet castigationem, quam nobis ipsi ultro ad vindicanda nostra peccata assumeremus. Tanto enim quisque se longius removebit a committendis novis peccatis, seque ipsum probabit ad manducandum de illo pane; qui ob praeterita etiam peccata poenas a se desumit. Itaque perstringit Corinthios, quod ob ea peccata, quae commisissent, seipsos non castigarent, non poenitentiam exhiberent, et unde procliviores fierent ad committenda alia: et adeo docet necessarium esse, ut quisque seipsum diiudicet, quod si ipse erga se istud facere negligat, Dominus ipsum iudicaturus, hoc est, castigaturus sit: et quae tamen ipsa Dei erga hunc benignitas sit, quem castigando ab iniquitate retrahat, ne cum hoc mundo damnetur.

33. *Itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate.* 34. *Si quis esurit, domi manducet, ut non in iudicium conveniatis.* Illud vero hic iterum iudicium intelligitur, de quo antecessit versu 29. „Qui enim manducat, et „bibit indigne, iudicium sibi manducat, et bibit.“ *Cetera cum venero, disponam.* Ista cetera, quae se, cum ad eos venerit, dispositurum dixit, quaero, per scripturamne illis postea, an sine scripto tradidit? Ista quidem altera ratione oportuit fieri. Neque enim istarum rerum, quae disposuerit, cum

ad illos venisset, aliquod uspiam est in Scriptura sacra vestigium. Et certe, si per scripturam illa tradere voluisset, quemadmodum cetera, de quibus nunc scripsit, sic illa quoque perscribere potuisset. Sed nec Paulo, aut cuipiam Apostolo alteri mos fuit, si sola Evangelia excipiamus, ut scriberent ad alios, praeterquam ad absentes: doctrinam autem, quam coram proponebant, audientium tantum memoriae commendabant. „Quae audisti a me „per multos testes, haec commenda fidelibus ho„minibus, qui idonei erunt et alios docere.“ demandabat Paulus Timotheo 2. Epist. 2. v. 2. Si vero Paulus ea, quae apud Corinthios disposuit, cum ad eos venisset, non descripsit, nec hanc dispositionem per scripturam praestitit; recognoscant Augustani, atque Helvetae, esse quaepiam in observantia Religionis, quae descripta in sacris Literis non sint, quaeque sola via traditionis data Ecclesiae per Apostolum sint. De Eucharistia autem, quantum ad illa dogmata attinet, quae de ea profitetur Catholica Ecclesia, et in quibus a nobis dissentiunt iidem, qui sunt ex confessione Helvetica, et Augustana, egi, quemadmodum soleo, si se eiusmodi argumenta offerant, iam ad Matthaei cap. 26. v. 26. et Joannis cap. 6. v. 52.

CAPVT XII.

Tollit illam etiam ambitionem inter Corinthios, qua propter prophetiae, aliaque exteriora dona Spiritus sancti alii aliis se anteponebant, aut illa dona invidebant. Omnes esse unum corpus Christi, nec inter membra eiusdem corporis, quamvis alia aliud officium gerant, esse aliquod dissidium, et oportere esse diversitatem membrorum in corpore.

1. *De spiritualibus autem nolo vos ignorare fratres.* Quos nunc spirituales vocat, hos infra versu 3. in Spiritu Dei loquentes aliis verbis esse dixit. Erant igitur hi spirituales, qui Spiritus sancti aliquo externo dono, verbi gratia prophetiae, lingvarum, curationum, aut alio simili erant instructi, quae deinde hoc capite memorantur, et de quibus praecepta, atque documenta etiam per subsequentia duo capita dat. 2. *Scitis, quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes.* In altera parte versus verbum, *sum*, est elliptice praetermissum, quod ex anteriore parte intelligitur: Scitis, quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes eratis, ibatis. Quod vero in memoriam ipsis revocat, ut eo magis praestantiam Christianae Religionis aestimare scirent, eiusque certitudinem agnoscerent, qui Divini Spiritus tam illustria, tamque manifesta in seipsis cernerent documenta, atque Dei spiritum in seipsis nunc experirentur, qui antea muta simula-

tra coluerunt. 3. *Ideo notum facio vobis, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu: et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Anathema alicui dicere, est illum exsecrari, et ad exitium devovere. Dicere autem: Dominus Jesus, nemo potest, nisi per Spiritum sanctum. Praepositio enim *in* loco praepositionis *per* est posita. Hoc est ergo, nemo potest Dominum Jesum confiteri, et invocare, nisi per Spiritum sanctum, cuius lumine, atque dono illum agnovit. Quid vero ista dicendo Apostolus intendit? et quo spectant? Si Spiritum Dei haberent, nihil contrarium agerent Jesu Christo, quia nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu: neque ergo inter se dissiderent, et Christi corpus distraherent, siquidem ipsi sint Christi corpus, quemadmodum postea sequetur; et quoniam nemo etiam posset dicere, Dominus Jesus, nisi per Spiritum sanctum; quod in Christiana Religione consecuti essent; intelligerent Dei donum gratuitum esse, quodque is pro sua voluntate libere, cui voluit, et quantum voluit, tribuerit, nec proinde alter alteri, quod habet, debeat invidere, sed quod accepit, tamquam unum e membris in corpore, quae inter se minime dissiderent, etiamsi non omnia eumdem actum haberent, debeat in usum, et utilitatem corporis, cuius est membrum, conferre. Nam, quod hoc utrumque omnino huc pertineat; intelligitur ex istius orationis de spiritualibus, quem modo inchoavit, contextu. Cum enim dixisset: *De spiritualibus autem*

nolo vos ignorare fratres, et initium istius orationis fecisset, subiecit deinde: *Ideo notum vobis facio*, istudque utrumque ponens de anathemate, quod nemo in Spiritu Dei loquens diceret Jesu, neque Dominum Jesum quispiam posset dicere, nisi per Spiritum sanctum, ac deinde divisiones gratiarum per eumdem Spiritum sanctum exposuisset, usus illa voce causali, *ideo* satis indicavit, quo illud utrumque pertineret, et quod quasi pro fundamento collocaret istius, quod modo probaturus erat, ne dissidendo inter se, et invidendo adversus Christum iniuriosi, atque rebelles Spiritui sancto essent in eo ipso, quod ab eo benigne, munificeque acceperunt.

4. *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus:* 5. *et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus:* 6. *et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Divisiones gratiarum Graece, διαιρέσεις χαρισμάτων, *differentiae donorum.* Qua ratione vocabulum etiam ulterius utraque adhuc vice est, ubi Latinus divisiones itidem posuit. Per ministrationes intelliguntur munera in Ecclesia ad eius gubernationem, quemadmodum etiam in epistola ad Romanos est cap. 12. v. 6. „Habentes autem donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praeest in sollici-

„tudine, qui miseretur in hilaritate:“ et quemadmodum de se etiam Paulus supra dixit cap. 4. v. 1. „Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et „dispensatores mysteriorum Dei.“ Per operationes intelliguntur miracula, prodigia. Sic enim eam deinde versu decimo apertius operationem virtutum vocat ipse Paulus. Per Dominum S. Chrysostomus homil. 29. censuit intelligendum Filium, per Deum, Patrem. S. Thomas in Commentario vel isto, vel eo etiam modo, ut omnia tria nomina referantur ad eumdem sanctum Spiritum. „Quod dicit Spiritus, „verba sunt illius, potest referri ad personam Spi„ritus sancti; quod dicit Dominus, ad personam „Filii; quod dicit Deus, ad personam Patris: vel „haec tria attribui possunt Spiritui sancto, qui est „Dominus Deus.“ Atque ista altera ratione videtur hoc magis esse sumendum. Cum enim ulterius istas divisiones, et differentias donorum exposuisset, versu deinde undecimo iterum subiicit: „Haec autem „omnia operatur unus, atque idem Spiritus, di„videns singulis, prout vult:“ nec solet in Scriptura, dum Divinae Personae distincte recensentur, Spiritus sanctus praeponi Patri, et Filio, sed primum Pater, deinde Filius, ac demum Spiritus sanctus, non quasi non eadem dignitas, et aequalitas esset omnium trium Personarum; sed quod sic ordo demonstretur processionis, quae est Filii a Patre, et Spiritus sancti a Patre, et Filio. Documentum igitur hoc luculentum est de Spiritus sancti Divinitate, qui Dominus, et Deus esse demonstratur, et

cuius voluntati, et gratiae omnes donorum Divinorum largitiones attribuuntur.

7. *Unicuique autem autem manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Manifestatio scilicet per illud donum, ex quo vis, et operatio Divini Spiritus eluceret; ad utilitatem autem et aedificationem. Ex quo intelligi poterat, non debere eos abuti his donis ad id, quod Ecclesiae non conduceret. 8. *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum.* Cum sermonem sapientiae, et sermonem scientiae, tamquam diversa dona Paulus posuerit; sequitur omnino diversa esse. Capite sequente, versu secundo, cum iterum haec dona commemoraret, et scientiam eodem nomine iterum expressisset; pro sapientia posuit notitiam mysteriorum. „Si habuero, inquit, prophetiam, „et noverim mysteria omnia, et omnem scien„tiam.“ Ex quo perspicuum fit, Apostolum sapientiae nomine cognitionem mysteriorum intellexisse, per sermonem autem scientiae, eloquentiam, docendique peritiam ad eadem illa mysteria explicanda. 9. *Alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu.* Fides, quod hic non illa intelligatur, qua assensum rebus a Deo revelatis praestamus, haec enim una, eademque in omnibus esse debet, est enim una fides Eph. 4. v. 5. rursus manifestum fit ex capitis sequentis versu eodem secundo, ubi rursus, „Et si habuero, „inquit, omnem fidem, ita ut montes transferam,

„charitatem autem non habuero, nihil sum.“ Est ergo haec illa fides, ait S. Chrysostomus homil. 29. non quae dogmata spectat, sed fides signorum. 10. *Alii operatio virtutum, alii discretio spirituum, alii genera lingvarum, alii interpretatio sermonum.* Per operationes virtutum, Graece, ἐνεργήματα δυνάμεων, prodigiorum patrationes intelliguntur. Sic enim nomine virtutum etiam de Christo miracula designantur Matth. 13. v. 58. „Et „non fecit ibi virtutes multas (δυνάμεις πολλὰς) pro„pter incredulitatem eorum“ et saepe alibi sic idem vocabulum usurpatur. Discretio spirituum, in quonam consisteret, palam fit ex eo, quod infra capite 14. versu 29. est: „Prophetae autem duo, „aut tres dicant, et ceteri diiudicent.“ Fuit nimirum donum discernendi, num ea, quae ab aliquo dicerentur, a Divino reipsa, an tantum ab humano spiritu proficiscerentur. *Interpretatio sermonum*, Graece est, ἑρμηνεία γλωσσῶν, *interpretatio lingvarum.* Erat igitur istud diversum donum a priore, quod *genus lingvarum* vocatur, et in eo positum, ut hoc quispiam, quod sive ipse, sive alter peregrina aliqua lingva fuerat locutus, sciret alteri ignoranti illam lingvam explicare. Erat ergo donum lingvarum non cum ipsa etiam facultate explicandi semper apud omnes coniunctum. Nempe, non lingvarum etiam scientia omnium dabatur semper omnibus, qui lingvarum hocce donum accipiebant, sed saepe tantum aliquarum. Nam si, qui lingvis loquebatur peregrinis, omnes semper

prorsus lingvas scivisset; nemo fuisset; cum quo non sic posset loqui, ut ab eo intelligeretur. Neque ergo opus fuisset aliquo alio, qui interpretaretur. Quod sic fuisse, declarant illa, quae capite 14. versu 6. de hoc eodem lingvarum dono scripta a Paulo sunt. „Nunc autem, fratres, in„quit, si venero ad vos lingvis loquens, quid vo„bis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, „aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctri„na?" Et rursus: „Per lingvam, nisi manife„stum sermonem dederitis, quomodo scietur id, „quod dicitur?" - - - Et ideo, qui loquitur lin„gva, oret, ut interpretetur." Et idcirco etiam de seipso ibidem versu 18. „Gratias, inquit, ago Deo „meo, quod omnium vestrum lingva loquor."

11. *Haec autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* 12. *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus.* „Hoc autem vult significare; ait S. Chrysostomus „homil. 30. Ita et Christi corpus, quod est Eccle„sia. Sicut enim corpus, et caput unus sunt homo; „ita et Ecclesiam, et Christum unum esse dixit. „Ideo Christum pro Eccesia posuit, corpus eius „sic vocans." Sic Christum esse a Paulo hic sumptum etiam ex eo, quod infra versu 27. est, manifestum fit. „Vos autem estis, inquit, corpus „Christi, et membra de membro." 13. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus bapti-*

zati sumus, sive Judaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi, et omnes in uno Spiritu potati sumus. Donum Spiritus sancti etiam Christus nomine aquae expressit, qua eos potaret, qui in eum crederent, „Stabat Jesus, et clamabat dicens: Si quis sitit, „veniat ad me, et bibat: Qui credit in me, sicut „dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae „vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi „erant credentes in eum.“ Joan. 7. v. 37. Pertinet autem hoc eo, ne propter differentiam donorum, aliquam simultatem inter seipsos haberent; quemadmodum nec membra eiusdem corporis, licet non idem officium gerant, inter se dissident, sed mutuis auxiliis indigeant, atque sic ipsa varietas etiam membrorum corpori necessaria sit, ut sine ea ne corpus quidem constare posset.

14. *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa.* 15. *Si dixerit pes: Quoniam non sum manus; non sum de corpore: num ideo non est de corpore?* 16. *Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus; non sum de corpore: num ideo non est de corpore?* In utroque hoc versiculo, quod pes, et quod auris inducitur loqui, sic est sumendum, ut quod anterius in utriusque dicto est, sit quasi periodi protasis, quod vero posterius, apodosis, ad huncce modum. Si dixerit pes; ideo quod non sim manus; non sum de corpore. Item alterum est etiam sic accipiendum. 17. *Si totum corpus, oculus; ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus?* 18. *Nunc autem posuit Deus membra, unumquod-*

que eorum in corpore, sicut voluit. 19. *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?* 20. *Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.* 21. *Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii.* 22. *Sed multo magis, quae videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt:* 23. *et quae putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus, et quae inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.* Infirmiora membra corporis nostri sunt, unde machina ventris constat. Quae omnia in eo sic sunt necessaria, ut si unum ita laedatur, ut suo non fungi possit officio, ne vita quidem totius corporis servari possit, cum manus, pes, quae validiora sunt membra, sic ad ipsius vitae conservationem non sint necessaria. His enim abscissis homo vivere potest. *Inhonesta autem nostra abundantiorem honestatem*, Graece, *indecora nostra ampliorem decorem*, ἀσχήμονα ἡμῶν εὐσχημοσύνην περισσοτέραν, *habent*. Quae scilicet maiore cura, ac diligentia vestiuntur, et teguntur, quam partes aliae corporis. „Quid enim „partibus genitalibus, ait S. Chrysostomus homil. „31. in nobis videtur inhonestius esse? Attamen „maiorem assequuntur honorem; et qui admodum „pauperes sunt, etiamsi reliquum corpus nudum „habeant; numquam patiuntur hasce partes nudas „ostendere.“ Quae putamus ignobiliora, Graece est, καὶ ἃ δοκοῦμεν ἀτιμότερα εἶναι; verbum autem,

δοκέω, Graecis, ut iam alias etiam a me demonstratum est, non significat semper solam opinationem, sed certam asseverationem. Itaque etiam hic idem, quod prius quasi opinando secundum Latinam versionem positum fuit; deinde certa asseveratione repetitur sic: *Inhonesta autem nostra abundantiorem honestatem habent.* Et certe indecorum, et inhonestum non tantum videntur habere, sed reipsa habent genitalia membra nostra, quando id, quod in homine inferius est, et caro rationis imperio non paret, et cuius repugnantiae adversus naturalem ordinem hominem, quando ad rationem advertit, naturaliter pudet. Nam quae alia ratio fuit, quod primos homines illico post peccatum nuditatis suae puduerat, cuius ante peccatum pudor nullus fuit? Gen. 3. v. 7. Hinc vero, quoniam Apostolus inhonestum dixerit, quod si ita mansisset, ut a Deo productum fuit, inhonestum dici non potuisset, et cuius hominem deberet pudere; nam omne, quod Deus fecit, bonum, et honestum esse oportuit; intulit S. Augustinus, et isto argumento etiam pressit Julianum episcopum Ecclanensem Pelagianum, concupiscentiae rationi contrarios motus non esse secundum naturam, ut hanc produxit Deus, sed quae corrupta, et vitiata postea per peccatum sit: et quoniam ista rebellio carnis in omnibus sit, et nobis congenita, qui descendimus ab Adamo; peccatum, quod ille peccavit, ab illo fluxisse in omnes etiam illius posteros. „Quae Deus honesta fecerat, „verba sunt ipsius lib. 4. contra Julian. cap. 16.

„dixit Apostolus inhonesta. Causam requiro. Si „hoc non peccato factum est, unde factum est? „Quis honesta Dei opera dehonestavit, ut ea in„honesta sanctus Apostolus diceret? Utrum habi„tudo, in qua est solertia creantis, an libido, in „qua est poena peccantis? Nam etiam nunc, quod „Deus ibi facit, honestum est; quod origo contra„hit, inhonestum. Et tamen ne sint scissurae in „corpore, contributum est Divinitus sensui natura„li; ut pro invicem sollicita sint membra, et quod „dehonestavit concupiscentia, contegat verecundia."

24. *Honesta autem nostra nullius egent. Sed Deus temperavit corpus ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem,* 25. *ut non sit schisma in corpore.* Honesta autem nostra nullius egent, intellige velaminis, et tegumenti propter verecundiam. Neque enim faciem, et caput tegimus, quasi nos pudeat, si videantur. Sed Deus sic conformavit corpus, ut ei membro, in quo inesset minor dignitas; tamen honor, et obsequium impenderetur a membro digniore. Nam certe digniores sunt manus, quam pedes: et tamen pedibus famulantur manus, ut vestiantur, et tegantur, quin pedum obsequio eiusmodi indigeant manus. Atque sic Deus formavit corpus, ne ullum in eo inter membra existeret schisma, atque dissidium: *Sed idipsum pro invicem sollicita sint membra:* 26. *et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* 27. *Vos autem estis corpus Chri-*

sti, et membra de membro: Graece: *membra ex parte*, μέλη ἐκ μέρους: qui scilicet non ipsi soli constituant totum corpus, sed membra sint, quae spectent ad aliquam tantum eius partem: quemadmodum et ad Romanos cap. 12. v. 5. scriptum est. „Multi, inquit, unum corpus sumus in Christo, „singuli autem alter alterius membra:" tamquam ex quibus non singulis seorsim, sed ex omnibus inter se coniunctis, sibique additis existeret corpus, alterumque membrum altero opus haberet, ut integrum constet corpus.

28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera lingvarum, interpretationes sermonum.* Virtutes, abstractum nomen positum est pro iis, qui donum acceperunt virtutes operandi. Per operationem autem virtutum iam supra ad versum decimum demonstratum est, intelligi donum patrandi miracula. Opitulatio etiam in epistola ad Romanos capite 12. versu 8. inter donationes, et munia, quae membra sibi mutuo deberent praestare, est collocata. „Qui „tribuit, inquit, in simplicitate, qui praeest in sol„licitudine, qui miseretur in hilaritate." Hoc vero cum omnium sit, neque enim quisquam est, qui charitatis praeceptum sibi datum non habeat, quo subveniat indigenti; tum in Ecclesia eleemosynis speciatim etiam praeesse consveverant, qui viduarum, pupillorum, et pauperum curam gererent praeben-

do necessaria, et administrando, quae erant collata a fidelibus. Prophetae, qui futura ergà Christum praedicerent, et cuiusmodi fuerunt, ante quam Christus venisset, desierunt in eius adventu. „Omnes „enim prophetae, et lex usque ad Joannem pro„phetaverunt.“ Matth. 11. v. 13. Erant nihilominus etiam in novo testamento, qui prophetae dicebantur, de quibus est infra capitis 14. versu 29. „Prophetae autem duo, aut tres dicant, et ceteri „diiudicent. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, „prior taceat. Potestis enim omnes per singulos pro„phetare, ut omnes discant, et omnes exhorten„tur.“ Prophetae erant, qui per Spiritus sancti revelationem fidei mysteria ad discendum proponerent, qua de re iam etiam dictum est ad Romanos cap. 12. v. 6. Docebant autem utique etiam Doctores. Sed erat tamen inter Prophetam, et doctorem discrimen. „Nam, qui prophetat, ait S. Chrysosto„mus homil. 32. omnia a Spiritu loquitur; qui do„cet autem, aliquando ex propria mente disserit.“ Ultimum illud in hocce versu: *Interpretationes sermonum*, nec in Graeco fonte existit, nec in ulla Orientali versione, nec apud interpretes plerosque aliquod eius est vestigium. Ex versu decimo videtur huc etiam transfluxisse cuiusdam praepostera diligentia volentis supplere illud, quod videretur deesse, quasi excidisset. 29. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes doctores? 30. Numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes*

lingvis loquuntur? numquid omnes interpretantur? 31. *Aemulamini autem charismata meliora.* Charisma, Graecum est vocabulum, quod significat donum. Meliora autem intelliguntur ea charismata, quae magis conducerent ad Ecclesiae aedificationem, et utilitatem. Nam et capite 14. versu 5. dicit: „Volo autem omnes vos loqui lingvis, magis autem „prophetare," donumque prophetiae anteponit lingvarum dono. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro:* „Charitatem dicens, ait S. Chrysosto„mus homil. 32. erga proximum:" et de qua charitate, sine qua omnia alia dona non prosint ei, qui illa habet, sequenti deinde capite disserit.

CAPVT XIII.

Cetera dona sine charitate ei, qui illa habet, nihil prodesse, esse eam patientem, ac benignam erga omnes, et quae ceteris omnibus, ipsaque etiam fide, atque spe transeunte, perseveret perpetuo.

1. *SI lingvis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens.* „Quid significat „illud, ait S. Chrysostomus homil. 32. *hominum?* „omnium per orbem gentium. Neque tamen hac „hyperbole contentus fuit, sed aliam longe maio„rem ponit, subiungens, ac dicens, *et Angelorum,* „*charitatem autem non habeam, factus sum aes* „*sonans, aut cymbalum tinniens.* Viden, quonam

„usque elatum charisma, quonam usque demiserit „ipsum, et proiecerit? Neque enim solum dixit, „nihil sum, sed factus sum aes sonans, insensibi„le quid, et inanimatum.“ De lingvarum igitur dono loquitur, et ei, qui illud habet, docet nihil prodesse, et esse sonum vocis sine anima similem ei, quam edit percussum aes, aut cymbalum. 2. *Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum.* 3. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Fidem non eam hic intelligi ab Apostolo, qua veritatibus a Deo revelatis assensum praestamus; illud declarat, quod additum sit: *ita ut montes transferam*, et qua de fide etiam Christus ad discipulos, cum fuissent mirati, ad illius verbum subito esse arefactam ficulneam, sic dixit: „Amen dico vobis, si habueritis „fidem, et non haesitaveritis, non solum de ficul„nea facietis, sed et si monti huic dixeritis, Tol„le, et iacta te in mare, fiet.“ Matth. 21. v. 21. Sed tamen non eo minus illa etiam fides, etsi de illa hic sermo non sit, qua assentimur iis, quae nobis a Deo sunt revelata, si charitate careat, inanis est, siquidem Apostolus dicat in Christo Jesu non valere nisi fidem, quae per charitatem operatur, Gal. 5. v. 6. qua de re iam saepe dictum est. Illud vero hic videri potest paradoxum, quomodo, qui

qui in cibos pauperum omnes suas facultates elargitur, non habeat charitatem? Potest autem quispiam misericordiae opus exercere, quin amore illius cui benigne facit, ductus, misericordiam illam exerceat. Nam et Pharisaeos Christus saepe obiurgavit, quod eleemosynam tantum ideo tribuerent, ut gloriam sibi captarent apud homines. Qui ergo, ista, aut alia simili de causa facultates suas omnes effunderet in pauperes, tamen nihil apud Deum assequeretur, qui beneficentiam illam suam non propter Deum praestitit. Pariter ergo, qui corpus etiam suum traderet ad comburendum, si istud non faciat ex charitate, nihil qualicumque suo supplicio sibi lucrabitur apud Deum. Nam inter ipsos etiam gentiles exstant complura exempla, qui in cruciatus, atque mortes ruerint, sed gloriae post se relinquendae gratia. „Videte, ait S. Augustinus Tract. 8. „in Epist. S. Joannis cap. 4. quanta opera faciat „superbia: ponite in corde, quam similia facit, et „quasi paria charitati. Pascit esurientem charitas, „pascit et superbia: charitas, ut Deus laudetur; „superbia, ut ipsa laudetur. Vestit nudum charitas, „vestit et superbia. Jeiunat charitas, ieiunat et su„perbia. Sepelit mortuos charitas, sepelit et su„perbia. Omnia opera bona, quae vult facere cha„ritas, et facit; agitat contra superbia, et quasi „ducit equos suos. In operibus non discernimus. „Audeo aliquid dicere, sed non ego, Paulus dixit. „Moritur charitas, id est, homo habens charitatem, „confitetur nomen Christi, ducit martyrium: confi-

„tetur et superbia, ducit et martyrium. Ille habet „charitatem; ille non habet charitatem. Sed audiat „ab Apostolo ille, qui non habet charitatem: si „distribuero omnia mea pauperibus, et si tradidero „corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non „habuero, nihil mihi prodest."

4. *Charitas patiens est, benigna est: charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur.* Fuit superioris capitis versu ultimo, Aemulamini charismata meliora; hic dicitur, charitatem non aemulari. Aemulor, perinde ut Graecum, ζηλόω, significat contentionem, et conatum aliquid assequendi. Quod quoniam et vitiose, et cum laude potest fieri; ipsum quoque verbum iam in hanc, iam in partem alteram utrobique, apud Graecos, et Latinos sumi consvevit. Quae ergo prius aemulatio bona intelligebatur, obtinendi, quod observaretur esse bonum, sui tantum boni acquirendi causa; haec modo quoad nomen etiam aemulatio dicta, aemulatio est, sed virulenta, in qua dolor est de alieno bono, quaeque proprie dici solet invidentia. Quare Syrus vertit: *Charitas non invidet.* Non agit perperam: Syrus vertit: *Non est tumultuosa*, Arabs, *non fucate loquitur*, Graece autem est, οὐ περπερεύεται, quod verbum significat generatim aliquam insolentiam. 5. *Non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum,* 6. *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Non est ambitiosa Graece, οὐκ ἀσχημονεῖ: *Non indecore fert.* Itaque modestia exprimitur, qua

aliquis alterius causa etiam vilia, et abiecta libenter subit. „Neque dixit, ait S. Chrysostomus hom. 33. non indecore quidem patitur, sed dedecus fert generose; sed quod ne sensum quidem dedecoris habeat. Nam si pecuniae amantes, probrosa omnia pro illa cauponatione ferentes, non modo non erubescunt, sed etiam exultant; multo magis is, qui laudabilem hanc charitatem habet, pro dilectorum securitate nihil omnino recusabit, sed neque patiens erubescet." Congaudere autem veritati, cum positum sit velut ex adverso, gaudere super iniquitate; intelligitur haec veritas eadem etiam esse, quae est aequitas, quaeque charitas delectetur iustitia, et probitate, quam in aliis videt, atque aversetur omne malum. 7. *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Omnia suffert: Graece, πάντα ϛέγει: quod verbum significat tegere quidpiam, silentio transmittere, dissimulare. Itaque refertur istud ad alienas imbecillitates, quas charitas soleat aequo animo tolerare: de quibus patienter ferendis etiam ad Romanos scripsit Apostolus: „Debemus, inquit, nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere." Rom. 15. v. 32. *Omnia credit, omnia sperat*, quae scilicet exspectantibus bona promissa per Christum sunt. Nam eo hoc utrumque pertinere, subsequens deinde etiam istud, *Omnia sustinet*, declarat: quae scilicet charitas inter adversitates non deficiat, nec desperet, et diffidat iis, quae sibi habet, si perseveraverit, promissa.

8. *Charitas numquam excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive lingvae cessabunt, sive scientia destruetur.* Illud de praeterito est dictum: Charitas numquam excidit, evacuatio autem prophetiarum, cessatio lingvarum, et scientiae destructio, tamquam quae adhuc futura sit. Igitur hic quoque in altera parte intelligendum est, etiam cum prophetiae fuerint evacuatae, lingvae cessaverint, et scientia fuerit destructa; tamen non futurum, ut charitas unquam excidat, atque eius perpetuitas demonstratur, cum cetera tantum hic durent, quamdiu temporalem vitam ducimus. Rursus igitur charitatis dignitas, atque excellentia etiam ista ratione commendabatur. „Cum charitatis excellentiam „ostendisset, ait S. Chrysostomus homil. 34. ex „eo, quod et charismata, et ea, quae in vita prae-„clare aguntur, ea indigeant, ex eo, quod eius „omnes virtutes enumeraverit, et perfectae philo-„sophiae fundamentum esse probaverit, ex alio „rursus, tertioque capite eius ostendit dignitatem. „Et hoc facit, tum ut illis, qui minus habere vi-„debantur, persvadeat, licere ipsis signorum etiam „caput, et facultatem habere, nihilque minus ob-„tinere, quam ii, qui charismata habent, si illam „haberent, imo multo maius: tum etiam, ut eos, „qui maiora charismata haberent, indeque extolle-„rentur, hinc deprimat, et ostendat eos nihil ha-„bere, nisi hanc obtineant. Ita enim mutuo se se „dilecturi erant, invidia, et arrogantia sic de me-„dio sublatis.“ — — — Sed quod prophetiae, et

„lingvae cessent, mirum non est, quod autem „scientia destruatur, hoc certe quaestionem movet. „Nam et hoc adiecit dicens, *sive scientia destrue-* „*tur*. Quid ergo? in ignorantia tunc victuri sumus? „Absit. Nam tunc maxime augenda scientia est, „ideoque dicebat, *Tunc cognoscam, sicut et cog-* „*nitus sum*. Propterea, ne perinde, atque prophe- „tiam, et lingvas, hanc cessaturam esse putares, „cum dixisset, *sive scientia destruetur*, non ta- „cuit, sed modum destructionis subiunxit, cito ad- „dens illud: *Ex parte cognoscimus, et ex parte* „*prophetamus. Cum autem venerit, quod perfe-* „*ctum est, tunc evacuabitur, quod ex parte est.* „Non ergo scientia destruitur, sed illa ex parte „tantum scientia.“

9. *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus.* 10. *Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Bonorum, quae exspectamus per Christum, notitiam, nunc tantum per fidem habemus, et videmus nunc per speculum in aenigmate, quemadmodum infra versu 12. est, tunc autem facie ad faciem. Prophetice autem illa cognoscuntur, quorum adventus tantummodo creditur, quin iam cernantur, et coram videantur. Quatenus ergo notitiam futurorum bonorum per fidem habemus; cognoscimus illa ex parte; quatenus vero illa nondum videmus; sed ventura per spem complectimur; de iisdem bonis prophetamus. Cum vero venerit clara, et perfecta notitia, atque illa facie ad faciem visio; cessabit haec,

quae nunc est per fidem, imperfecta cognitio. 11. *Cum essem parvulus, loquebar, ut puvulus; sapiebam, ut parvulus; cogitabam, ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi, quae erant parvuli.* Aetatem parvuli cum praesenti, viri aetatem cum futurae vitae statu comparat, atque figura sermonis utitur loquens in sua persona de eo, qui iam ad illam in caelo maturae scientiae aetatem pervenit. Quod idem altera etiam similitudine efficit, quemadmodum versu subsequente sequitur.

12. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Quod per speculum videtur, tantum in imagine videtur: in aenigmate, hoc est, obscure. Sunt enim aenigmata propositiones eiusmodi, quae certam quidem veritatem continent; sed quae eousque non perspiciatur, et clare intelligatur, donec aenigma dissolvatur. Facie ad faciem, est desumptum, ex illa nostra cognoscendi ratione, qua nunc certissima utimur, quando quidpiam coram intuemur, et sic, quemadmodum homo alter alterum hominem videt, qui sibi invicem in conspectu sunt. *Tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*, hoc est, quod quemadmodum Deus non tantum per figuram, et umbram, sed per essentiam meam me videt; ita et ego illum non iam per speculum in aenigmate, verum etiam secundum essentiam visurus sim. Deus autem me insuper comprehendit: illum vero

beati in caelo quamvis clare videant, tamen non comprehendunt. Est enim infinitus. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec: maior autem horum est charitas.* Cum dicit tria haec manere nunc; innuit non omnia haec tria, quemadmodum nunc, mansura semper. Fides videlicet, et spes cessabit. Evacuabitur enim illud, quod nunc ex parte est, cum illud, quod plenum, atque perfectum est, successerit. „Fides, et spes, ait S. „Chrysostomus homil. 34. cum advenerint bona, „quae credita, et sperata fuerunt, cessabunt. Et „hoc significans Paulus dicebat: *Spes enim, quae „videtur, non est spes: quod enim videt quis, „quid etiam speret?* Rom. 8. v. 24. Rursum: *Est „autem fides eorum, quae sperantur, substantia, „rerum, quae non videntur, argumentum.* Hebr. „12. v. 1. Quamobrem hae quidem cessabunt, cum „illa apparuerint. Charitas autem tunc maxime ex-„tollitur, et fit vehementior. Quomodo ergo ma-„ior est charitas? quod illa transeant?" sed et inde maior est charitas, quod fides, et spes sine charitate ad salutem sola non prosint. In charitate autem insint omnia. „Plenitudo enim legis dilectio." Rom. 13. v. 10.

CAPVT XIV.

Sectandam esse charitatem ante omnia: deinde spiritualibus donis acquirendis esse iis studendum cumprimis, quae utiliora fidelium aedificationi in Ecclesia sunt, nominatimque prophetia lingvarum dono anteponitur. Monet, ut omnia ordinate in Ecclesia fiant, nec mulieres in ea sinit loqui.

1. Sectamini *charitatem, aemulamini spiritualia, magis autem, ut prophetetis.* Instar conclusionis hoc de sectanda charitate posuit, postquam eam superiore capite omnibus aliis rebus anteposuit, et sine qua infructuosa omnia dona alia esse ostendit illis ipsis, qui instructi quantumcumque illis essent. Ne vero rursus videretur cetera dona, quasi abiicere, sunt enim dona omnia Spiritus sancti in honore, ac pretio habenda; ad aemulanda ipsa etiam spiritualia hortatur, sed sic, ut ad acquirendam prophetiam inter haec cumprimis hortetur, tamquam cuius maior usus, et utilitas in aedificandis aliis ad pietatem Religionis sit. Per spiritualia autem intelliguntur Spiritus sancti dona, quorum recensio capite 12. v. 8. facta est, et ob quae ii, qui instructi essent aliquo ex illis dono, etiam spirituales appellarentur, quemadmodum eiusdem duodecimi capitis versu primo est. Prophetare autem, et prophetia, quod hic non in vulgari illa significatione sumatur pro praedictione futurae

cuiusdam rei per revelationem Spiritus sancti, sed pro notitia mysteriorum fidei, eorumque explicatione; et supra ad capitis 12. versum 28. itemque in epistola ad Romanos cap. 12. v. 6. iam declaratum est; et idem etiam intelligitur ex tractatione totius istius capitis. Sic enim est deinde illico versu tertio: „Qui prophetat, hominibus loquitur ad „aedificationem, et exhortationem, et consolatio-„nem,“ et versu 31. „Potestis omnes per singulos „prophetare, ut omnes discant, et omnes ex-„hortentur.“

2. *Qui enim loquitur lingva, non hominibus loquitur, sed Deo. Nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria.* Perperam plures Codices hic habent non Spiritu, sed Spiritus: contraquam sit in Graeco, et in Orientalibus omnibus versionibus, ipsisque manuscriptis codicibus Latinis. Qui lingva autem loquitur, hunc loqui Deo non hominibus dicit, quod nemo ipsum audiat, hoc est, intelligat. Utique autem lingva haec peregrina intelligitur, quam non percipiant ii, coram quibus sermo fit. Itaque tali lingva loquens soli Deo loquitur, qui loquentem solus audiat, et intelligat: quamvis eadem illa lingva mysteria proferret spiritu, qui eum ad loquendum moveret. „Vide, ait „S. Chrysostomus homil. 35. quomodo idipsum et „deprimit, et extollit. Nam dicendo, *Qui loqui-„tur lingvis, non hominibus loquitur, sed Deo, „nemo enim audit*, depressit illud, ostendens non „magnam esse utilitatem, subiungendo autem,

„Spiritu loquitur mysteria, rursus extulit, ne vide-„retur esse supervacaneum, et inutile, et temere, „et frustra datum.“ 3. *Nam, qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, et exhortationem, et consolationem.* 4. *Qui loquitur lingva, semetipsum aedificat: qui autem prophetat, Ecclesiam Dei aedificat.* 5. *Volo autem omnes vos loqui lingvis, magis autem prophetare. Nam maior est, qui prophetat, quam qui loquitur lingvis, nisi forte interpretetur, ut Ecclesia aedificationem accipiat.* Nisi forte interpretetur, et quod peregrina lingva pronunciavit; idem etiam ea lingva, quae nota est, explicet, quod dictum a se peregrina lingva fuit, ut sic Ecclesia aedificationem, et fideles fructum ex eo, quod lingva peregrina locutus est, percipiant. Seipsum enim, qui peregrina lingva, et ignota loquebatur, aedificabat, qui mysterium a se ennunciatum ipse tantum intelligeret, non autem alios, qui inde fructum non possent capere.

6. *Nunc autem, fratres, si venero ad vos lingvis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina?* „Hoc autem vult si-„gnificare, ait S. Chrysostomus homil. 35. nisi ali-„quid dixero, quod a vobis facile possit capi, et „possit esse manifestum, sed tantum ostendero me „habere donum lingvarum; abitis, nullo lucro fa-„cto ex lingvis, quas audistis. Quid enim lucri ex „voce, quam non intelligitis?“ Sensus igitur est, si lingvis tantum locutus fuero, quas vos non intel-

ligitis, nihil vobis prodero, nisi simul vobis loquar in revelatione, id est, cum revelatione, cum scientia, cum prophetia, cum doctrina: uti scilicet vos revelatam aliquam rem percipiatis, scientiam, atque instructionem accipiatis, prophetiam, et declarationem cuiusdam doctrinae discatis, doctrinamque hauriatis. Licet vero scientia, et doctrina ad unum, idemque videantur pertinere; tamen inter se differunt, quod scientia iam doctrinae comprehensionem proprie significet, doctrina vero scientiae communicationem. Praepositio autem *in*, more Hebraeorum loquendi, cuius usus etiam in Graeca Apostolorum loquela esse solet, posita est in locum praepositionis *cum*. Cuiusmodi illud est, quod ab Jacobo fuit dictum „In baculo meo transivi Jor„danem" Gen. 32. v. 10. et qua ratione etiam Paulus huius epistolae cap. 4. v. 21. dixit: „Quid „vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, „et spiritu mansvetudinis?" 7. *Tamen quae sine anima sunt, vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id, quod canitur, aut quod citharizatur?* 8. *Etenim, si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?* 9. *Ita et vos per lingvam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id, quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes.* 10. *Tam multa, ut puta, genera lingvarum sunt in hoc mundo, et nihil sine voce est.* Ut puta, Graece est, εἰ τύχοι, *si contigerit.* Sensus est, Tam multa sunt genera lingvarum, si quempiam

contigerit his loqui: et quamvis nulla sine voce sit, hoc est, sonum habeat; tamen, si non fuerit intellectum, id, quod eiusmodi lingva ignota dicetur, tantummodo in aerem mittetur.

11. *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus; et qui loquitur, mihi barbarus.* 12. *Sic et vos, quoniam aemulatores estis spirituum, ad aedificationem Ecclesiae, quaerite, ut abundetis.* Dixerat illorum etiam, quae canora sunt instrumenta, nisi sonus intelligatur, quo pertineat, qui editur, uti tubae in bello, sonum illum esse inanem atque nullius usus, nisi ut aerem verberet. Hinc igitur infert, ut cum aemulatores spirituum sint, hoc est istius generis dona appeterent, aliique aliis illa inviderent; omnino quaerant illa habere, hisque affluere, sed quibus ad aedificationem Ecclesiae aliquid conferant. „Vidistin eius sco„pum semper, ait S. Chrysostomus homil. 35. et „ubique unum esse? Eam ceu regulam ponit, quae „multis utilis sit, et Ecclesiam iuvet. Neque dixit, „ut dona possideatis, sed ut abundetis, hoc est, „ut cum magna copia illa habeatis. Tantum enim „abest, ut nolim vos ea habere, ut velim etiam „vos eis abundare, modo ea exerceatis ad id, quod „in commune est utile. Quomodo autem hoc fiat, „dicit, et subiungit.“

13. *Et ideo, qui loquitur lingva, oret, ut interpretetur.* 14. *Nam si orem lingva, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.* 15. *Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente: psal-*

lam spiritu, *psallam et mente.* Qui ergo loquere-tur lingva, oret, inquit, ut id, quod loquitur, interpretari etiam sciat, et intelligatur ab aliis. Id quod deinde tali confirmat ratione, ut si ipse motus a Spiritu sancto peregrina lingva Deum precaretur, quin istud inteliigeret, spiritu oraret, non vero mente: et cum mens nesciret, quid lingva proferat, spiritu mota, sine fructu esset., utpote nesciens, quid per lingvam agatur. Conditionem autem tantum istam ipse ponit, quo idem, sine fructu cerneretur etiam esse erga alios. Neque enim cogitandum est, aliquos sic Dei Spiritu fuisse actos, ut peregrina lingva loquerentur, quin vel ipsi hoc, quod loquerentur, intelligerent. Et quia tamen hos Apostolus hortatur, ut pro dono interpretationis Deum orarent; intelligitur, his non omnibus, peregrina lingva loquentibus, una etiam donum datum fuisse, ut idem, quod peregrina lingva fuerunt locuti, scirent Graeca lingva, quae Corinthiis fuit nativa, explicare. Atque hoc est, quod deinde infra versu 27. Apostolus praeceperit, ut cum unus, aut alter, aut ad summum tres fuissent lingvis locuti, idque distincte, et seorsim; quispiam deinde illorum dicta interpretaretur: et si nullus adesset, qui interpretari posset, nequidem loquerentur, sed tacerent. Nam si illi ipsi, se etiam explicare scivissent; alter, qui interpretaretur, quaerendus non fuisset. Cur Deus sic dona haec distribuerit, et ab invicem, licet non semper, etiam distraxerit, quis illius consiliarius fuit? Divisit au-

tem illa singulis, prout voluit. Supra cap. 12. v. 11. Fortasse, quo magis appareret, atque in oculos incurreret, Divini arbitrii totum illud esse, quod per eos, qui dona illa haberent, fieret.

16. *Ceterum, si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam, quid dicas, nescit.* Si benedixeris, Deum videlicet precibus honorando, et inter preces laudando, spiritu, doni scilicet illius munere, quod a Deo habes, sed tamen peregrina lingva, quomodo is, qui supplet locum idiotae, ad tuam benedictionem respondebit, Amen? Idiota est vox Graeca, quae significat hominem privatum, nullo aliquo officio publico fungentem, ac proinde aliquem de plebe. Quia autem hi plerumque rudes, atque illiterati esse solent; latius idiotae nomen ad hanc quoque significationem pro ignaro, et rudi adhiberi consvevit. Illud, *Qui supplet locum*, Graece est, ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον, *qui implet locum.* Quod vero, vel istum sensum habere potest, ut quispiam intelligatur, qui de idiotarum esset numero; vel vero hoc ex vetustissimo illo more est Ecclesiae, secundum quem morem, quem ex lyturgiis etiam S. Basilii, et Chrysostomi fuisse constat, cum responderetur ad preces, quae ab alio recitabantur, Amen a populo, et quem respondendi morem iam tum fuisse, satis hoc indicat, quod nisi is fuisset, hinc argumentum Apostolus sumere non potuisset; negaverit, convenienter responderi posse ab idiota, et a quocumque de populo, illius-

que lingvae ignaro, Amen, qua benedictio, et precatio pronunciaretur, qui non intelligeret, quidnam pronunciatum sit.

17. *Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non aedificatur.* 18. *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingva loquor.* 19. *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingva.* „Quid est, sensu meo loqui, ait S. Chry-„sostomus homil. 35. ut et alios instituam? intel-„ligens, quae dico, et quae possum aliis quoque „interpretari, et cum intelligentia dicere, et do-„cere eos, qui audiunt.“ 20. *Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote: sensibus autem perfecti estote.* „Merito post multam „confirmationem, verba sunt eiusdem Chrysostomi, „et demonstrationem, oratione utitur vehementio-„re, et multa increpatione, et meminit exempli „praesenti rei congruentis. Parvuli enim ad parva „quidem hianti ore stupent, et mirantur; rerum „autem valde magnarum non tanta tenentur admi-„ratione. Quoniam ergo isti quoque lingvarum ha-„bentes donum, se totum habere existimabant, „quod quidem erat aliorum ultimum, propterea „dicit, nolite pueri effici, hoc est, non insipien-„tes, ubi oportet esse sapientes; sed illic pueri, „et simplices, ubi est iniustitia, ubi inanis gloria, „ubi tumor.“

21. *In lege scriptum est: Quoniam in aliis lingvis, et labiis aliis loquar populo huic, et nec*

sic exaudient me, dicit Dominus. In Isaia cap. 28. v. 11. exstat istud scriptum, et Apostolus proinde legis nomine Scripturam veteris Testamenti, non eam tantum, quae, stricte dicebatur lex, quaeque per Moysem erat data, intellexit, quod et alias fecit. Est autem hoc a Deo per Isaiam dictum, cum Judaeos per eumdem Isaiam ad resipiscentiam, atque poenitentiam hortatus fuisset, ipsique adhortationem neglectui habuissent. Tunc enim minatus est Deus, se se illis locuturum esse alia lingva, quem priore lingva sibi loquentem audire noluissent. Chaldaeorum autem haec intelligebatur lingva, quorum imperium illa lingva excepturi essent, dum sub illorum iugum per captivitatem mitterentur, et quae Divini furoris erga eos erat lingva, cum illam priorem benignam, atque mansvetam, qua ad poenitentiam invitabantur, et clementia ipsis offerebatur, contempsissent, et qui ne tum quidem, cum duriter illis Deus per Chaldaeos loqueretur, resipuerint, neque nisi post diuturnam captivitatem fracti sint, seque ad Deum per poenitentiam verterint. 22. *Itaque lingvae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus: prophetiae autem non infidelibus, sed fidelibus.* Hoc per conclusionem est dictum illius, quod modo ex Isaia fuerat positum. Quisnam vero inter hoc, et illud nexus est, aut qua ratione ista inde fieri potuit illatio? Judaeis incredulis, nec eas poenas, quibus prophetae eos terrebant, credere volentibus, denunciavit Deus se se locuturum ad eos aliis lingvis. Id, quod deinde com-

pletum

pletum est per Chaldaeos, quemadmodum modo demonstratum est. Judaeos quoque ad poenitentiam, et ad fidem tam per seipsum Christus, quam per suos apostolos vocaverat. Quemadmodum autem supra illos veteres Judaeos victoriae temporalis prosperitatem Deus concessit Chaldaeis; ita postea gentiles Deus assumpsit, quibus Evangelii dona largiretur prae Judaeis. Illi sub captivitatis iugo cum Chaldaeorum peregrinam lingvam ferrent, nec sic Deo morigeros se praebuerunt, nisi post longum abiectionis ad captivitatem tempus, etsi ipsis istius lingvae poena, et captivitas haec pro stimulo esse debuisset, quo ad poenitentiam flecterentur: pariter hi cum vidissent gentiles in Christum credere, et non sine manifesto Divino prodigio novis lingvis loqui; moveri ipsi etiam debuissent ad eamdem fidem suscipiendam. Hac ratione lingvae, quibus fideles loquebantur, in signum datae fuerunt Judaeis infidelibus: et cum illud, quod inter Judaeos veteres, et Chaldaeos gestum est, typum istius rei in se habuerit, quae accidit post Christi adventum Apostolorum aetate; recte huc ad istud probandum inde e re typica Apostolus testimonii auctoritatem desumpsit. Nam et in eo convenientia utriusque fuit, quod sicut illi in captivitate nonnisi sero ad Deum conversi, et ex captivitate, ad quam erant abiecti a Deo, revocati sunt; ita ne isti quidem, qui Christi, et Apostolorum aetate vixerunt Judaei, moti sint gentilium exemplo agnoscentium Christum, et lingvis, quibus eos viderant

prodigiose instructos; sed in infidelitate sua persti-terint, et nunc perstent, neque prius quam paulu-lum ante finem mundi convertendi ad Christum sint.

23. *Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes lingvis loquantur, intrent autem idiotae, aut infideles, nonne dicent, quod insanitis?* 24. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus.* 25. *Occulta cordis eius manifesta fiunt, et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians, quod vere Deus in vobis sit.* Hoc cum instar declarationis positum sit, quomodo illa convictio, atque diiudicatio fieret; demonstrat ipsam etiam convictionem, et diiudicationem hanc, qualisnam esset. Qui scilicet infidelis, vel idiota, cum videret omnes in Ecclesia prophetantes, et a quibus ea, quae ipse in corde gereret, occulta, perviderentur, ac panderentur; convincendus esset, et adigendus ad agnoscendum, esse in ipsis vere Deum, cuius nonnisi Spiritu ad arcana alieni cordis possent penetrare. Ex quo vero illud etiam consequens est, istos prophetas, non tantum Dei Spiritu fuisse collustratos ad Religionis mysteria cognoscenda, et aliis explicanda, sed ad abdita etiam alienorum cordium penetranda: et si fortasse prophetiae donum quoad hanc partem non fuisset omnibus prophetis commune; fuisse tamen inter eos quospiam, quibus etiam ista cordium penetratio per Dei Spiritum collata esset. Si autem omnes in Ecclesia lingvis loquerentur, futurum di-

cebat, ut infideles, et idiotae intrantes insanire eos dicerent: nempe eadem infidelium praepostera iudicandi ratione, qua etiam Apostolos ebrios esse dixerunt, illi qui eos viderunt in die Pentecostes repente lingvis novis loquentes, quin ipsa loquela, quae a Spiritu sancto esset, iusta causa esse posset, cur insani habendi essent. Quomodo ergo paulo ante dictum est, lingvas esse datas in signum infidelibus, sic iis visis modo dicuntur iidem infideles permovendi ad habendos pro insanis, qui illis loquerentur? Nempe si conventum fidelium intrantes, istos omnes cernerent peregrinis lingvis inter seipsos confuse loquentes, et ex quibus nihil intelligerent, et quin scirent, undenam illae lingvae in ipsis essent. Posuit nimirum Apostolus casum, unde lingvarum inanitas etiam erga gentiles ostenderetur, si hae solae tantum essent. Neque enim vel infideli lingva alicuius peregrina prodesse poterat ad persvadendam illi fidem, dum ipse loquentem ne quidem intelligeret. At vero idem donum si adverteret Divinitus in iis esse, qui, in Christum crederent, et simul svaderetur ei eadem fides per lingvam, quam ipse intelligeret; omnino prodigium illud de lingvis erga ipsum pondus haberet ad eum movendum; ut ipse quoque susciperet Religionem, quam Divinae virtutis testimonio videret confirmari.

26. *Quid ergo est, fratres? cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, lingvam habet, interpretationem habet: omnia ad aedificationem fiant.*

Mentio psallendi etiam iam superius facta est versu 15. „Orabo spiritu, orabo et mente: psallam „spiritu, psallam et mente.“ Psalmus igitur intelligitur donum, quo aliquis moveretur ad psallendum, et ad Divinas laudes cantu celebrandas. Apocalypsis est Graecum vocabulum, quod significat revelationem, et refertur ad prophetiam. Nam de prophetis deinde infra versu 30. est, ea ipsos proloqui, quae sibi haberent revelata. Interpretatio respondet lingvarum dono, ut quod aliquis ignota aliis lingva pronunciasset; idem alter iisdem interpretaretur. 27. *Sive lingva quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres; et per partes, et unus interpretetur.* Sive lingva, Graece: Εἴτε, *Quod si* lingva quis loquitur, id fieret eodem tempore non per plures, quam duos, aut ad summum per tres, et ne hi omnes simul loquerentur, sed alter post alterum vitandae videlicet confusionis gratia: et quod in ignota lingva esset dictum, quispiam interpretaretur. 28. *Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia; sibi autem loquatur, et Deo.* Hoc est, laudet Deum illa lingva apud se: non aliis loquatur, qui ipsum non intelligunt, nec interpres adest, qui ipsius dicta ea lingva, quae auditoribus est nota, posset exponere. 29. *Prophetae autem duo, aut tres dicant, et ceteri diiudicent.* Quod prophetae a Deo revelatum fuit, quid opus fuit, ut prophetae alii diiudicarent? Nempe an is, qui se prophetam diceret, reipsa propheta esset, et ne falsus propheta posset irrepere. „Hoc dixit

„ait S. Chrysostomus homil. 36. ad eos monen-
„dos, ut caverent, ne inter eos incurreret vates,
„et divinator. Nam etiam in principio hoc iussit
„cavere, quando divinationis, et prophetiae (cap.
„12. v. 3) attulit differentiam: et nunc ipsum iu-
„bet discernere, et considerare, ne quid irrepat
„diabolicum." „Attendite, etiam Christus monuit,
„a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vesti-
„mentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapa-
„ces." Matth. 7. v. 15. Quamobrem etiam de sei-
pso inferius versu 37. „Si quis videtur, ait, propheta
„esse, aut spiritualis, cognoscat, quae scribo vo-
„bis, quia Domini sunt mandata."

30. *Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat.* 31. *Potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant, et omnes exhortentur.* Qui per singulos, hoc est, quorum quisque ordine posset prophetare, non simpliciter omnes fideles, sed tantum omnes, qui prophetae essent, intelliguntur. Neque enim omnes in Ecclesia erant prophetae. „Numquid omnes apostoli? numquid omnes „prophetae?" Supra cap. 12. v. 29. *Omnes exhortentur*, Graece est: πάντες παρακαλῶνται. Quod vero etiam in passiva significatione accipi potest, ut omnes exhortationem accipiant. Atque ita non differret a priore verbo, *discant*. At vero cum dixerit ut omnes per singulos prophetent; consequens est, ut omnes etiam docerent, et exhortarentur. Idem verbum Graecis significat etiam consolationem praebere, et consolandi munus etiam huius ca-

pitis versu 3. prophetis attributum est. „Nam, qui „prophetat, inquit, hominibus loquitur ad aedifi„cationem, et exhortationem, et consolationem.“ Sed ibi consolationem Graece expressit παραμυθίαν· Itaque in exhortandi significatione videtur hic maxime esse consistendum.

32. *Et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt.* 33. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: sicut et in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo.* Spiritus prophetarum subiecti prophetis sunt, in numero plurali dixit. Non est ergo iste unus ille, atque idem Spiritus dividens singulis prout vult, supra cap. 12. v. 11. Neque enim Deus homini subiicitur. Sed donum intelligitur eiusdem Spiritus propheticum, quod sic Paulus dicit prophetis subiectum esse, ut quoniam hoc, quemadmodum iam demonstratum est, consisteret in mysteriorum explicatione; propheta non adigeretur ad loquendum, et docendum certo quodam tempore, sed sibi haberet permissum, ut cum vellet de mysteriis loqui, posset loqui, sin minus, etiam tacere posset. „Ipsum „donum ostendit subiici, ait S. Chrysostomus ho„mil. 36. Spiritum enim hic vocat operationem. „Si autem spiritus subiicitur; multo magis non „aequum est, ut tu, qui possides, contendas.“ Dum vero ad hoc probandum Paulus affirmat, Deum, qui spiritum illum dedit, non esse dissensionis Deum, sed pacis, qui scilicet spiritum illum non det, unde dissensiones oriantur, sed potius, qui pacem velit; et nec libertatem prophetis permittit vel loquendi,

si quae inde confusio, non quoad rem, ut alter alteri contrarium loquatur, sed ne uno tempore plures, quam unus loquerentur, siquidem alter alteri apud auditores obstaret, ut intelligi non posset, et si ita uno tempore plures loquendo, suumque prophetiae donum saltem tempori non adcommodando, Deum , cuius dono abuterentur, dissensionis facerent Deum; non illi dissensionis multo magis faciunt Deum, qui inter suae religionis placita habent, cuilibet fideli Spiritum sanctum sic dari, ut quamvis credat alter ab altero diversimode; tamen in eo, quod sic credant, et quamvis in fide non conveniant, tamen Divini Spiritus ductu istud faciant, quemque idcirco spiritum etiam privatum appellant? Nam, si quidam in credendo dissentiunt, atque haec dissensio a spiritu privato, quem a Deo accipiunt, proficiscitur, quomodo Deus, dissensionis non est Deus? Cum ab Ecclesia Catholica semetipsos seiunxissent eo praetextu, ut fidem, quasi in Catholica Ecclesia corrupta fuisset, apud se ad puritatem, integritatemque revocent, ac deinde omnium ingenia in parturiendo aliquid, quod illam reformationem adiuvaret, incredibiliter laboravissent, opinionesque fidei inter se contrarias produxissent; ut tamen etiam sic, illud, quod per reformationem suam ediderunt, tueri possent, esse verum, tametsi tot illud formas haberet, quot fere illi essent, qui se illi reformationi addixerunt; excogitarunt privatum spiritum, ut sic, quamvis dissentirent, tamen omnes possent videri in vera

fide esse, quorum quisque pro se Dei Spiritum privatim haberet, atque Deo spiritus multiplices, et contrarios non dubitarunt attribuere, tantum ut ipsi, cum fidem unam non haberent, possent tamen videri, etiam diversum credendo, omnes in recta fide convenire. Qui nollent in una fide consentire, quae tamen fides una est, Eph. 4. v. 5. ipsum Deum, dissensionis Deum fecerunt. Egregii sane artifices in reformanda fide fuerunt. Ex una enim fide multas fecerunt. Sed una fides Christi est secundum Apostolum, atque hanc operatur unus idemque Dei Spiritus. Ergo ille Spiritus privatus, per quem non tantum ab Ecclesia Catholica dissentiunt, sed inter seipsos etiam non conveniunt, et qui apud eos dissensionis spiritus est, cuius, quaeso, spiritus est?

34. *Mulieres in Ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit.* „Et ubi hoc lex dicit? ait S. Chryso-„stomus homil. 37. *Ad virum tuum conversio tua,* „*et ipse tibi dominabitur.*" Gen. 3. v. 16. Est enim auctoritatis alios docere. Cum ergo mulieres viris subiectae sint, non competit ipsis ius publice docendi in Ecclesia, quae utique sine viris non est. Induxit Heva Adamum ad peccatum svadendo ei, ut comederet fructum prohibitum. „Docuit semel „mulier, ait S. Chrysostomus homil. 9. in Epist. „1. ad Tim. et omnia subvertit, ideo ait, ne do-„ceat." 35. *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in*

Ecclesia. Quae ratio fuit, ut mulier diceretur deturpare suum caput, si oraret, aut prophetaret non velato capite; supra cap. 11. v. 5. eadem turpitudinis causa est, si mulier loqueretur in Ecclesia, videlicet cum auctoritate. Sibi enim et Deo, non tantum potest, verum etiam debet inter precandum loqui.

36. *An a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit?* Quod eo pertinet, ne ipsi novas in his rebus, de quibus modo eos monuerat, conarentur consvetudines ad Ecclesiam introducere. „Ceteras adduxit Ecclesias, ait S. Chrysostomus „homil. 37. hanc legem servantes, et a novitate „tumultum resecans, et multorum calculo gratam, „et acceptam reddens orationem. An a vobis ver„bum Dei processit, aut ad vos solos pervenit? „Hoc est, neque vos primi, neque soli fideles, sed „totus orbis terrae. Neque enim hoc poteritis di„cere: Nos fuimus doctores aliorum, et non est „aequum, ut ab aliis discamus: neque fides hic „solum stetit, et non oportet exempla ab aliis „sumere.“ 37. *Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat, quae scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Spiritualis, quis intelligatur; iam ad initium capitis 12. fuit. Talis nimirum intelligitur, qui Dei Spiritu afflatus loqueretur. 38. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Si quis ignoraverit, et noluerit agnoscere, haec, quae scribo, esse Dei mandata, ignorabitur; Graece est, *ignoret*, ἀγνοείτω: „Et cur hoc subiunxit? ait S. Chry-

„sostomus homil. 37. Ostendens se neque vim af-
„ferre, nec contendere. Quod quidem est signum
„non eorum, qui sua volunt constituere; sed eo-
„rum, qui spectant id, quod aliis est utile. Quam-
„obrem dicit etiam alibi: *Si quis autem est con-
„tentiosus, nos talem consvetudinem non habe-
„mus.*" Supra cap. 11. v. 16. 39. *Itaque fratres,
aemulamini prophetare, et loqui lingvis nolite pro-
hibere.* 40. *Omnia autem honeste, et secundum
ordinem fiant.*

CAPVT XV.

Resurrectionem futuram mortuorum contra quosdam, qui eum negabant, probat ex Christi a morte resurrectione, et quem ipsum sequeretur non resurrexisse, si nos non resurgeremus. Docet in resurrectione destructum iri mortis imperium, et corpora futura post resurrectionem incorrupta, non tamen parem omnium etiam, qui ad vitam resurgent, futuram gloriam.

1. *Notum autem vobis facio, fratres, Evan-
gelium, quod praedicavi vobis, quod et accepistis,
in quo et statis:* 2. *per quod et salvamini, qua
ratione praedicaverim vobis, si tenetis, nisi fru-
stra credidistis.* Quod iam praedicavit Corinthiis
Evangelium, dicit se se illis notum facere. Non
ergo haec notitia est, qua illos nunc primum im-
buat; sed quam denuo illis renovet, atque refricet.

Istud: *Qua ratione praedicaverim vobis, si tenetis*, est positum declarationis causa, esse per Evangelium salutem adepturos, si ea ratione illud tenerent, qua ipse hoc illis praedicavit, et nisi frustra eidem Evangelio credidissent, cuius fructum, desciscendo ab eo, non assequerentur. 3. *Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas.* Quemadmodum nimirum Christi passio, atque mors per Scripturas et Prophetarum oracula fuerat praenunciata. „Cum de spiritualibus, ait S. „Chrysostomus homil. 38. absolvisset orationem, „transit ad id, quod est omnium maxime necessa„rium, nempe ad argumentum resurrectionis. In „eo enim valde aegrotabant; et sicut in corpori„bus, quando solidas eorum partes febris attige„rit, nervos, inquam, et venas, et prima ele„menta, malum fit immedicabile, nisi eius magna „geratur cura; sic tunc quoque, ne fieret, erat „periculum. Ad ipsa enim pietatis elementa ten„debat malum. Quamobrem magno studio usus est „Paulus. Non enim amplius ab eo agebatur de vi„ta, neque quod ille quidem scortaretur, hic vero „esset avarus, alius vero caput haberet opertum, „sed in ipso bonorum capite versabatur oratio. Nam „de resurrectione inter se digladiabantur. Quia enim „haec est tota spes nostra, ei valde restitit diabo„lus, et aliquando quidem eam tollebat penitus; „aliquando autem dicebat eam iam fuisse. Quod „etiam Paulus scribens ad Timotheum 2. cap. 2.

„v. 17. hoc malum dogma vocavit gangraenam, „et eos, qui ipsam inducebant, notavit, dicens: „*Ex quibus est Hymenaeus, et Philetus, qui cir-„ca veritatem aberrarunt, dicentes, iam factam „esse resurrectionem, et everterunt aliquorum fi-„dem.* Atque aliquando quidem hoc dicebant; ali-„quando autem, quod corpus non resurgat, sed „resurrectio sit animae purgatio. Haec autem dice-„re persvadebat sceleratus ille daemon, non solum „evertere volens resurrectionem; sed etiam, quae „pro nobis facta sunt omnia, ostendere esse fabu-„lam. Nam si eis fuisset persvasum, non esse cor-„porum resurrectionem, paulatim eis persvasisset, „ne Christum quidem resurrexisse. Ab hoc autem „illud quoque ordine procedens induxisset, eum „non advenisse, neque ea fecisse, quae fecit. Ta-„lis enim est diaboli malignitas, et versutia.“ 4. *Et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas;* Et hic, et in aliquot subsequentibus versiculis verbum intelligitur, *Tradidi vobis,* quod in antecedente versu est positum: 5. *et quia visus est Cephae, et post haec undecim; 6. deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt; 7. deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus: 8. novissime autem omnium, tamquam abortivo, visus est et mihi.* Non omnes Christi apparitiones post resurrectionem recenset. Non eam memorat, quae discipulis euntibus in Emmaus, non eam, quae Magdalenae ad sepulchrum, et mu-

lieribus in via facta est: rursus vero illius mentionem facit, quae Jacobo seorsim, quae quingentis fratribus contigit, et cuius utriusque mentionem facere praetermiserunt Evangelistae. Novissime vero etiam sibi illum apparuisse, tamquam abortivo, dicit. Apparuit autem ipsi, dum Damascum iret, in via. Act. 9. v. 3. Abortivum, sive pressius iuxta Graecum, *abortum*, ἔκτρωμα, se vocat, suae indignitatis confitendae causa. Quemadmodum enim abortus illico, tamquam indignus luce, ab oculis submovetur, et infra terram reconditur; ita se indignissimum fuisse, qui fieret Apostolus, et ad tantam lucem Apostolici muneris assumeretur. Quod, cur se ita compellaverit, demonstrat versus subsequens, ubi causam istius, quod abortivus sit, exponit, quod indignus sit vel vocari Apostolus.

9. *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Quod de se dixit, minimum se esse Apostolorum, quomodo intellexerit, declaravit illico ipse, qui non sit dignus vocari Apostolus ideo, quod persecutus sit Ecclesiam Dei. Ergo minimum Apostolorum sic se vocavit, qui ex omnibus Apostolis omnium minime dignus fuerit, qui eligeretur apostolus. Nam illa ratione, et qua Apostolatum consecutus sit, et in Apostolatu laboraverit, sic de seipso pronunciat: „Paulus apo„stolus non ab hominibus, neque per hominem, „sed per Jesum Christum, et Deum Patrem.“ Gal. 1. v. 1. „Existimo enim nihil me minus fecisse a

,, magnis Apostolis.‟ 2. Cor. 11. v. 5. Et modo in hac ipsa prima epistola huius capitis versu 10. ,, Abundantius, inquit, illis omnibus laboravi.‟

10. *Gratia autem Dei sum id, quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi. Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Cum dixisset, se abundantius illis omnibus laborasse; hoc quomodo dixerit, explicuit deinde e vestigio, non se, sed gratiam Dei, quam secum habuerit, hoc praestitisse. Quia nimirum, quamvis ipse laboraverit; tamen Dei gratia fuit, quae, ut laborem istum praestaret, tribuerit, ipsumque laborare fecerit. ,, Quid enim habes, quod ,, non accepisti?‟ 1. Cor. 4. v. 7. Et ,, Deus est, ,, qui operatur in vobis et velle, et perficere.‟ Phil. 2. v. 13. Idem ergo et se laborasse, et non laborasse dixit. Nam et ipsius labor fuit, quem ipse praestitit: et non fuit ipsius labor, quem ut praestaret, gratia Dei operata in illo est. Utrumque autem coniunxit, dum dixit: *sed gratia Dei mecum:* ut et intelligeretur ipse laborasse, et ipsius iste labor ex gratia fuisse; cui nisi gratia illa data fuisset, nihil laborasset: nec ad ipsum iam laborantem sua voluntate, et diligentia, quasi gratia, quae collaboraret, supervenerit; sed quae ipsum etiam praevenerit, utque laboraret, effecerit. ,, Avertat enim Deus, ait S. Augustinus lib. 2. contra duas epist. Pelagianor. cap. 9. hanc amentiam, ,, ut in donis eius nos priores faciamus, posterio- ,, rem ipsum: *quoniam misericordia eius praeveniet*

„*me*, Psal. 58. v. 11. et ipse est, cui fideliter, vera-
„citerque cantatur: *Quoniam praevenisti eum in*
„*benedictione dulcedinis.*" Psal. 20. v. 4.

11. *Sive enim ego, sive illi, sic praedicamus, et sic credidistis.* Sive enim ego, Graece, *sive igitur ego*, Εἴτε οὖν ἐγὼ, *sive illi*, de quibus videlicet modo mentionem fecerat, ceteri Apostoli; *sic praedicamus, et sic credidistis*, Christum nimirum resurrexisse a mortuis. 12. *Si autem Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* 13. *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Ex reliquorumne resurrectione Christi etiam resurrectio pendebat, ut dicat, si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit? „Quaenam haec „est consequentia? ait S. Chrysostomus homil. 39. „Nam, quod si Christus quidem non resurrexerit, „ne alii quidem resurgant, est consequens; quod „autem, si alii non resurrexerint, ne ipse quidem „resurrexerit, quomodo hoc ullam habeat rationem? „Quoniam ergo hoc videbatur non esse admodum „rationi consentaneum, vide, quomodo consentaneum hoc valde faciat, ab alto prius iaciens se„mina ex ipsa praedicationis causa, nempe, quod „pro peccatis mortuus resurrexerit, et quod sit „primitiae eorum, qui dormierunt. Primitiae enim, „cuiusnam fuerint primitiae, nisi eorum, qui re„surgunt? Quomodo autem fuerint primitiae, nisi „resurgant illi, quorum sunt primitiae? Quomodo

„ergo non resurgunt? Si autem non resurgunt, cur „resurrexit Christus? cur venit, cur carnem suscepit, si carnem non erat suscitaturus? Non enim „ipse opus habebat, ut resurgeret, nisi propter „nos.“ Infert videlicet istud inde, quod, quemadmodum supra versu tertio dixerat, Christus mortuus sit pro peccatis nostris secundum Scripturas. Mors autem fuit stipendium peccati. Rom. 6. v. 24. Si ergo Christus pro peccatis nostris mortuus est, atque morte sua peccata nostra expiavit; necesse est, ut sublato e medio peccato, a poena etiam eximamur, et a morte, ad quam per peccatum incidimus, resurgamus: aut, si nos non resurgimus, ne Christus quidem resurrexerit. Nam cum Christus nostra causa mortem oppetierit; si nos a morte non excitamur, consequens erit, ut morte sua mortem non destruxerit. Si vero mortem non destruxit, atque mors illi praevaluit, nec ille resurgere potuisset. Est ergo haec argumentatio Pauli tamquam ab effectu concludendo ad causam. Nam cum superius dixisset a se Corinthiis traditum esse, quemadmodum ipse quoque illud accepit, Christum mortuum pro peccatis nostris, et sepultum esse, et resurrexisse, atque adeo iste Christi mortis, et resurrectionis effectus esse debuerit, ut nos a morte erueremur. Si ergo iste effectus non consequeretur; intulit, nec illam causam per Christum mortis et resurrectionis antecessisse. Istud autem et a se praedicatum, et a Corinthiis creditum esse: ergo et hanc suam praedicationem, et istam ipsorum fidem futuram

futuram cassam, et inanem, quemadmodum sequitur, nisi mortuorum resurrectio esset.

14. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra.* 15. *Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum* (Graece, κατὰ τοῦ Θεοῦ, *de Deo*) *quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.* 16. *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* 17. *Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra: Adhuc enim estis in peccatis vestris.* „Nam si mortuus, inquit S. „Chrysostomus homil. 39. non potuit resurgere, „neque abolitum est peccatum, neque mors est „perempta, nec ablatum est maledictum, et non „solum nos inania praedicavimus, sed vos quoque „credidistis inania.“ 18. *Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt.* Per Christum enim sperarunt salutem, et aeternam vitam. Nihil autem per eum consecuti essent. Ergo periissent.

19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* „Quid dicis, o Paule? ait S. Chrysostomus „homil. 39. quomodo in hac vita sperantes sumus, „si corpora non resurgunt, cum maneat anima, et „sit immortalis? Quoniam si maneat anima, et „millies sit immortalis, sicut est revera, absque „carne non accipiet bona illa ineffabilia, sicut ne„que punietur. Omnia enim manifestabuntur ante „tribunal Christi, ut accipiat unusquisque, quae

„per corpus gessit sive bona, sive mala. 2. Cor. „5. v. 10. Propterea dicit, si in hac vita tantum „in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus „omnibus hominibus. Si enim non resurgit corpus, „incoronata manet anima extra illam beatitudinem, „quae est in caelis. Si autem hoc ita se habet, tunc „nihil omnino consequemur. Si tunc nihil conse-„quemur, in praesenti sunt remunerationes. Quid „ergo, inquit, hac ratione fuerit nobis infelicius? „Haec autem dicebat simul et nos confirmans, ac „stabiliens in eo, quod dicitur de resurrectione cor-„porum, et de immortali illa vita persvadens, ne „existimarent nostra omnia dissolvi, et desinere in „praesenti.“ Argumentatio S. Pauli hoc continet in se, tamquam implicitum, quod si corporum resurrectio non sit, ne quoad animam quidem speranda sit aliqua alterius vitae felicitas, ac praemium. Ex quo deinde illud, quod posuit, consequens est, Christianos esse omnium miserrimos, et infelicissimos, quibus nec spes commodorum istius vitae relicta sit, utpote quibus Christus nonnisi adversa praedixerit, et promiserit in hoc mundo, suisque rebus etiam renunciare, seipsosque abnegare, et crucem ferre iusserit. Luc. 14. v. 33. Matth. 16. v. 24. Joan. 16. v. 20. Habet autem pro fundamento suae argumentationis Paulus, quod si corpus non resurrexerit, ne animae quidem seorsim a corpore aliquid relinqui, quod speret per Christum. Hoc vero pendet a reparatione generis humani per Christum. Si enim Christus hominem reparavit, et

perfecte reparavit, consequens est, ut corpus quoque, quod propter peccatum mortuum, atque corruptum est, ad pristinam integritatem, in qua fuisset, si in illam corruptionis miseriam per peccatum non incidisset, revocetur. Si vero ad suam integritatem corpus non redit, ne de anima quidem hoc esse sperandum, ut illa aliquid per Christum consequatur, qui si homini felicitatem procurare voluisset, totum illum, non partem curandam suscepisset. Mancum enim, et imperfectum illud reparationis nostrae opus fuisset, quod contra Christi dignitatem fuisset, si aggressus negotium inabsolutum illud reliquisset. Nam et Divinae sapientiae fuit id, quod egit, perfecte agere; et in illius Divinam potentiam impotentiae recideret macula; si quod decebat eius sapientiam, volens perfecte reparare genus humanum, imperfecte tantum hanc reparationem praestitisset. Tota igitur vis istius argumenti est in eo, Christum vel integre reparationis negotium erga hominem egisse, vel nihil prorsus egisse. Egit autem istud negotium. Ergo homo secundum animam, et corpus ad vitam reparatus per Christum est. Non sumus autem in hac vita tantum sperantes in Christo. Ergo secundum animam, et corpus in futura vita reparationis nostrae fructum sperandum a Christo, et exspectandum habemus.

20. *Nunc autem Christus resurrexit a mor-*
tuis primitiae dormientium. 21. *Quoniam quidem*
per hominem mors, et per hominem resurrectio

mortuorum. 22. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Cum superiore versu dixisset per hominem esse mortem, et per hominem esse resurrectionem mortuorum, nunc declarat, quis ille uterqne homo sit, et alterum fuisse Adamum, et alterum esse Christum. Ergo quoniam isto illud tantum anterius declaratur; ibi autem per hunc hominem Christum resurrectionem dixit esse mortuorum; consequitur etiam per vivificationem non aliud hic modo intelligi, quam resurrectionem mortuorum. Haec enim communis erit omnibus tam bonis, quam malis. Omnes enim in corporibus resurgent, idque per Christum, tametsi non omnes ad praemium, sed multi ad supplicium. „De resurrectione corporis loquitur Apo-„stolus, ait S. Augustinus Oper. imp. contra Ju-„lian. lib. 6. c. 31. *Per hominem mors, et per „hominem resurrectio mortuorum: sicut enim in „Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes „vivificabuntur.* Non itaque debemus inquirere, „de qua morte agatur hoc loco: manifestum est „enim de morte corporis agi; sed potius debemus „attendere, per quem sit mors ipsa, de qua agi-„tur, utrum per Deum, qui hominem condidit, „an per hominem, qui peccando causa huius mor-„tis exstitit. Sed hoc, ut dixi, attendere debe-„mus in promptu positum, non quasi abditum quae-„rere. Nam et hanc abstulit Apostolus quaestio-„nem, apertissime dicens, *Per hominem mors.* „Et quis est iste, nisi primus Adam? Ipse est

„quippe ille, de quo dictum est, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors:* Rom. 5. v. 11. cui e contrario Adam „secundus opponitur, qui est forma futuri. Unde „et hic dictum est, *Per hominem mors, et per „hominem resurrectio mortuorum.* Sic ergo est „accipiendum, quod ait, *In Adam omnes moriun-„tur*, ut non obliviscamur, quod ait, *Per homi-„nem mors.* Ideo quippe in Adam omnes moriun-„tur, quia per hominem mors; sicut ideo in Chri-„sto vivificantur, quia per hominem resurrectio „mortuorum."

23. *Unusquisque autem in suo ordine, primitiae Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu eius crediderunt.* Non facit perfectam enumerationem. Reproborum enim nullam mentionem facit. Uuusquisque autem in suo ordine resurget non temporis, post primitias Christum, hunc enim, qui primitiae fuit, etiam tempore oportuit antecedere, sed dignitatis. In ictu enim oculi ceterorum omnium fiet resurrectio, quemadmodum infra versu 52. est. Ordo ergo intelligitur, quod alii ad gloriam, alii ad ignominiam resurrecturi sint, et inter ipsos etiam iustos, quemadmodum stella a stella differt in claritate, futurus sit gloriae splendor quidam etiam pro meritorum ratione diversus. 24. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem.* Tradidit regnum Patri, sed ut illud ipse etiam simul retineat. „Regni enim eius non

„erit finis." Luc. 1. v. 33. „Videamus, ait S. „Hilarius lib. 11. de Trinitate, an traditio re„gni defectio sit intelligenda regnandi, ut quod „tradidit Filius Patri, tradendo non teneat. Quod „si quis contendit, fateatur, necesse est, Patrem, „cum tradidit omnia Filio, (Luc. 10. v. 22.) ami„sisse tradendo, si tradentem traditis egere signi„ficat." Quemadmodum ergo Pater non se potestate exspoliavit, quando eam tradidit Filio; ita nec Filius carere coepit regno, quando illud tradidit Patri. Non ergo aliud traditio inter Divinas Personas significat, quam unam, eamdemque esse illarum potestatem, quarum una, et eadem etiam est natura, atque essentia. Cur vero Christus dicitur traditurus tum regnum Patri? ut intelligeretur, quod regnum Christus haberet in sanctis, idem istud regnum esse etiam Dei Patris, ut sit Deus omnia in omnibus, quemadmodum infra sequetur. Omnem vero principatum, potestatem, et virtutem Christus tum evacuabit, quia omnia regna mundi finem tunc accipient, unumque Christi regnum tantum stabit, et stabit in aeternum. Qua de re sic etiam in Daniele est: „In diebus autem re„gnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum, „quod in aeternum non dissipabitur, et regnum „eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, „et consumet omnia regna haec, et ipsum stabit „in aeternum." Dan. 2. v. 44.

25. *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* Cum supe-

riore versu Apostolus dixisset, Christum traditurum regnum Deo, et Patri; modo dicit, oportere illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Quis? Pater. Est enim hoc Patris ad Filium dictum ex Psalmi 109. v. 1. Quamobrem idem Paulus etiam ad Hebraeos scribens cap. 10. v. 12. „Hic autem, inquit, unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera „Dei, de cetero exspectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius.“ Cum ergo esset dictum, Christum traditurum regnum esse Deo, et Patri; ne putaretur ipse Christus etiam non regnaturus, subiecit illico Apostolus, oportere etiam illum regnare, atque ut istud demonstraret, Davidicum illud adhibuit testimonium. Nec hinc, quod dictum sit oportere illum regnare, donec omnes eius inimici positi fuerint scabellum pedum eius, sequitur, ibi terminum aliquem esse positum Christi regno, sed potius contrarium. Neque enim subiectione inimicorum fit ablatio regni, sed illud potius confirmatur, et corroboratur: nec sic in illo Psalmo positum est, ut sedeat Christus ad dexteram Patris, donec inimici ponantur scabellum pedum ipsius, quasi definitum esset tempus istius sessionis; sed ut intelligeretur iam regnaturus, et in aequalitate gloriae cum Patre futurus, ad cuius sederet dexteram, etiam dum eius inimici nondum essent positi pro scabello pedum ipsius, quemadmodum ad illum Psalmum demonstratum est.

26. *Novissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius.* Ex Psalmi 8. versu 8. est istud, quo probat, destruendam esse etiam tum mortem. Nam si haec ultra posset exercere imperium, non esset devicta. Nec omnia Christus haberet sub pedibus suis. *Cum autem dicat:* 27. *Omnia subiecta sunt ei, sine dubio praeter eum, qui subiecit ei omnia.* 28. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia,* Graece, *Tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit ipsi omnia,* τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα: *ut sit Deus omnia in omnibus.* Quomodo Filius ei tum erit subiectus, a quo sibi habet subiecta omnia, si ipse est Deus, et eiusdem cum Patre dignitatis, et potestatis? „Juxta dispensationem, ait S. Hiero„nymus lib. 1. Dial. adv. Pelag. cap. 6. carnis as„sumptae." „Quod quid mirum, ait S. Augusti„nus in libro contra Sermonem Arianorum cap. 37. „quandoquidem illa in Filio forma humana man„sura est, qua semper maior est Pater?" „Ali„ter (Paulus) loquitur, ait S. Chrysostomus ho„mil. 39. quando loquitur de sola Divinitate, et „aliter, quando acciderit, ut loquatur de susceptae „carnis dispensatione. Nam quando carnem appre„henderit, de cetero secure omnia loquitur humi„lia, et abiecta, confidens nempe, quod ea sit „apta, et idonea ad suscipiendum ea, quae dicun„tur. Videamus ergo hic quoque, an loquatur de „sola Divinitate, an cum carnis susceptae dispen-

„satione de ipso haec enunciet, quae dicit. Imo „vero prius ostendamus, ubinam hoc, quod dixi, „fecerit. Ad Philippenses scribens dicit: *Quicum „in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est „esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit „servi formam accipiens in similitudine hominum „factus, et figura inventus ut homo: humiliavit „seipsum obediens factus usque ad mortem, mor- „tem autem crucis. Quapropter Deus exaltavit „illum.* Phil. 2. v. 6. Vidistin, quomodo, quando „de sola quidem loquebatur Divinitate, illa magna „dixit, eum in forma Dei esse, et aequalem Ge- „nitori, et ipsi totum adscribit? Quando autem „ostendit, eum sibi carnem suscepisse, rursus de- „pressit orationem. Nisi enim haec diviseris, ma- „gna est repugnantia eorum, quae dicta sunt. Nam „si Deo erat aequalis, quomodo exaltavit eum, „qui est sibi aequalis? Si erat in forma Dei, quo- „modo ipsi donavit nomen? Nam qui donat, ei, „qui non habet, donat: et qui exaltat, eum, qui „prius erat humilis, exaltat. Invenietur ergo esse „imperfectus, et indigens, priusquam altitudinem „acceperit, et nomen, et alia hinc innumerabilia „sequentur absurda corollaria. Sed si carnis susce- „ptae addideris dispensationem; non peccabis haec „dicens. Haec autem hic quoque cogita, et cum „hoc consilio accipe, quae dicta sunt. — — — „Quid est autem, *Ut sit Deus omnia in omnibus?* „ut omnia ab ipso pendeant. Nequis existimet duo „esse principia sine principio, neque aliud regnum

„divisum. Nam quando strati quidem iacuerint inimici sub pedibus Filii, qui eos autem habet iacentes sub pedibus, cum Genitore non agitat seditionem, sed est in perfecta cum eo concordia; „ipse erit omnia in omnibus.“ Quemadmodum ergo Christus dixit: „Pater maior me est“ Joan. 14. v. 28. propter formam servi, in qua minor est Patre; ita secundum hanc eamdem humanae naturae formam, in qua Ecclesiae est caput, eiusdem enim naturae sunt caput, et membra, et Deus ei omnia subiecit; etiam tunc, et in omne aevum, Filius erit subiectus Deo, et Patri, ut Deus sit omnia in omnibus.

29. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid et baptizantur pro illis?* 30. *ut quid et nos periclitamur omni hora?* 31. *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.* 32. *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus, et bibamus, cras enim moriemur.* Pro mortuis baptizari, quid sit, et quomodo hoc intellexerit Apostolus, in multas, et diversas opiniones distraxit cura istud explicandi interpretes. Alii putarunt, morem iam tum fuisse superstitiosum, ut se vivi pro iis, qui mortui erant absque baptismo curarent baptizandos, cuius erroris meminit S. Epiphanius in haeresi 28. quae fuit Corinthianorum; et ad quem Paulus alluserit; alii ad illum Judaeorum ritum voluerunt ipsum re-

spexisse, qui fuit apud Judaeos, ut si se tactu cadaveris humani inquinavissent, hunc deinde eluere cogerentur; alii baptizari sumpserunt pro poenitentiae duris operibus, quod Christus etiam cruciatus suos, et mortem baptismi nomine designaverit, dum Zebedaei filiis quaestionem posuit „Potestis bibe„re calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo „ego baptizor, baptizari?" Marc. 10. v. 38. Aliis visum est pro mortuis baptizari, quasi idem esset atque baptizari pro peccatis. Alii post S. Chrysostomum homil. 40. censent ideo ab Apostolo esse dictum eos, qui in Ecclesia baptizarentur, pro mortuis baptizari, quod in more fuerit Ecclesiae, ut post alia fidei capita, quae baptizandi, antequam baptizarentur, iuberentur profiteri, istud quoque de resurrectione mortuorum confiterentur, et statim ubi hoc essent confessi, in aquam deinde mergerentur. Certe autem Paulus ipse suus interpres est optimus. Sic autem ille loquitur de baptizatione: „An ignoratis, quia, quicumque baptizati sumus in „Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? „Consepulti enim sumus cum illo per baptismum „in mortem, et quomodo Christus surrexit a mor„tuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vi„tae ambulemus." Rom. 6. v. 3. Et ad Colossenses cap. 3. v. 3. „Mortui enim estis, et vita ve„stra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Chri„stus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebi„tis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra „vestra, quae sunt super terram, fornicationem,

„immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, „et avaritiam, quae est simulacrorum servitus, pro„pter quae venit ira Dei super filios incredulitatis, „in quibus et vos ambulastis aliquando, cum vi„veretis in illis: nunc autem deponite et vos omnia.“ Quia ergo, qui baptizantur, hominis induunt similitudinem, qui sibi moritur, et in quo vetus homo crucifigitur, Rom. 6. v. 6. ut postea non iam sibi, sed Deo vivant; idcirco iidem dicti sunt baptizari pro mortuis, hoc est, qui sic baptizentur, ut illi seipsos iam deinde habere debeant pro mortuis. Tendit autem hocce argumentum eo, quod si in alia vita sperandum nihil est, sperandum autem nihil esset, si resurrectio non esset; frustra ii, qui baptizantur, sibi, et mundo morerentur, cum et voluptate praesentis vitae seipsos privarent, et tamen nullum ea re commodum prae aliis, qui suo genio servirent, consequerentur. Atque hoc est, quod de seipso etiam deinde Paulus dicat: *Ut quid et nos periclitamur omni hora?* Et rursus: *Si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus, et bibamus, cras enim moriemur.* Et Apostolum non de haereticis, non de superstitiosis, non de veteris legis caerimonia, quae salutem tribuere non posset, locutum esse, sed de actione, in qua certa esset persvasio obtinendae salutis, indicant illa verba, *Quid facient?* Cum enim hoc dixerit illa conditione, si corporum resurrectio non esset, intelligitur istud eiusmodi esse, quod existente mortuorum resurre-

ctione non frustra ab illis susciperetur. Superstitiosos autem, vel haereticos, vel umbras legis consectantes nec ipsa resurrectio iuvabit. Non enim eo minus, qui veram in Christum fidem non habent, in supplicium ibunt. Resurrectionem autem confiteri, et postea baptizari, baptizari pro mortuo non est; nec si baptismi nomine Christus passionem suam, et mortem significavit tropica loquendi ratione, seipsum suo sangvine tingendo, inde iam valet, ut quod ibi factum est, hic deinde etiam eamdem tropicam significandi rationem idem vocabulum tenere debeat. Quod enim alicubi in impropria significatione usurpatum sit aliquod vocabulum, non est consequens, ut etiam sic sit adhibitum alibi. *Quotidie morior per vestram gloriam*, Graece, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν. Graeca autem vocula, νὴ est adseverandi, et iurandi formula. Καύχησις autem non gloriam, sed gloriationem significat. Quare sensus iste existit: Quotidie morior, hoc est, inter mortis pericula, et discrimina versor, ita assevero, per meam, quam de vobis in Christo Jesu gloriationem habeo: quorum videlicet causa eiusmodi angores mortis etiam sustinuerit. „Et ego in infirmi„tate, et timore, et tremore multo fui apud vos.“ Supra cap. 2. v. 3. „Et cur haec dicit? ait S. Chry„sostomus homil. 40. Rursus per haec quoque con„firmans, quod dicitur de resurrectione. Quis enim, „inquit, elegerit tam multas subire mortes, si ne „sit quidem postea resurrectio, neque vita? Nam, „si qui credunt resurrectioni, vix pro ea pericula

„adierint, nisi sint fortes, ac generosi; multo magis is, qui non credit, non tam multas, et tam „graves, ac difficiles mortes elegerit." Quo illud quoque pertinet, *si, secundum hominem, ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Si, initio est positum sic, ut in fine idem iterum repetatur, cum sententiam inchoasset, sed cui alias interiectiones fecerat. Est etiam praeterea quaedam ellipsis. Integre, et clare fuisset hoc positum sic: Ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, secundum hominem dico, si mortui non resurgent? secundum hominem autem istud se dicere affirmat, qui scilicet de pugna illa ad bestias Ephesi, hoc, num profuerit, non ut se res haberet, sed ut hominibus videretur, tantum se posuisse profiteretur: utpote, qui cum sibi ipsi persvasum haberet, omnino illam pugnam profuisse; tamen nemini hominum persvasum iri affirmet, aliquid ultilitatis sibi inde proventurum, si mortuorum resurrectio non sit. Paulum autem ad bestias pugnasse Ephesi, nulla in Actis Apostolorum, ubi res illius describuntur, mentio fit. Quare per bestias, sunt, qui putent, intelligi ab eo, et designari malos homines, et quos in praedicatione Evangelii ibi expertus est adversarios. A proprietate autem verborum eousque discedendum interpreti non est, donec aliqua inconvenientia ex re, si proprie sumeretur, consequeretur. Et unde illud scitur, Lucam in descriptione eorum, quae gessit Paulus, ita omnia exsecutum esse, ut nihil silentio praeterive-

rit? Num quia Lucas tacuit, ipse autem hoc de se confitetur, ad certitudinem veritatis satis non est?

33. *Nolite seduci: Corrumpunt mores bonos colloquia prava.* Ex Menandro comico Poeta est hocce testimonium a Paulo productum. 34. *Evigilate iusti, et nolite peccare.* Graece *Evigilate iuste*, δικαίως, sicque per modum adverbii est etiam in Syriaca versione, et in pluribus Latinis manuscriptis. „Quid est autem iuste? ait S. Chrysostomus homil. 41. ad id, quod conducit, et est „utile. Est enim iniuste evigilare, et exspergisci, „quando quispiam fuerit excitatus ad detrimentum „suae animae. Recte autem addidit illud: *Nolite „peccare*, ostendens, quod hinc sint ipsis semina „incredulitatis.“ *Ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor.* Graece, πρὸς ἐντροπὴν *ad pudorem* vobis dico. Qualem autem ignorantiam quosdam dicit habere? de Dei potentia, qui scilicet ideo resurrectionem mortuorum non crederent, quasi haec non posset fieri? Atque ideo pudere ipsos debere dicit, quod ne Deum quidem, cuius potentiae sit, agnoscerent, et quod naturali etiam ratione a seminibus deinde probat.

35. *Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient?* 36. *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur.* 37. *Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta, tritici, aut alicuius ceterorum.* 38. *Deus autem dat illi corpus, sicut vult, et unicuique semi-*

num proprium corpus. „Hinc volens ostendere, ait „S. Augustinus in epist. 205. ad Consentium, quia „si Deus potest addere, quod non erat, in nudo „semine; multo magis potest reparare, quod erat „in hominis corpore.“ 39. *Non omnis caro, eadem caro; sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.* 40. *Et corpora caelestia, et corpora terrestria. Sed alia quidem caelestium gloria, alia autem terrestrium.* 41. *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate.* 42. *Sic et resurrectio mortuorum.* „In „his omnibus iste sensus est, ait S. Augustinus in „eadem ad Consentium epistola, si genera carnis, „cum sint cuncta mortalia, differunt tamen inter „se pro diversitatibus animantium, et si corpora, „cum sint omnia visibilia, differunt tamen pro di„versitatibus locorum, unde alia est caelestium „gloria, alia terrestrium, et si in locis sublimibus, „cum sint cuncta caelestia, differunt etiam ipsa „claritatibus luminum; non mirum est, quod in re„surrectione mortuorum distabit gloria meritorum.“ *Seminatur in corruptione; surget in incorruptione.* 43. *Seminatur in ignobilitate; surget in gloria: seminatur in infirmitate; surget in virtute.* 44. *Seminatur corpus animale; surget corpus spiritale.* „Quod non ita dictum est, ait S. Augusti„nus in libro de Fide, et symbolo cap. 6. quasi „corpus vertatur in Spiritum, et spiritus fiat, quia „et nunc corpus nostrum, quod animale dicitur,

„non

,, non in animam versum est, et anima factum: sed
,, spiritale corpus intelligitur, quod ita spiritui sub-
,, ditum est, ut caelesti habitationi conveniat, omni
,, fragilitate, ac labe terrena in caelestem puritatem,
,, et stabilitatem mutata, atque conversa." Carebit ergo istis affectionibus, quibus modo subiicitur, ut ali debeat cibo, et potu, et ut deficiat, quemadmodum nunc, si cibus ei subtrahatur; vigeat autem magis, et distendatur, si cibo et potu bene refectum sit. Nam quod post resurrectionem etiam corpora omnino qualitatem corporum habitura, et retentura sint; ipse Salvator post resurrectionem suam demonstravit, dum discipulis corpus suum ad palpandum obtulit. ,, Palpate, inquiebat, et vi-
,, dete, quia spiritus carnem, et ossa non habet,
,, sicut me videtis habere." Luc. 24. v. 39. Dum ergo corpus, quamvis corpus mansurum sit, sine affectionibus tamen erit istis, quibus modo subiacet, corruptionis, atque defectionis, sed incorruptionis eiusmodi statum induet, qualem habet spiritus, qui cum ex partibus non constet, corrumpi etiam non potest, addendo ei quidpiam, aut diminuendo; propter virtutis suae similitudinem cum spiritu, corpus spiritale vocatur. Quid sit surrectuгum corpus in virtute, ex eo, cui istud opposite est collocatum: *seminatur in infirmitate*, planum fit: corpus nimirum non iam infirmum tum futurum, cuiusmodi nunc est, et cum seminatur, hoc est, moritur. Seminationis enim nomine ipsa mors designatur, qua corpus ad suam corruptionem vadit,

ex qua postea iterum resurgat, quemadmodum semina frumenti, cum in terram iacta, et corrupta sunt, nova iterum ex se germina, novamque segetem exhibent.

Si est corpus animale, est et spiritale, sicut scriptum est: 45. *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Probat non repugnare, ut quod corpus nunc animale est, fiat deinde spirituale. Adamum enim factum esse in animam viventem, quemadmodum scriptum est, est autem istud scriptum Genesis 2. v. 7. et per quem similiter etiam nos animam viventem acceperimus: Christum autem esse factum in spiritum vivificantem. Quod si ergo per Adamum corpus nostrum factum est animale; quid mirum videri debeat, si idem per Christum futurum sit spirituale? Christum vero novissimum hominem dicit non respectu aliorum hominum, his enim multis prior tempore est Christus, sed respectu Adami. Hi enim duo sunt homines, generis humani parentes, et per quorum alterum animam viventem, per alterum spiritum vivificantem consecuti sumus. 46. *Sed non prius spiritale est, sed quod animale, deinde spiritale.* 47. *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de caelo caelestis.* 48. *Qualis terrenus; tales terreni: et qualis caelestis, tales et caelestes.* „Quid est, ait S. Augustinus in epistola ad „Consentium, Qualis terrenus, tales et terreni, nisi „mortales ex mortali? Et quid est, Qualis caele„stis, tales et caelestes, nisi immortales per im-

„mortalem? Illud per Adam, hoc per Christum. „Dominus enim ad hoc terrenus factus est, cum „esset caelestis; ut eos, qui terreni erant, faceret „caelestes, hoc est, ideo ex immortali mortalis fa„ctus est, assumendo servi formam, non Domini „mutando naturam; ut eos, qui mortales erant, „faceret immortales, impertiendo Dominicam gra„tiam, non servilem iniuriam retinendo."

49. *Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis.* Graece: *Et sicut* (Καὶ καθὼς) *portavimus imaginem terreni, portabimus* (φορέσομεν) *et imaginem caelestis.* 50. *Hoc autem dico, fratres, quia caro, et sangvis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.* Hoc autem dico, fratres, portaturos nos videlicet imaginem caelestis, transeunte corpore nostro a corruptione ad incorruptionem, et a mortalitate, ad immortalitatem, quia, inquit, caro, et sangvis regnum Dei possidere non possunt, hoc est, haec caro, et hic sangvis, quemadmodum nunc in nobis est corruptioni obnoxius. Itaque hoc idem deinde e vestigio aliis verbis expressit: *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* Quemadmodum enim quod immortale fit, non potest idem manere mortale; ita quod incorruptionem induit; idem non potest manere corruptioni obnoxium. „Cum igitur de resurrectione corporis Apostolus „disputans, ait S. Augustinus in eadem epistola, „doceret nostra corpora futura ex corruptibilibus „incorruptibilia, ex contemptibilibus gloriosa, ex

„infirmis fortia, ex animalibus spiritalia, hoc est, „ex mortalibus immortalia, subiecit, atque ait: „Hoc autem dico, fratres, quia caro, et sangvis „regnum Dei possidere non possunt. Et ne quis„quam putaret secundum substantiam carnis hoc „Apostolum definiisse, aperuit, quid diceret, sub„iungendo, neque corruptio incorruptionem possi„debit. Tamquam diceret, quod dixi, Caro, et „sangvis regnum Dei non possidebunt, ideo dixi, „quia corruptio incorruptionem non possidebit. Hoc „ergo loco nomine carnis, et sangvinis corruptio„nem mortalitatis intelligi voluit.“

51. *Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* „Tamquam ei diceretur, pergit S. Augustinus in „eadem epistola, Quomodo caro erit, et caro non „erit? Caro quippe erit, quoniam Dominus post „resurrectionem ait: *Palpate, et videte, quia spi„ritus carnem, et ossa non habet, sicut me vi„detis habere;* Luc. 24. v. 39. caro autem non „erit, quoniam caro, et sangvis regnum Dei non „possidebunt, exponit, quid dixerit, adiiciens, „Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem re„surgemus, sed non omnes immutabimur.“ Existit vero in hoc loco varietas ista lectionis. Nam in Graecis editis codicibus omnibus sic istud est: *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur.* πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Atque hoc modo vertit etiam Syrus, et Arabs: eamdemque hanc lectionem exhibent S.